Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>

Pictavii, 1877

urn:nbn:de:bsz:31-60070

Visual Library

A
94

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# REVELATIONES

## GERTRUDIANÆ AC MECHTILDIANÆ

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

*Jus proprietatis et translationis in quamvis linguam vindicabitur.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

REVELATIONES

GERTRUDIANÆ AC MECHTILDIANÆ

II

# SANCTÆ MECHTILDIS

VIRGINIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

## LIBER SPECIALIS GRATIÆ

[1.]

ACCEDIT

SORORIS MECHTILDIS

EJUSDEM ORDINIS

## LUX DIVINITATIS

OPUS AD CODICUM FIDEM NUNC PRIMUM INTEGRE EDITUM

SOLESMENSIUM O. S. B. MONACHORUM

CURA ET OPERA

APUD H. OUDIN FRATRES

PICTAVII
4, VIA DICTA DE L'EPERON, 4

PARISIIS
68, VIA DICTA BONAPARTE, 68

MDCCCLXXVII

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

G (Xerox)

97 A 50994,1

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

S

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO LUDOVICO PAQUELIN

SOLESMOS IN ABBATIA S. PETRI.

*PIUS PP. IX.*

*Dilecte Fili, Religiose Vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Redditi sunt Nobis a Dilecto Filio Nostro Johanne Baptista S. R. E. Cardinali Pitra libri S. Gertrudis, quos ad fidem codicum nunc primum ex integro exactos et editos, Nobis offerre voluisti. Gratissimum habuimus hoc munus, quod nomine sanctæ illius Virginis, et cœlestibus donis, quibus Ipsa aucta fuit tantopere commendatur; ac debitis prosequimur laudibus pietatem, zelum et industriam, quam in hoc opere edendo, quod ad ædificationem Fidelium, et præsertim ad venerationem et amorem erga Cor sanctissimum Jesu Christi excitandum mirifice spectat, collocasti. Dum tibi, Dilecte Fili Religiose Vir, pro tuo erga Nos officio gratias agimus, optamus etiam, ut ex labore a Te pie suscepto salutares ac uberes fructus in omnes Christianæ pietatis cultores feliciter existant. Hoc a Divina Clementia adprecantes, Apostolicam Benedictionem in pignus dilectionis Nostræ, et in auspicium cœlestium gratiarum Tibi, ac omnibus tuis Religiosis Sodalibus, et præcipuum in modum Ei qui præsidet Congregationi vestræ, peramanter in Domino impertimus.*

*Datum Romæ apud S. Petrum die 16 Octobris an. 1875. Pontif. Nostri anno tricesimo.*

*PIUS PP. IX.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg

SUFFRAGIUM DD. CONRADI MARTIN, EPISCOPI PADERBORNENSIS.

*Plurimum revedende Domine!*

*Pro magna benevolentia Tua transmisisti mihi in castellum et carcerem meum, in quo nunc detentus sum, opus Tuum tanto studio et amore concinnatum, mihi, patriæ magnarum prophetissarum antistiti, gratissimum. Accipe igitur, plurimum reverende ac dilecte Domine, gratissimi animi mei testificationem; accipe etiam de hoc opere tam egregie peracto, non solum Ordinis S. Benedicti, sed totius etiam Ecclesiæ honori haud dubie summopere profuturo, intimam meam gratulationem. Faustissima quæque Tibi adprecans subscribo. Tuus servus obsequiosissimus.*

† CONRADUS MARTIN,
*episcopus Paderbornensis, nunc captivus.*

*Ex castello Wesel 23 julii 1875.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# PRÆFATIO

## PARS PRIMA.

### DE SANCTA MECHTILDE ET DE EJUS REVELATIONIBUS.

SANCTÆ Mechtildis LIBRUM SPECIALIS GRATIÆ, item, quasi in appendice, Sororis Mechtildis opus, cui titulus : LUX DIVINITATIS, hoc volumen complectitur. De Sorore Mechtilde et de ejus libro in argumento proprio infra tractabitur : nunc vero de sola Mechtilde de Hackeborn, Abbatissæ Gertrudis germana sorore, in Helftensi monasterio Cantrici, verba facimus. Jam de præclara illa virgine in Præfatione ad *Legatum* S. Gertrudis plura disseruimus; quibus breviter modo retractatis, ea subjungere juvabit, quæ, ut ipsi propria, in communi notitia locum obtinere non debuerunt.

*I. Beatæ Mechtildis genus et in monasterium ingressus.*

I. Beata quidem Mechtildis, cum constet ipsam esse anno 1291, quo defuncta est soror ejus, Gertrudis Abbatissa, quinquagenariam, reperitur nata anno salutis 1241. Propter vitæ periculum sine mora baptismo regeneratur; postea, cum parentes ejus monasterium ad Rodardsdorf prope civitatem Halberstadt, neque procul a suo castello sive de Hackeborn sive de Hedersleben situm, inviserent, puella Mechtildis, tunc septennis, a monialibus adeo rogavit se inter ipsas admitti, ut licet parentes reniterentur, jam voti compos sit facta. De familia ista Hackebornensi per plures generationes legimus in Diplomatibus duos fratres, quorum major natu, Albertus, minor vero Ludovicus, semper nominantur. Anno

autem 1258 moniales loco Rodardsdorf relicto ad Helfta juxta Islebium translatæ sunt; jam ab anno 1251 monasterium regebat Abbatissa Gertrudis, novem annis sorore ejus Mechtilde major natu. Mechtildis ingenio virtuteque germanæ haud impar, huic in monasterii regimine maximo fuit subsidio. Scholis, quibus nihil Abbatissæ antiquius erat, fuerat præfecta, ac tum liberales artes, tum divinæ Scripturæ scientiam feliciter promovit. Insuper, quia vera sanctimonialis præcipue laudi divinæ instare studet, Cantricis munere fungebatur, in quo officio, ut videtur, vicariam habuit, simul et sociam in revelationum donis, sanctam Gertrudem. In *Libro specialis gratiæ*, tum parte IIa. tum Va. multa alia videre de ejus præclara conversatione, ad quæ brevitatis causa, lectorem remittimus.

II. *Mechtildis innotescit donum.*

II. Cum annum quinquagesimum attigisset, in Adventu anni 1290 in morbum quidem incidit, quo brevi ad lecto decumbendum redacta est. Tunc vero abbatissa ejus germana et ipsa detinebatur infirmitate, qua obitura erat; Mechtildis autem eam charitatis gratia et necessitudinis sæpe invisebat atque consolabatur [1]; sed dum, propria ingravescente infirmitate, jam ipsa a lecto moveri nequiret, soror prædilecta, quacum tamdiu sub eisdem tectis Deo militaverat, Mechtilde absente, defuncta est.

Dominus vero suam ancillam benigne est consolatus, quippe cum infirmitate durante et post obitum venerabilis abbatissæ, hujus merita et in cœlis præmia per multas revelationes ipsi ostendere dignatus est.

Aliud vero, dum infirmaretur Mechtildis, contigit quod ad ejus dignam existimationem, tam intra quam extra claustrum maxime contulit. Siquidem tunc primum quæ jam a multo tempore in ejus anima operabatur Deus, sponsa dilecta manifestavit. Quæ enim antea per visiones cognoverat, ea penitus reticuerat; verum, sic in proximi utilitatem Deo disponente, dum præ gravissimis doloribus quasi sui impotens facta fuisset, tandem cœpit Regis secretum revelare. Quod quidem jam prius, ut videtur, suspectum, tunc vero manifesto compertum, per scripta conservare ejus duæ familiares Sorores

1. Infra, part. VI.

curaverunt. Ex his una multa propter indicia videtur fuisse sancta Gertrudis.

III. *Legatus divinæ pietatis,* liber de sancta Gertrude conscriptus, frequenter de nostræ Mechtildis cum ipsa Gertrude spirituali familiaritate mentionem infert; dum e contra *Liber specialis gratiæ* Gertrudem nec nominat, nec usquam inducere videtur. Cujus rei causas in Præfatione primi voluminis perpendimus, et aliis quoque momentis incitati, jam exploratum habuimus, sanctam Gertrudem *Librum specialis gratiæ* ex his quæ a Mechtilde audierat, aut scripsisse aut dictasse. Argumenta hic repetere minime juvat; sed in hoc altero volumine, ad imam paginæ partem sæpius loca quæ judicavimus ad Gertrudem referenda esse subnotavimus, sicuti in parte quinta, ac in septima legenti patebit.

III. *De B. Mechtildis revelationibus.*

Igitur Mechtildis, quamdiu regimen monasterii soror tenuit, id est per quadraginta annos, in doctrina, in pietate, in sapientia commendabilem alienis pariter ac alumnis claustri se præbuit. Verum defuncta sorore, cum Mechtildis revelationis gratia, quæ antea latuerat, clarescere cœpit, in majori existimatione ab omnibus habita est. Gertrudis ad Mechtildem in gratia revelationum tunc nominatissimam accessit, humiliter supplicans quatenus super dono suo a Domino confirmaretur. Non absimili modo Mater monasterii, Sophia, filia Hermanni vel Burchardi de Mansfeld, cum de patris defuncti sollicita esset, a Mechtilde rogavit ut de illa Dominum consuleret. Quod licet primum detrectaret, quia nunquam de gratiis hujusmodi Deum tentare præsumpsisset, tandem Domino ipso jubente ut obedientiam suam impleret, abbatissæ suæ morem gessit et illam de beatitudine patris sui certiorem fecit. Tanta erat erga suam sponsam Domini benevolentia!

De revelationis dono, quantum ad animarum statum pertinebat, quidquid Mechtildis per visum intellexisset, prælatus monasterii vetuit ne palam proderetur. In hoc et alias in tam sublimis doni exercitio plura incommoda ex diversis, Domino sic ordinante, experta, statim ut Sororis Mechtildis, cujus liber *Lux Divinitatis,* simile donum recognovit, illam quanta potuit auctoritate et consilio tuita est. Siquidem ex pravo mentis zelo, vel ex contumaci animo Sororem calum-

niis diversorum impetitam esse persuasum habebat; dum e contra doni ejus librique defensores si qui forent, extollebat, eos que merito cum ipsa, quæ donum acceperat, a Deo sociandos asserebat.

IV. *Libri scriptio et Mechtildis transitus.*

IV. Postquam, ut diximus, quæ intra se Dominus operare dignatus erat, ab ætatis suæ quinquagesimo anno omnibus manifestare cœpisset, duæ ejus familiares, ne tam pretiosus thesaurus tandem apertus per oblivionem evacueretur cum timerent, simul et humilitati Mechtildis parcere cuperent, ipsa inscia, librum de his quæ ab illa audirent scribere attentaverunt. Ex quibus una quando scribebat, quando dictitabat, dum altera tantummodo scripsisse traditur. Sic per octo fere annos a 1291 istarum duarum cura et labore coaluit *Liber specialis gratiæ.* Jam vero opus ad finem vergebat cum res ad Mechtildem pervenit, quæ primo pro humilitate dona sibi soli, ut putabat, revelata ad posteros per scriptionem deferenda esse dolens, item verita ne aliquid erroris in eadem irreperet, a Domino per visum de hoc fuit confortata, et cum ipsi librum legerent scriptrices, hunc Deus confirmavit rerumque veritati concordem esse pronuntiavit.

Ex infirmitate qua anno quinquagesimo suæ ætatis correpta fuerat, deinceps, per octo scilicet annos, numquam, ut videtur, plene convaluit. Attamen tertio ante ejus obitum anno in pejus versa est corporis ægritudo, tandemque, sicut septima hujus libri parte fusius narratur, ad extrema Mechtildem deducit. Mox sanctæ Gertrudis monitu, feria secunda post Dominicam *Si iniquitates,* ante matutinas Unctionis sacramentum percepit, et biduum perseverans, dulcibus cum divino Sponso colloquiis recreabatur, nec a gratiis specialibus suscipiendis cessavit. Quæ cuncta per visum quædam moniales cognoverunt, nulla vero melius quam sancta Gertrudis, quæ de his omnibus testimonium reliquit.

Itaque Mechtildis dulcissimis Domini, Virginis Mariæ Sanctorumque consolationibus recreata, ad extrema vergebat. Verum Dominus qui octo ante annos quando jam infirma decumberet, ei Cor suum divinum in xenium tradiderat, illud pretiosum pignus sibi reconsignari a fideli sponsa sua

requisivit; quæ libenter annuens, statim divinitatis virtute absorpta gloriæ Dei feliciter sociata est.

V. De se magnum luctum in Helftensi familia reliquit Mechtildis, quem in *Libro specialis gratiæ* non semel scriptrices testantur. Non similem in dilectione, in sanctitate jam fore inter ipsas pronuntiabant; quæ verba sane scripsit sancta Gertrudis tantarum virtutum, sed præsertim humilitatis, feliciter æmula. Verum tam justum Sororum temperavit dolorem de amissæ matris gloria atque præmiis in cœlo firma omnium sententia. Quæcumque enim per quinquaginta annos intra claustri septa pie, sancte ac docte perfecerat in mentem redibant, optimoque virtutum odore animos reficiebant.

V. *Mechtildis post mortem commendatur.*

Qui bonus odor mox extra domum in qua fusus fuerat sese extendens, ad longinquas etiam pervenit regiones, maxime per hujus libri notitiam, quem ad Italiam ad urbem Florentiam, paucis post beatæ Mechtildis annis, allatum fuisse famosus scriptor Boccacius testis est. Siquidem fratres Ordinis Prædicatorum, qui Helftenses prophetissas tanti faciebant, ipsarum libros, cum a Germania ad Italiam transmearent, ad ejusdem Religionis fratres læti deferebant, terram utique barbaram sævamque tam optimos Spiritu Sancto favente fructus tulisse quasi ostentantes. Quod manifeste compertum est de libris Mechtildianis quos sub titulo *la Laude di dona Matelda* designat scriptor prædictus. Laudem quippe divinam his libris suum characterem specialem indere cuilibet legenti agnoscendum est.

Tantæ pietatis famam non ægre subsecuta est etiam sanctitatis celebritas. Unde passim per loca in quibus Mechtildis nostræ liber occurrebat, ejus nomini beatitudinis vel sanctitatis tessera publica annexa legitur. Igitur licet Mechtildis nomen in Romano martyrologio non occurrat, ejus tamen cultus in pluribus calendariis inscriptus ab apostolica auctoritate approbatus est et confirmatus. Huic festo quidem dies 26 Februarii indictus est; et concessæ sunt secundi nocturni lectiones quæ Mechtildis Helftensis sanctimonialis vitam et elogium referunt. Unde votum animo subit ejusdem cultum saltem in tota Benedicti Patris familia, sicut ejus familiaris et æmulæ sanctæ Gertrudis, rite celebrandum licitum fore.

VI. *B. Mechtildis a poeta Dante celebratur.*

VI. Nomen Mechtildis ab ejus obitu usque ad XVIII. sæculum percelebris in fere tota christianitate mansit : tunc vero quasi eclipsim passum nostris tandem temporibus tum sanctitatis tum ingenii causa rursus per ora hominum cum honore haberi cœpit. Siquidem in Germaniæ universitatibus, videlicet in Grætiana D. Lubin, in Monacensi D. Wilh. Preger, necnon in Hallensi D. Ed. Boehmer, annis 1869 et sequentibus magno eruditionis apparatu quæstionem de nostra Mechtilde agitare cœperunt, utrum nempe illa fuerit *Matelda* quam in suam Divinam Comœdiam induxit famosus poeta *Dante Alighieri*. Doctor Lubin Grætianus primus rem attentavit, nec infeliciter prosecutus est.

Poeta equidem inter paucas quas in suo carmine exaltat feminas post Beatricem, quæ pro Theologia vel vita contemplativa et theoretica vulgo sumitur, cantu XXVII Purgatorii nobilem quamdam cantatricem se invitantem inducit, quam cantu XXIII, strophula XL, *Matelda* vocat. Et hæc *Matelda* pro vita activa, quasi Lia , cujus soror Rachel in Beatrice figuratur, poetæ interpretibus accipitur. Si vatis consuetudinem attendamus, non allegorica aut mere typica, sed realis hæc persona adducitur, quam novit optime *Dante*, atque pro grato animo studet celebrare.

Multi, rem non satis accurate considerantes, hanc fuisse Matildem, Toscaniæ magnam comitissam , quæ pro Sancta Sede contra Teutonicum tyrannum militavit, nec ideo a poeta laudari non potest, quippe qui Cæsarianis partibus contra Romanum Pontificem in suo carmine usque favet. Repugnant item quæ de vita hujus Amazonæ christianæ traduntur, et valde diversa quæ *Dante* in sua *Matelda* extollit merita. Enimvero vox prima qua cantrix præludit viatori, qui post sex circulos ascendens ad septimum pervenit, illa est: *Venite benedicti Patris mei*; qua quidem voce ad se invitavit beatam Mechtildem Dominus septimo ante ejus obitum anno et in ipso transitu hujus felicis Virginis. Subsequuntur in poemate ejusdem cantus, sacræ liturgiæ utique verba referentes, ut sunt: *Beati quorum tecta sunt peccata*. Nam *Dante* sua quidem hucusque bene agnovit peccata, sed ad felicem oram, in qua per undas sacramenti lavatrices diluantur, transire ejus puillanimis reformidat animus. *Veni, sponsa, de Libano, In te*

*Domine, speravi,* canunt Angeli, qui civitatis Dei, scilicet Ecclesiæ gloriam et felicitatem erranti proponunt, cum ecce Domna quam antea viderat, Matelda, illum rapit per salutarem undam, et cum dulcissimo cantu Versus *Asperges me* illum plene purificat traditque quatuor virtutibus.

Atqui non absimili modo res agitur in capite secundo partis secundæ *Libri specialis gratiæ* beatæ Mechtildis. Dum cantatur *Asperges me*, videt Mechtildis in Corde Domini flumen aquæ vivæ, circa quod duodecim arbores, id est, virtutes. Mox ducitur in vineam quæ est Ecclesia, sicut et ipse *Dante* post aquæ transitum in Ecclesiam introducitur.

Ad Mechtildem iterum remittitur, ut doceatur quid sibi velint aquæ ex uno fonte erumpentes, quæ inde in duos rivulos, Lethe et Eunoe, divisæ fluunt. Verum *Libro specialis gratiæ* parte II. c. 21. duos rivulos, remissionis peccatorum, alterum spiritualis consolationis conspicit Mechtildis. Item inter alia ostentandum est illud quo *Dante* voluntatem hominis *rotæ* æquo motu se volventi confert; quæ similitudo parte IV. c. 20. sanctæ Mechtildis apprime elucidatur. Denique illud omnino in mente retinendum est: *Dante* Mechtildem illo loco sui poematis nomine proprio laudavisse, ubi plures textus sive sacræ liturgiæ, sive operis Mecthildiani citantur, unde illam *Matelda* quam loco prædicto laudat et maxime extollit Dante, nostram esse Mechtildem, merito infertur. Hujus etenim libros primis XIV. sæculi Florentiam a Fratribus Prædicatoribus allatos, ut ex Boccacio supra jam diximus, volvere indeque consolatoria verba et animum reficientia rebus in asperis sibi vindicare potuit, vir cæterum in rebus theologicis ac mysticis optime versatus.

Quidam etiam existimant sororem Mechtildem, quæ cum beata Mechtilde in Helftensi cœnobio degit, designatam esse a poeta, qui quædam de statu Ecclesiæ, de beatis Dominico Franciscoque, etc., cum libro hujus Sororis consentanea scripsisse videtur. Verum inde tantummodo sequeretur Sororis librorum, sicut beatæ Mechtildis, per eosdem Fratres Prædicatores Florentiam delatorum *Dante* copiam habuisse.

## II.

### DE LIBRI SPECIALIS GRATIÆ VARIIS EDITIONIBUS.

VII. *Codices amanuensium.*

VII. Multas et quidem plures quam *Legatus divinæ pietatis* editiones tum manuscriptas tum typis impressas obtinuit *Liber specialis gratiæ*. In Germaniæ bibliothecis tamen, et vix alibi, occurrunt codices manuscripti ac pleræque typis excusæ editiones. Qui omnes, tum amanuensium, tum typis mandati libri ad duplicem redigi possunt familiam : unam quæ antiquior et integrior, alteram quæ posterior ætate, et in multis ex consulto truncatam. Hæc quidem fere cuncta quæ ad historiam beatæ Mechtildis vergerent suppressit, iis solum retentis quæ ad meram ædificationem pertinebant. In titulis et in ipso textu hujusce familiæ libri plerique favent Ordini Cisterciensi, cui simpliciter adscribunt sanctam Mechtildem, et domum in qua tam sanctam illa degit vitam. Textus primarius latino sermone, sicut etiam omnes antiquiores codices ex quibusdam allusionibus, etymologiis quas non semel notavimus, videtur conscriptus. Primum igitur hic de manuscriptis codicibus nobis tractandum.

1. Qui prior et antiquior nobis occurrit est codex Guelferbytanus (Wolfenbüttel), cujus hic titulus : *Incipit liber specialis gratiæ de sanctimoniali quadam Mechtildis nomine, quæ vixit circa annum Domini MCCLXXX. in claustro dicto Helpede ; quod monasterium est translatum ad civitatem Ysleiben anno Domini MCCCLVI. In die S^ti Severi Episcopi primo intraverunt ; et ego Albertus sacerdos eram ibi. Postquam librum istum conscripsi, et Domina Abbatissa monstravit mihi librum quem ibi habuit, et perscrutatus sum veram veritatem.*

Post conclusionem sextæ partis libri legitur : *Explicit liber de extremis beatæ virginis Sororis Mechtildis de Helpede. Incipit nunc de laudabili vita et morte venerabilis Dominæ Gertrudis Abbatissæ sororis suæ.*

Post septimæ partis exitum : *Anno Dni MCCCLXX*

*sequenti die post festum S^ti Lucæ evangelistæ, Albertus sacerdos, vicarius S^ti Pauli Erfordensis, libros istos conscripsit et finivit. Deo gratias.*

Præter antiquitatem et a scriptore factam cum codice in claustro Helftensi asservato collationem, hoc apographum Alberti integritate præ cæteris gaudere reperitur, cum extrema beatæ Mechtildis solus enarret, quæ in omnibus desunt vel compendiose tantum exponuntur. Cæterum se ingenio simplicem et bonæ fidei in toto opere se prodit pius scriptor, quapropter ejus codicem, licet in capitulorum titulis et divisionibus nonnihil inexperti quidem, primigeni vero exhibeat, sumus imprimis secuti.

2. Secundas partes obtinebit codex bibliothecæ Lipsiensis universitatis, qui prius Cisterciensis Abbatiæ *Cellæ Sanctæ Mariæ* in Saxonia fuit. Qui codex, judice clarissimo et doctissimo Gersdorf, huic bibliothecæ præfecto, qui nobis benevolentissimus exstitit, si scripturæ et litterularum formam attendas, XIV. sæculo magis mediante quam exeunte conscriptus fuisset. Librum de meritis, ultima infirmitate et felici obitu Abbatissæ Gertrudis, non vero beatæ Mechtildis, sicut codex Guelferbytanus, exhibet, licet in Registro capitulorum hic liber prænuntietur. Quintæ partis duo priora capitula verbo ad verbum in libro de Abbatissa Gertrude reperiuntur, quod indicare videtur huncce librum seorsim vel etiam alia manu fuisse conscriptum.

3. San-Gallensis Codex. Cujus historia quiddam satis lepidi præ se fert. In catalogo bibliothecæ sub nomine sanctæ Gertrudis inscribitur, et doctissimus Mabillon, qui illum inspexit, in suo *Itinere Germanico* sic de eodem scripsit : « Ne quid dicam de revelationibus sanctæ Gertrudis, quæ a vulgatis multum differunt. » Sane ita differunt ut minime sint sanctæ Gertrudis, sed beatæ Mechtildis. Tutior et certior quam illustris Mabillon fuit indagator codicis Gertrudiani ejusdem Ordinis S. Benedicti monachus, nunc S. R. Ecclesiæ Cardinalis Eminentissimus Joannes Baptista Pitra. Ipse per Germaniæ bibliothecas inquisitiones dirigens in Bibliotheca Cæsarea Vindobonæ genuinum et integrum notavit Codicem Revelationum sanctæ Gertrudis, quem nobis novam et sinceram Gertrudiani operis parantibus benignissime indicavit,

quo factum est ut primum authenticum opus in medium proderemus.

Ad San-Gallensem vero codicem redeundum. Numero 583 distinguitur. Lipsiensi codici fere in omnibus, ætate, scriptione consentaneus, nisi quod parte quinta totum opus absolvitur, omissis libris quæ de Abbatissæ Gertrudis et beatæ Mechtildis novissimis tractaverunt. Ad ejusdem calcem hæc post aliquod tempus addita leguntur : « Iste liber deputatus est pro omnium usu, et utilitate omnium in eo legentium, et ejus proprietas est solius Dei, et ejus ordinatio pertinet ad fratrem Johannem de... thaler, deinde ad fratrem Johannem de Prussia; sed proprietas ejus solius est Christi ad communem usum Deum amantium. »

4. Quidam Gothensis bibliothecæ codex.

5. Basileensis A. IX. 4. anni 1512. Cum hoc titulo : *Liber spiritualis gratiæ seu revelationum beatæ Mechtildis virginis, qui ex vetusto et pene illegibili confusique ordinis codice ad laudem summi gratiarum largitoris, sub honore beatæ Mechtildis virginis de ordine S. Benedicti.., conscriptus est.* Revera ordo capitum sæpe confusus vel ex consulto vel ex defectu scriptoris.

Quinque illi manuscripti, scilicet Guelferbytanus Lipsiensis, San-Gallensis, etc., soli ex his quos nobis evolvere licuit, ad antiquiorem et potiorem codicum pertinent seriem. Recentiores et plus minusve truncati et immutati reperiuntur sequentes.

6. et 7. Parisiensis maxima bibliotheca duos manu exaratos de beata Mechtilde profert : 3631 et 3632.

8. 9. Bonnensis universitatis bibliotheca latinæ unum, wallonensis linguæ alterum exhibet.

10. 11. In bibliotheca Coloniensis universitatis duo in catalogo inscribuntur codices quorum copia nobis non fuit.

12. Dusseldorpiensis latinum unum codicem possidet.

13. Cæsarea Bibliotheca Vindobonensis, in eodem volumine et ab eodem scriptore ac Gertrudianum, nobis exhibet librum Revelationum sanctæ Mechtildis, ad cujus calcem hæc leguntur : « Explicit liber Revelationum Stæ Mechtildis, denominatus a Dño *specialis gratiæ*, conscriptus ad Dei honorem et proximorum ædificationem per me

Fratrem *Michaelem Staynbrunner*, hujus monasterii almæ Crucis monachum professum, anno Dñicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto; in die Sti Hippolyti finitus est.

Post hæc sequitur codex Revelationum sanctæ Gertrudis de quo alias.

VII. 1. (1503.) *Das Buch geistlicher gnaden, offenbarunge Wunderliches unde beschauligen lebens des heiligen iungfrauen Mechtildis und Gertrudis. Closteriungfrauen des closters Helffede. auff begere und anregunge der hochgebornen furstin und frauen Zedena, herczogin czu Sachssen, lantgrauin in Doringen und margrauin czu Meissen, witwen. gemeinen volke czu besserunge vordeutscht und gedruckt.* VII. *Editiones typis excusæ.*

Ad calcem legitur : *Gedruckt und volendt czu Leyptzik. noch Gottes geburt ym funffczen und iij iar.*

Hæc omnimodo pulcherrima editio in cunctis manuscriptum Lipsiæ codicem nº 2. sequitur. Quædam ejusdem exemplaria brevem monasterii Helftensis perhibent notitiam, in quo multas spirituales filias, Deo favente, cum ad suburbium Yslebii translatum esset, adhuc degere editores testantur. Liber principissæ Sidoniæ Alberti ducis Saxoniæ relictæ dedicatus per editorem, qui fuit F. Marcus de Weida, Ordinis Prædicatorum, conventus Sancti Pauli Lipsiensis.

2. (1508.) Revelationes sanctæ Mechtildis, in modum spiritualis Directorii a quodam Fratre Minorita digestæ, opus item principissæ Zedenæ dedicatum, verum potius ex *Libro specialis gratiæ* quam illum referens efformatum. Teutonico sermone. In bibliotheca Hallensi.

3. (1510.) Editio integra et ad apicem exacta, licet in titulo plura occurrant emendanda. Nullam præfert præfationem aut notitiam, sed sequentem titulum : *Speculum spiritalis gratiæ , ac mirabilium revelationum divinitus factarum sacris Virginibus Mechtildis ac Gertrudis* (sic), *monialium cœnobii Helfede, pro saluberrima in Christo proficientium instructione comportatus* (sic).

Herbipoli typis mandatus est liber, cujus unum exemplar servat Bibliotheca Monacensis.

4. (1513.) Editio latine conficta in volumine contenta cui titulus :

*Liber trium virorum et trium spiritualium Virginum; Hermas. Uguetinus. Frater Robertus. Hildegardis. Elizabeth. Mechtildis.*

Roberti Stephani typis excusum opus, cujus compositio Fabro Stapulensi (Lefevre d'Etaples) attribuitur. Hæc de sancta Mechtilde tradit editor:

« Mechtildis quæ fuerit, facta diligenti multaque indagine, neutiquam adhuc agnoscere valui quænam ea fuerit (cujus Religionis), et in quo cœnobio diversata. Scripsit tamen ad me Beatus Rhenanus, quem super ea re epistolio consulueram, intellexisse eam fuisse Germanam, et circa montes Rhetios habitasse, vergendo ad Elvetios, unamque de filiabus alicujus Comitum fuisse, atque in illis locis coli memoriam ejus, et sacrum obtinere sacellum. »

Quæ editio Parisiensibus codicibus qui ad secundam et mutilam seriem referendi sunt, conformis exhibetur. In bibliotheca Mazarina et alibi.

5. (1522) Editio Venetiana : *Liber gratiæ spiritualis visionum et revelationum beatæ Mechtildis virginis devotissimæ ad fidelium instructionem.*

In titulo Præfationi inscripto : « Antonius de Fantis Tarvisinus, liberalium disciplinarum Doctor, Illu. ac religiosissimæ Deodatæ de Ruere de Monte Feltro moniali observantissimæ S. P. Apud Jacobum de Leuco sumptibus Jourdani civis Coloniæ Agrippina typis opus excusum.

Editio ad secundam seriem amanuensium revocanda. Libro sive parte V. occurrunt tria capitula stylo admodum præciso quæ in exemplaribus prioris generis desunt. Hæc sunt cc. 18. *de futura resurrectione;* 19. *de redemptione captivorum;* 20. *qualiter eam Dñus Jesus matri commendavit.* Verum *de futura resurrectione* ex parte VI. capite 9. quæ de Abbatissa Gertrude scripta est, depromptum est, nec ad beatam Mechtildem pertinet. Unde vero duo cætera capitula 19. et 20. sumpserit editor Venetianus nos omnino latet.

(1536.) Quidam asserunt editionem revelationum beatæ Mechtildis hoc anno factam fuisse Coloniæ; verum illa, si fuerit, nobis non occurrit, nec Lanspergius aut Loher, qui hoc anno S. Gertrudis revelationes Coloniæ ediderunt, de libro

Mechtildiano ullum verbum faciunt. Attamen Italici translatores exemplar B. Mechtildis a Lanspergio editum laudant.

6. (1558,) Editio Venetiana altera ad secundam seriem pertinens, in Monacensi bibliotheca asservata.

7. (1590.) Editio Italiana. *Libro della spiritual gratia, delle rivelationi, e visioni della B. Mettilde vergine, diviso in cinque libri... raccolto del santissimo Gio. Lanspergio, monaco della certosa, tradotti del latino in italiano dal R. P. Antonio Ballardini.*

*In Venetia, per Nicolo Pezzana.* MDLXXXX. Altera ab eodem : MDCLX.

In eodem volumine quo translatio Revelationum S. Gertrudis a Vincenzo Buondi contenta, hæc editio ad secundam seriem referenda est.

8. (1597.) Editio Teutonica. In monasterio Thierhaupten in Bavaria typis demandata est hæc editio fere integra, ideoque ad primam seriem revocanda. Ad calcem subditur maximi momenti documentum de fundatione monasterii in quo vixit beata Mechtildis. Quod quibusdam sequentis ætatis editionibus Germanicis item annexum inter nostræ documenta ad calcem numero 3. consignatur.

Exemplar vidimus in bibliotheca RR. Abbatis Sancti Bonifacii Monacensis, D. Haneberg, qui nuper Spiræ præsul desideratissimus decessit.

9. (1623.) Gallica editio sub hoc titulo : *Les œuvres excellentes et la vie admirable de saincte Mechtilde, Religieuse de l'Ordre de sainct Benoist, mis de Latin en François par Me Jacques Ferraige, Prestre et Docteur en Théologie. Paris chez Jean de Hevqveville et Michel Soli.*

Tribus prologis illustratur, et quibusdam tum orationibus in honorem S. Mechtildis et S. Gertrudis, tum judiciis de illius libro. Subsequitur *La vie admirable de sainte Mechtilde*, etc. ab eodem *J. Ferraige, Cozeranois.* Quæ vita multis erroribus historicis referta, magis ad moralia vel spiritualia vergit quam historica. Stylus insuper antiquatus, attamen legenti magis intelligibilis quam ejusdem translatio S. Gertrudis; quod discrimen ex originalis diverso etiam stylo procedit. Cæterum ad secundam seriem reducenda est.

10. (1657.) Teutonica editio, Coloniæ facta per Wilhelm Friessem, qui librum Abbatissæ et monialibus claustri sanctæ Agathæ Coloniæ dedicavit. Fere in omnibus editioni abbatiæ Thierhaupten conformis, recentioris vero et elegantioris stili; unde longe lateque diffusa est, et ante nostram ætatem videtur fuisse editionum S. Mechtildis novissima.

Nostris temporibus non semel prodiit opus B. Mechtildis, tum Coloniæ, Monachi, Bruxellis, hic lingua latina, illic vernacula, sed quod fatendum est, arbitrio editorum varie digestum et maxime truncatum, insertis præterea non paucis de personis in Belgica editione erroribus. Rei historicæ ex his nihil, pietatis vero et ædificationis propriæ studiosos lectores aliquid colligere fas erit.

VIII. *Hujusce editionis ratio.*

VIII. Nunc denique nobis exponendum quo pacto hancce editionem *Libri specialis gratiæ* beatæ Mechtildis digesserimus. Ad quod propositum explendum Codici Guelferbytano, sicut supra visum est, omnium integerrimo et emendatissimo, proximo pede adhæsimus. A quo vix recessimus inscribendo in Parte V. capitula 27, 28, 29, ex editionibus secundæ seriei deprompta; necnon transferendo Librum seu Partem de ultimis beatæ Mechtildis VII° loco, quæ in Guelferbytano codice VI° disponuntur, ad VII^m remissis quæ de Abbatissa Gertrude traduntur. Aptius et opportunius censuimus librum esse absolvendum per narrationem felicis obitus et gloriæ adeptionis in cœlis beatæ Mechtildis, præcipue cum illa quæ hic de abbatissa Gertrude narrantur, ad revelationes pertinent germanæ ejus Mechtildis.

Legenti accurate patebit diversas operis Mechtildiani non unius ejusdem que stili aut manus esse. Partes I. II. V. emendatiores, III. IV. vero præsertim in earum ultimis capitulis cum VI. et VII. videntur tantummodo ex scriptis raptim confictis, prout persona quæ scribebat, res ipso quo agerentur temporis momento perceperat, fuisse conflatas. Quæ si ideo minoris favorem elegantiæ, certe majorem rerum fidem obtinent.

In divisione capitulorum inter varias editiones etiam intervenit simile discrimen. In prima quidem parte quæcumque ad idem mysterium pertinent, licet tempus aut doctrina moralis, quæ ex his deduci potest, ad diversa sese extendat,

sub eodem capite, pluribus tamen titulis quandoque interjectis, concluduntur. E contra in IV. parte quæque revelatio unum conficit capitulum, quod aliquando unica constat sententia, licet in isto de iisdem sive personis sive rebus ac in præcedentibus sit quæstio.

Tituli capitibus præfixi et ipsi ad trutinam erant revocandi et emendandi, quos quidem non semel editores, prout sibi cuique ad rem satius illustrandam visum fuerit, varie descripserunt. Nos autem, ut veriori, Guelferbytano codici et in hac re adhæsimus.

Propositum quo in plerisque editionibus tam multa truncata vel penitus omissa sunt, minime probandum existimavimus; omnes vero reliquias collegimus ne perirent. Quod si quis multa ex his tamquam prolixiora, vel egeni et sæpius rudioris stili scripta respuere voluisset, cogitet illa propter hanc inopiam inde majorem veritatem in rebus prætendere, quæ cæterum statim ac agerentur per scripta consignabantur.

Quæ de beatæ Mechtildis ultimis narrantur in *Libro specialis gratiæ* eadem sæpe ad verbum ac in libro sanctæ Gertrudis referunt. Illa noluimus omittere, ad magis quidem demonstrandam amborum librorum, ut ita dicamus, consanguinitatem, quæ per tot sæcula penitus ignorabatur, et adhuc nostris temporibus in ipsa Germania, a quibusdam, ut D. W. Preger, denegatur. Præterea quando in similibus, ut in narratione de beatæ Mechtildis, item et de Abbatissæ Gertrudis ultimis, aliquid intervenit diversi, brevi indagine patebit, personarum quæ scripserunt vel dictaverunt statum vel ingenium illius discrepantiæ causam esse. Siquidem quæcumque gesta vel dicta fuerint a Gertrude, in narratione libri *Legatus* indicantur proprio nomine quasi a Gertrude dicta vel facta; dum e contra in *Libro specialis gratiæ*, semper nomen, vel etiam quodlibet quo persona Gertrudis manifestaretur, sub silentio prætermissum est. Cujus ratio sanctæ Gertrudis humilitati est assignanda, quæ præcipue Librum Mechtildianum scripsit aut dictavit.

Paucis insuper notulis elucidare tentavimus quæ diversas in libro adductas personas perstringunt, sicuti gesta

historica quibus alluditur. Item quæ inter duos libros, Gertrudianum scilicet Mechtildianumque, consonarent conferenda notavimus, ac denique Mechtildis verba vel doctrinas quibus, ut videtur, usus est poeta *Dante*, passim indicavimus.

Quamvis diligentiam omnem adhibuerimus ut opus suis omnibus numeris absolveretur, attamen semper dolendum est multa remansisse emendanda, quæ pietati legentium ac sedulitati relinquimus, imprimis illud exoptantes tam salubrem doctrinam nunc sæculorum et hominum injuria fere penitus obrutam ex suis cineribus excitare, et ad lucem sibi debitam reducere. Inde fidelium sane mentes novo respergentur lumine, fervore eximio fovebuntur, et tot ac tanta salutis mysteria quæ ex Incarnatione Domini Jesu procedunt intimius et sublimius penetrantes, ad ipsum Deum, ex quo emanant, cursu tutiori transferentur. Quod erat in votis, ut in omnibus glorificetur Deus.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

# SANCTÆ MECHTILDIS

VIRGINIS O. S. B. IN HELFTA JUXTA ISLEBIUM

## LIBER SPECIALIS GRATIÆ.

## PROLOGUS

BENIGNITAS *et humanitas Salvatoris nostri Dei, quæ humano generi per ipsius Incarnationem tam misericorditer apparuit, quotidie magis ac magis clarescendo, etiam usque in nos et in nobis, in quos fines sæculi devenerunt, largiflue dignatur demonstrari. Igitur quanta Deus mirabilia in electis suis operatus sit, nullus sermo humanus poterit explicare, quantaque dona in anima ipsum fideliter amante diffuderit, lingua non valet promere; quam benigne quamque melliflue se illi exhibeat, sola feliciter experiri meretur.*

*Specialiter tamen quanta in una anima, quæ ipsum toto corde dilexit, dona effuderit, quantum parvitas nostra prævalet, Deo juvante, cupimus enarrare. Quæ innumera cœlestium secretorum mysteria animæ conspexit oculis, sed præ parvitate, qua se tam vilem reputabat, edicere nolebat, nisi*

*quantum sui familiares eam cogebant; et hæc ipsa quæ dicebat partim subtrahebat, partim vero ad laudem Dei, sed per obedientiam vix coacta dicebat.*

*Familiares ex narratis sibi a B. Mechtilde revelationibus hunc librum efformant.*

*Illa ergo quæ, ipsa nobis narrante, didicimus, pro modulo nostro in nomine Domini Jesu Christi conscribemus, ad gloriam summæ et semper venerandæ Trinitatis. Unde, charissimi, rogamus vos in Christo, ut quisquis hunc librum legerit, Domino gratias referat pro omni gratia et bonis, quæ de ipso fonte omnium bonorum in hanc animam, vel unquam in aliquam creaturam profluxerunt.*

*Si qua vero minus apte, minusve litteratorie posita invenerit, hoc quasi usum dictandi non habentibus in charitate ignoscat; quia, ut beatus dicit Augustinus*[1] : Bonorum ingeniorum insignis est indolis in verbis verum amare, non verba.

*Liber iste licet totus Revelationes et Visiones dici possit, et fere in singulis lectionibus utilitas et instructio hominum valeat inveniri, tamen ut facilius in eo legere volentibus occurrat quod volunt, in quinque partes distinguitur.*

*Revelationum istarum in quinque partes distinctio.*

*In quarum prima ponuntur revelationes de Festis per circulum anni, et de Sanctis quibusdam, et specialiter de Virgine Beata.*

*In secunda parte, quædam facta ad ipsam cui hæc demonstrata sunt personam, in quibus etiam utilitas non mediocris poterit inveniri, et audientium sive legentium devotio et charitas excitari.*

*In tertia parte instructiones tam ad Dei laudem quam ad hominum salutem pertinentes inseruntur.*

*In quarta, fere similia ad utilitatem et consolationem hominum pertinentia ponuntur: primo de Congregatione in communi, postea de hominum personis in speciali.*

1. De doctrina christiana, lib. IV. cap. 11.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

*Ultimo de animabus fideliumqualiterab ea visæ sunt et adjutæ.*

*Omnes igitur quibus Deus spiritum suæ charitatis infudit, charitatis, inquam, quæ omnia credit, omnia sperat, omnia sua facit; et qui ad gratiam Dei aspirant, hunc* Librum specialis [1] gratiæ *devota mente suscipiant, ut et ipsi omnia bona quæ in eo scripta et a Deo promissa sunt, consequi mereantur. Si quid vero in eo invenerint quod Scripturis non possit testificari, cum tamen non sit contra Evangelium et divinam Scripturam, Dei committant gratiæ, qui modo sicut olim, cum vult, diligentibus se incerta et occulta sapientiæ et bonitatis suæ manifestat. Rogamus etiam omnes qui ipsum lecturi vel audituri sunt, ut aliquam laudem Christo pro eadem felice persona referant, vel saltem gratitudinem ad hoc habeant, quod Deus senescentem mundum, et homines torpore totius bonitatis inveteratos, talibus incitamentis dignatur innovare.*

Explicit Prologus.

1. Sic legitur in Codd. Vindobonensi et Guelferbytano. Alias vero *spiritualis;* sed minus apte, siquidem omnis gratia potest, dici *spiritualis* dum hic agitur de gratia revelationum, quæ inter gratias gratis datas numeratur, et optime nuncupatur *specialis*, ut moris est apud auctores hujus ævi, et passim in ipsis libris tum S. Gertrudis tum S. Mechtildis occurrit.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER PRIMUS

## CAPUT PRÆVIUM.

### DE NATIVITATE HUJUS VIRGINIS, ITEM DE VOCATIONE ET PRÆCLARIS DOTIBUS.

Fuit Virgo quædam [1] ab infantia a Deo in benedictionibus dulcedinis præventa, ita ut primo nata [2] cum videretur jam spiritum exhalare, eam presbytero sancto et justo viro jam missam celebraturo, cum festinatione offerrent baptizandam. Qui cum eam baptizasset, prophetico ore, ut pie credimus dixit: « Quid timetis? puer hic nequaquam morietur, sed sanctus et religiosus homo erit, et Deus in eo multa mirabilia operabitur, diesque vitæ suæ in senectute bona consummabit ». Quod autem baptismus ejus ita acceleratus est inde fuit, ut ipse Christus eidem postmodum revelavit, ut absque mora ejus anima Deo templum dedicaretur, eamque ex utero matris totaliter inhabitando sua gratia possideret.

Ad baptismum Mechtildis primo nata rapitur. Pia de hoc prophetia.

Cum vero esset annorum septem, mater ejus die quadam cum infantula claustrum adiit, quod erat prope castrum cui parentes ejus [3] præerant; in quo contra matris voluntatem cum magno gaudio mansit, per seipsam

1. Mechtildis nomine. *Cod. Guelferb.*

2. Ex variis argumentis concludimus B. Mechtildem natam esse anno Domini MCCXLI.

3. Nobiles de Hackeborn.

Septennis inter Helftenses Sorores assumitur.

rogans Sorores sigillatim ut eam in suum consortium assumerent; nec postea minis aut blanditiis parentum inde poterat amoveri. Statimque miro modo cœpit in Dei amore et devotione fervere, spiritusque ejus melliflua suavitate crebro in Deo exultare. Proficiens ergo de die in diem, omnium virtutum summam apprehendit. Eratque miræ dulcedinis, homo magnæ humilitatis, multæ patientiæ, veræ paupertatis amatrix, eximii fervoris et devotionis; et maxime in charitate proficiens quantum ad Deum et homines; omnibus se amabilem et habilem exhibebat; zelo etiam pietatis super tribulatos et tentatos mirabiliter movebatur, et eis sicut vera mater in omnibus solamen et auxilium ministrabat, ita ut quicumque ad eam accessisset, consolatus rediret aut instructus. Ab omnibus nimium amabatur, eique sociari quælibet affectabat, ut etiam ex hoc multa impedimenta videretur habere.

Ante annum ejus quinquagesimum ipsi revelata non hic consignantur.

In his autem cœpit ei Deus admodum familiaris effici, etiam cum valde juvenis esset, et multa secretorum suorum ei mysteria revelare. Sed hæc quæ in tali ætate Deus eidem ostendit, usque ad annum ejus quinquagesimum exemplo evangelico subticemus, quod etiam Domini facta usque ad annum tricesimum non manifestat.

Dominus per varios morbos continuat illi flagella sua.

Denique in omnibus tam copiose eam Deus sua perfuderat gratia non solum spirituali et gratuita, sed etiam naturali, et gratis data, scilicet in scientia et in intellectu, in litteratura, in vocis sonoritate [1], ut in omnibus claustro perutilis haberetur, ac si Deus in ea donorum suorum nihil foret oblitus. Insuper benignus Dominus etiam flagella sua in ea sic continuabat, ut dolore capitis aut vitio lapidis, et etiam nimio calore jecoris, pene frequenter laboraret. Quæ omnia libentissime et lætissime suscipiens, hoc solum infer-

1. B. Mechtildis fungebatur in monasterio officio Cantricis, et in libro Gertrudiano per istam qualitatem distinguitur.

nalem pœnam reputabat, quod gratiæ Dei melliflua dulcedine pro cordis sui desiderio frui non poterat, nec unione illa felici, qua anima unus cum Deo efficitur spiritus, dilecto suo pro viribus sedulo poterat inhærere. [Reliqua virtutum hujus Virginis insignia habes in fine totius libri hujus descripta [1].]

---

## CAPUT PRIMUM.

### DE ANNUNTIATIONE B. MARIÆ VIRGINIS ET DE CORDE DOMINI ET LAUDE EJUS.

ANNUNTIATIONIS Dominicæ die, Christi Virgo posita in oratione, cum peccata sua in amaritudine animæ recogitaret, vidit se vestitam cinericio indumento. Incidit etiam menti ejus verbum illud : *Et erit justitia cingulum lumborum ejus* (ISAI. XI. 5). Cœpitque cogitare quid esset factura cum Dominus majestatis, justitia accinctus, veniret in potestate suæ divinæ potentiæ, eo quod tam negligens fuisset ; quia quanto sanctior homo est coram Deo, tanto se reputat inferiorem omnibus et viliorem, et quo mundior est conscientia a peccato, eo plus timet et præcavet ne Dei incurrat offensam. Cumque in tali persisteret contritione, vidit Dominum Jesum in solio sublimi sedentem ; in cujus aspectu mellifluo cinis ad nihilum est redactus, stabatque in ejus præsentia rutilans velut aurum. Tunc cognovit quod omnia bona quæ neglexerat, sanctissima Christi conversatione et operibus ejus perfectissimis essent impleta, omnisque ejus imperfectio Filii Dei perfectione altissima perfecta. Cum enim Deus oculo misericordiæ animam respicit, et se ad miserandum illi

Cognoscit sua imperfecta Filii Dei perfectione completa.

1. *Cod. Vindob.* Require infra, p. v. c. 32.

inclinat, cuncta ejus crimina perpetuæ oblivioni traduntur. Itaque cum a Deo tam eximium percepisset donum, scilicet omnium peccatorum remissionem et omnium meritorum suppletionem, exinde securitate accepta et audacia, reclinavit se in sinum dilectoris sui Jesu, multiplices prætendens gestus præ amoris magnitudine, ineffabilis dulcedinis verba cum Domino loquebatur.

Viditque de Corde Dei procedere fistulam auream per quam Dominum collaudabat. Tunc orabat Dominum ut suimetipsius laus effici dignaretur. Et statim audivit vocem illam dulcisonam summi Cantoris Christi sic intonantem : *Laudem dicite Deo nostro, omnes Sancti ejus* (Apoc. xix, 5) [1]. Et cum illa miraretur quomodo ipse Deus hoc posset decantare, inspiratum est ei divinitus in hoc verbo *laudem*, qualiter Deus laudat se in seipso laude perfecta sine fine. In hoc autem verbo *dicite*, agnovit quod Deus de sua divina virtute tribuit potestatem animæ omnes creaturas, quæ in cœlo et in terra sunt, ad laudem invitare sui Creatoris. In hoc quoque verbo *Deo nostro*, intellexit quod Filius, in quantum est homo, Deum Patrem reveretur, sicut ipse dixit : *Deum meum et Deum vestrum* (Joann. xx. 17). In hoc verbo *omnes Sancti ejus*, cognovit quod omnes sanctificati in cœlo et in terra, ab ipso summo sanctificatore Christo sanctificantur.

Qualiter Dominus seipsum laudat.

Vidit etiam beatam Virginem a dextro latere Filii sui zonam auream trahentem plenam cymbalis aureis, per omnes ordines Angelorum et choros Sanctorum. Qui singuli tangentes cymbala sonum reddebant mirificum, laudantes Deum pro anima illa in omnibus donis et gratiis, quas large perfecerat in ipsa; et anima cum ipsis totis viribus pro seipsa Deum collaudabat. Dominus autem advocans animam, manus suas ponebat ad manus animæ, donans illi omnem laborem et exercitatio-

1. Antiphona in festo Omnium Sanctorum.

nem operum, quæ in sua sanctissima humanitate perfecit. Deinde oculos suos benignissimos animæ oculis applicuit, dans illi exercitationem sanctissimorum oculorum suorum et lacrymarum effusionem copiosam: Dehinc aures suas animæ auribus adaptans, dedit illi omnem aurium suarum exercitationem. Post hæc os suum roseum ori animæ imprimens, tradidit illi exercitationem laudis, gratiarum actionis, orationis et prædicationis, in suæ negligentiæ supplementum. Postremo Cor suum mellifluum cordi animæ adunavit, tribuens illi omnem exercitationem meditationis, devotionis et amoris, omnibusque bonis abunde ditavit. Sicque anima tota Christo incorporata et amore divino liquefacta, tamquam cera a facie ignis, totaque absorpta in Deo, sicut cera sigillo impressa, similitudinem illius prætendit. Sic beata illa anima tota cum dilecto unum est effecta.

Unio operum et meritorum Domini cum operibus animæ.

### DE EVANGELIO *Missus est* ET DE B. VIRGINE.

Cum autem Evangelium *Missus est*[1] (Luc. 1. 26) legeretur, vidit Archangelum Gabrielem beatæ Virginis pædagogum venientem, habentem regium vexillum aureis litteris inscriptum; quem sequebatur innumerabilis Angelorum multitudo, qui omnes ordinaverunt se circa domum in qua gloriosa Virgo erat, tamquam murus, a terra usque ad cœlum, ita videlicet, ut infra Angelos Archangeli, infra quos Virtutes, deinde cæteri Angelorum ordines, ita ut quilibet ordo domum illam circumdaret quasi murus: post hæc Dominus procedens tamquam sponsus de thalamo, præ filiis hominum speciosus, cum ignito choro Seraphim qui Deo sunt proximi. Hi Dominum Jesum et beatam Virginem giraverunt a terra usque

1. In festo Annuntiationis B. V. M.

ad cœlum in modum muri et tecti. Dominus autem stabat secus vexillum Archangeli, ut floriger sponsus et delicatissimus juvenis, expectans quousque Angelus Gabriel præclaram Virginem salutasset reverenter. Postquam vero beata Virgo se in abyssum humilitatis immersit dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* statim Spiritus Sanctus in columbæ specie, expansis alis suæ dulcedinis divinæ, intrabat animam Virginis, feliciter ei obumbrans, et Filio Dei eam fœcundans, mirabiliter [1] matrem nobili onere fecit gravidam et Virginem permanere intactam. Sicque Virgo mater Dei et hominis est effecta Spiritu sancto teste [2].

Cum autem instaret tempus nobilissimi convivii quo ipsa dilectum animæ suæ percepisset in sacramenti Corporis et Sanguinis communione, audivit eum sibi dicentem : « Tu in me et ego in te, et in æternum non derelinquam te. » Illa autem nihil aliud quam Dei laudem totis præcordiis affectabat. Cui Dominus Cor suum divinum dedit in similitudinem scyphi aurei miro modo decorati [3], dicens ei : « Per Cor meum divinum semper me laudabis : vade et propina omnibus Sanctis de Corde meo poculum vivum, ut inde feliciter inebrientur. » Tunc accessit ad Angelos propinans eis poculum illud salutare. Ipsi vero ex hoc non biberunt, sed tamen inde sunt refecti. Deinde ad Patriarchas et Prophetas, quibus propinavit dicens : « Accipite quem desiderastis et tanto tempore adoptastis ; et facite me ad ipsum totis viribus ferventer anhelare, et post eum jugiter die noctuque suspirare. » Post hæc ad Apostolos dicens : « Accipite quem toto corde tam ardenter amastis, et facite me ipsum super omnia intimis cordium

Dominus Cor suum tradit animæ, ut de illo Sanctos reficiat.

1. *Cod. Vind.* nobilem.

2. Ita Codd. Vind. Guelferb. et San-Gall. Quibus consonat versio vetus germanica (Lips. 1503) *ausgezeugniss des heiligens Geistes.* Alias, *cooperante.*

3. Cf. *Legatus,* lib. III. c. 46.

medullis ferventer amare. » Dehinc ad Martyres dicens : « Ecce pro cujus amore sanguinem vestrum fudistis et corpora morti tradidistis; et impetrate mihi omnes vires meas in ejus expendere servitio. » Ad Confessores vero accedens ait : « Accipite pro quo omnia reliquistis et delicias mundi sprevistis, et facite me pro ejus amore omnia terrena contemnere, et vere Religionis apicem conscendere. » Ad Virgines autem properans ait : « Accipite cui virginitatem vovistis, et facite me in castitate mentis et corporis perseverare et in omnibus perfecte triumphare.

Virgo quæ nuper decesserat, illam de cœli gaudiis certiorem facit.

Viditque ibi virginem quæ nuper decesserat, quam bene agnoscens quia in terris familiaris sibi fuerat, cum qua conferebat si ita esset ut sibi dixerat dum adhuc viveret; cui illa respondit : « In veritate omnia ita sunt, modo centuplum inveni. » Post hæc rediit ad Dominum, cum ambitum cœlestis palatii circuisset. Qui scyphum illum accipiens in cor animæ posuit, et sic Deo feliciter est unita.

---

## CAPUT II.

### QUALITER BEATA VIRGO SALUTETUR.

In Adventu Domini cum gloriosam Virginem Mariam cuperet salutare, sic a Domino est edocta : « Saluta, inquam, virgineum cor matris meæ, in affluentia omnium bonorum in quibus hominibus perutile fuit : scilicet quod fuit purissimum ; unde prima votum virginitatis emisit. Secundo humillimum ; quia præcipue meruit de Spiritu Sancto concipere. Tertio devotissimum et desiderantissimum ; quia suo desiderio me sibi intraxit. Quarto ferventissimum, in amore ad Deum et ad proximum. Quinto fuit conservantissimum, dili-

genter omnia conservans quæ in infantia, pueritia et juventute peregi. Sexto patientissimum, in mea passione, quæ maxime cor ejus per jugem memoriam pertransivit. Septimo fidelissimum, quia me unicum suum pro mundi redemptione voluit immolari. Octavo, in orationibus maxime sollicitum, pro Ecclesia novella jugiter intercedens. Nono, in contemplatione sedulum, suis meritis hominibus gratiam impetrando.

---

## CAPUT III.

### DE QUADRUPLICI VOCE DEI.

DOMINICA *Populus Sion* [1], dum cantaretur *auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ*, desideravit scire quæ esset vox gloriæ Domini, et ait Dominus : « Hæc est vox gloriæ meæ, cum anima ex amore magis quam timore pœnitens dolet de peccatis suis, et a me audire meretur : *Remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace* (LUC. VII. 48. 50). Statim enim ut homo de his quæ perpetravit dolet et pœnitet veraciter, omnia peccata sibi plene dimitto, et eum in gratiam meam, ac si nunquam peccaverit, suscipio. Secundo, vox gloriæ meæ est, cum anima per intimam orationem aut contemplationem mihi unita audit a me : *Veni, amica mea, ostende mihi faciem tuam* (CANTIC. II). Tertio, cum anima de corpore egressura a me dulciter ad requiem sic invitatur : *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum* [2]. Quarto, in die judicii hæc gloria vocis meæ erit, cum omnes ab æterno electos et ad regnum decoris et gloriæ vocatos gloriosissime

1. Dominica II Adventus.
2. Antiphona de Officio Virginum.

convocabo dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* » (MATT. XXV. 34.)

---

## CAPUT IV.

### CUR FACIES DOMINI SOLI COMPARETUR.

IN Missa *Veni et ostende* [1], cum pro omnibus oraret qui Dei faciem toto corde desiderarent, vidit Dominum in medio chori stantem, cujus facies, velut mille soles radians, singulas personas solari radio illustrabat. Illa vero perquirente cur facies ejus solarem speciem præferret, ille respondit : « Quia sol tres habet proprietates in quibus mihi similari videtur : scilicet, quod calefacit, fructificat, et illuminat. Sol enim calefacit : sic mihi appropinquantes amore incalescunt, et sicut cera a facie ignis, ad meam præsentiam eorum corda liquescunt. Sol etiam omnia fructificare facit : sic mea præsentia animam virtuosam efficit et in bonis operibus fructuosam. Est etiam illuminans : sic omnem ad me venientem lumine divinæ cognitionis illustro. »

Facies Domini calefacit, fructificat et illuminat.

Post hæc recolens versum istum : *Exultavit ut gigas ad currendam viam* [2] (PSAL. XVIII. 6), dixit ad Dominum : « Mi Domine Deus, quid in his verbis Prophetæ inspirasti ? » Cui Dominus statim apparuit stans in cœlo velut juvenis procerus, agilis et valde decorus, præcinctus cingulo ex rubeo, viridi et albo serico facto, et ait : « Qui longam et difficilem viam cursurus est, oportet ut forti cingulo altius se cingat, ne ves-

1. Sabbato Quatuor Temporum Adventus.
2. Antiphona ad Communionem in eadem Missa.

tes iter ejus impediant. Sericum rubeum, cum bonum est, fortius est alio : sic passio mea omni martyrio validior fuit. Ipsa enim omnium martyrium usque in finem sæculi roboravit, et virtutem constantiæ et perseverantiæ tribuit. Viride et album sericum etiam alio fortius est : sic innocentia humanitatis meæ et virtuosa conversatio mea omnium innocentiam et vitæ meritum est supergressa. Hoc cingulo humanitatis et passibilitatis me fortius et altius accinxi, decurtans longitudinem æternitatis in brevi et temporali vita humanitatis, exultans ut gigas in fortitudine sua, cum illam difficilem et gravissimam viam cursurus eram, redemptionem humani generis peracturus. Quisquis etiam pretiosum et magnum thesaurum portat, arctius se accingit ne ipsum perdat. Ita ego nobilem thesaurum, hoc est, animam hominis portans, diligentius me cinxi, quia omnium salvandorum animas ineffabili amore et desiderio in Corde meo incessanter portavi. »

Dominus ut cursor se humanitatis cingulo cinxit.

Cum autem Conventus accederet ad communionem, vidit Dominum quasi regem permagnificum loco sacerdotis stantem; ad quem singulæ accedentes lampades ardentes coram se tenebant, quæ lumine suo facies earum illustrabant. Intellexitque per Spiritum Sanctum, lampades illas significare corda accedentium; liquorem in eis, pietatem divini Cordis quæ communicantes influit; flammam, charitatis ardorem; quia sacramentum illud sacrosanctum se digne sumentibus pietatem ad omnia valentem infundit et in Dei amore accendit.

---

## CAPUT V.

### IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

In Vigilia dulcissimæ Nativitatis Jesu Christi Filii Dei, Conventu eunte ad Capitulum, vidit multitudinem Angelorum

cum luminaribus binos et binos singulis personis ministrantes. Dominus autem loco Abbatissæ in throno eburneo residebat [1], de quo fluvius limpidus cum impetu effluens ad primum *Miserere mei Deus* singularum facies abluebat; ad secundum *Miserere*, singulæ ad Dominum accedentes, offerebant ei preces suas quas illa hora pro Ecclesia effundebant. Ad tertium, Dominus aureum calicem habens animabus propinabat, quarum mentionem in oratione Sorores tunc faciebant; et ait Dominus: « Hoc Capitulum hic singulis annis teneo. »

Dominus Capitulo loco Abbatissæ præest.

DE CHRISTI NATIVITATE MELLIFLUA.

In sacratissima nocte mellifluæ Nativitatis Christi, visum est sibi quasi esset in monte petroso in quo beata Virgo vicina partui sedebat. Et cum tempus instaret pariendi, beatissima Virgo ineffabili lætitia et jubilo replebatur; circumfulsitque eam lux divina, ita ut cum stupore cito surgeret et infinita humilitate procedens, se in gratiarum actione usque in terram reclinaret. Eratque sic attonita ut nesciret quid sibi esset, donec puerum haberet in gremio præ filiis hominum speciosum. Tunc ineffabili gaudio et ferventissimo amore infantem assumens tria sibi oscula dulcissime infixit, ex quibus beatissimæ Trinitati in tantum unita est quantum unquam homini possibile fuit uniri Deo sine personali unione. Per hunc montem spiritualis habitus præfigurabatur, qui durus et asper in hoc sæculo videtur, quem Christus cum matre sua primi ostenderunt, hominibusque exemplum veræ Religionis tradiderunt.

Christo nato mater tria infigit oscula.

Anima vero, ut sibi videbatur, juxta beatam Virginem re-

1. Cf. *Legatus*, lib. IV. c. 2.

sidebat, magno cupiens desiderio etiam amabilem infantulum osculari. Virginea autem mater postquam Filium suum dulcissime amplexata fuerat et allocuta, tradidit ipsum animæ amplexandum. At illa cum ineffabili amore puerum suscipiens cordi suo ipsum impressit, his verbis quæ nunquam ante cogitaverat puerum salutans : « Salve, paterni cordis medulla dulcissima, languentis animæ meæ sagina et refectio beatissima. Tibi offero cordis et animæ meæ medullam in æternam laudem et gloriam ». Intellexitque divinitus inspirata qualiter Filius est medulla paterni cordis ; et sicut medulla confortativa, sanativa et dulcissima est, ita Deus Pater Filium suum, qui virtus ejus est et dulcedo suavissima, nobis donavit in propugnatorem et sanatorem, et dulcissimum consolatorem. Medulla vero animæ est gaudium illud dulcissimum quod anima a solo Deo per amoris infusionem sentire meretur, quo omnia terrena illi vere desipiunt, cui omne mundi gaudium, etiamsi in unum transfusum esset hominem, non potest comparari. A facie quoque pueri quatuor splendebant radii, qui quatuor mundi partes implebant ; per quos figurabatur sanctissima Christi conversatio, et ejus doctrina quæ mundum illustravit universum.

Filius est quasi medulla Patris, cui offertur medulla animæ.

### ITEM DE NATIVITATE DOMINI ET DE AMORE.

Item cum Missa *Dominus dixit ad me* [1], in memoriam et reverentiam illius occultæ et ineffabilis Christi ex Patre Deo æternæ Nativitatis cantaretur, visum est sibi quasi videret Deum Patrem, ut regem præpotentem, in tentorio valde mirabili, in throno eburneo sedentem et animæ dicentem : « Veni, et accipe coæternum et unigenitum cordis mei Filium et

1. In nocte Nativitatis Domini.

communica eum omnibus qui devota gratitudine modo ejus altissimam et æternam ex me generationem venerantur. » Viditque de corde Dei splendorem procedere qui cordi animæ in similitudine infantuli perlucidi adhæsit, quem illa his verbis salutavit : « Salve, splendor æternæ gloriæ », etc. Post hæc puerum singulis personis circumferens unicuique eum dabat ; mansitque cum singulis, et tamen nihilominus eum supra cor suum ipsa portabat. Puer autem supra pectus singularum se reclinans, corda earum tribus vicibus sugendo osculabatur. Primo, esuxit omne desiderium earum ; secundo, bonam voluntatem ; tertio, omnem laborem quem in cantu, inclinationibus et vigiliis cæterisque spiritualibus exercitiis perfecerant, sibimet sugendo intraxit. Agnovitque Deo valde acceptum fore quod homines, licet divinam et ineffabilem Filii Dei a Patre generationem cognitione attingere non valeant, pia tamen credulitate congaudentes, laudibus quibus possunt eam extollunt.

Mechtildis Jesum infantulum accipit et præbet osculandum cæteris.

Ad Evangelium, *Exiit edictum*, videbatur sibi quod Deus Pater diceret ei : « Vade ad virgineam matrem Filii mei, rogans ut det tibi Filium suum cum omni gaudio quod habuit cum ipso cum eum genuit, et cum omni bono quo eum sibi et toti mundo in salutem donavi. » At illa veniens, invenit puerum in præsepio reclinatum, et pannis involutum, dixitque infans : « Cum primo nascerer in mundum, mox pannis et fascia ligatus fui, ita ut me movere non possem ; in signum quod me totum cum omnibus bonis quæ de cœlo mecum attuli, dedi in hominis potestatem et ejus summam utilitatem. Qui enim ligatus est nullam habet potestatem, nec se defendere in aliquo valet, eique auferri potest omne quod habet. Similiter de mundo egrediens, cruci sic affixus fui, ut me omnino movere non possem ; in signum quod omnia bona quæ in humanitate peregi, homini dereliqui. Omnem namque conversationem meam, necnon omnia

Jesus fascia ligatus in hominis potestatem se dedit.

bona mea tam divina quam humana, et passionem meam totaliter homini contuli. Unde jam fidenter auferre mea potest, et hoc mihi desiderabile est, ut bonorum meorum utiliter perfruatur. »

Videbatur etiam sibi quod amor in specie virginis cum beata Maria resideret, cui et ait : « Eia amor dulcissime, doce me congruum obsequium huic pernobili puero exhibere. » Cui amor : « Ego, inquit, prima virgineis manibus eum tractavi, pannis involvi ; ego cum virgineis uberibus cum matre ipsum lactavi, gremio fovi, et omnia humanitatis obsequia cum matre exhibui, et adhuc servio incessanter. Quisquis ergo illi digne voluerit ministrare, me in sociam accipiat, hoc est, omnia in unione amoris quo Deus humanam in se naturam accepit, faciat, et sic quidquid agit, Deo gratissimum erit. »

Qui digne voluerit Domino ministrare amorem in sociam accipiat.

## DE QUATUOR PULSIBUS CORDIS CHRISTI.

Et dum Missa *Lux fulgebit*[1] cantaretur, ineffabili cognitione illuminabatur ; intellexitque qualiter Filius Dei esset illa lux, et quomodo totum mundum omnemque hominem in sua lucifera nativitate illustrasset. Agnovit etiam qualiter in tantillo infantulo totius plenitudo divinitatis habitaret, et quomodo omnipotens virtus Dei corpusculum illud, ne totum dissiparetur, contineret ; item qualiter inscrutabilis Dei sapientia in eo latitabat, quia tantæ erat sapientiæ in præsepi jacens, quantæ jam est in cœlo regnans ; et qualiter dulcedo et amor Spiritus Sancti illi infantulo tota erat infusa, ita ut quod anima inde sentiret, inenarrabile et supra humani sensus capacitatem foret.

Tunc anima accipiens puerum, et amplexibus stringens, cordi suo impressit ita, ut audiret et sentiret pulsum Cordis

1. In Aurora Nativitatis Christi.

ejus. Habebatque insimul uno impetu tres validos pulsus [1], et post hoc unum lenem pulsum. Super quo dum anima miraretur, ait ad eam infans : « Pulsus Cordis mei non erant ut cæterorum hominum, sed semper tales habui pulsus ab infantia mea usque ad mortem, indeque factum est quod tam cito moriebar in cruce. Primus pulsus provenit ex omnipotenti amore Cordis mei, qui ita erat prævalens in me, quod omnia mundi adversa et Judæorum sævitiam suavi corde et patienti devici. Secundus venit ex sapienti amore, quo me et omnia mea tam laudabiliter regebam, et in quo omnia quæ in cœlis et in terris erant sapientissime ordinabam. Tertius, ex dulci amore qui tam valenter me penetravit, quod omnia mundi hujus amara mihi fecit suavia, imo ipsam mortem amarissimam pro hominum salute fecit mihi amabilem et prædulcem. Quartus pulsus, qui lenis erat, humanitatis meæ benignitatem figurabat, quæ me omnibus amabilem et sociabilem ac imitabilem faciebat. »

Anima sentit et intelligit Cordis divini mirabiles pulsus.

Inter Secretum vero docuit eam Dominus dicens : « Cum primo *Sanctus* canitur, legat homo unum *Pater noster*, orans quatenus cum omnipotenti et sapienti, dulci et benigno amore Cordis mei eum præparem illa hora, ut dignus sit me suscipere spiritualiter in anima sua, ut operer et perficiam in eo omnia quæ ab æterno disposui, secundum beneplacitum meæ divinæ voluntatis. Inter Complendam [2] vero et Collectam legat hunc versum : Laudo te, o amor fortissime ; benedico te, o amor sapientissime ; glorifico te, o amor dulcissime ; magnifico te, o amor benignissime ; in omnibus et pro omnibus bonis quæ tua gloriosissima divinitas et beatissima humanitas operata est in nobis per nobilissimum in-

Laudat anima amorem per Cordis divini instrumentum in nobis operantem.

1. Cf. infra, part. v. c. 45. et S. Gertrudem, lib. III. 51. 52. lib. IV. c. 4.

2. Complenda est ultima Missæ Collecta quam nunc vocamus *Postcommunionem*.

strumentum Cordis tui, et operabitur in sæcula sæculorum. Amen. Tunc ego ad benedictionem sacerdotis taliter ipsum benedicam : Benedicat te mea omnipotentia, instruat te mea sapientia ; repleat te mea dulcedo ; attrahat te et uniat mecum mea benignitas sine fine. Amen. »

### ITEM DE CHRISTI NATIVITATE.

Diversa quæ in nativitate Christi occurrerunt Mechtildi revelantur.

Item in solemnitate Nativitatis Christi visum est sibi quasi beata Virgo supra montem sederet, habens in gremio puerum pulcherrimum. Dixitque ad illam : Mi Domina, ubinam sumus modo ? » Quæ respondit : « In monte Bethleem. Hæc namque civitas in monte sita erat, unde et in Evangelio legitur : *Ascendit autem et Joseph*, etc. (Luc. II. 4.) Diversorium vero illud in quo peperi Christum infra civitatem erat, in fine juxta unam portarum, ideoque et Dominus dicitur esse in Bethleem natus. » Et illa : « Quomodo, inquit, tunc pastores ad puerum nocte venire poterant ? » Respondit : « Ex abundantia pacis qua tunc homines gaudebant tam securi erant. Insuper propter hospitum supervenientium frequentiam portæ non claudebantur ». Et illa : « O Domina, cur nec lectum nec aliud commodum habuisti ? » Respondit : « Nec fuit mihi necessarium, cum sine omni dolore filium innocentem generarem. » Tunc anima : « Cum ergo parentes et amici tui gratia visitandi te, ad te venirent, quid, o paupercula sed cœli regina, habebas eis ministrare. » Respondit : « Non ego eis necessaria ministrabam, quia ipsi secum quæ necessaria erant deferebant. » Item interrogabat eam quo cibo Filium suum, postquam ablactasset eum, enutrisset. At illa : « Pulmentarium de vino et albo pane sibi paravi. » Cogitanti etiam si, postquam de Ægypto rediens in Nazareth venisset, ali-

quam societatem cum parentibus suis Dominus habuisset, puer ita respondit : « Unde putas quod in Evangelio dicatur : *requirebant eum inter cognatos et notos* (Luc. II. 44), nisi quod cum eis quandoque conversabar ? Unde etiam putas quod Joannes Evangelista a me de nuptiis vocatus tam cito me secutus est, nisi quia conversatio mea et mores, quos sæpe expertus erat, sibi complacuerunt, et ideo de facili imitari me sibi poterat persuaderi. ? »

Cognatos et notos frequentare studebat Christus.

---

## CAPUT VI.

### DE SANCTO JOANNE APOSTOLO ET EVANGELISTA.

In festo sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ, cum Matutini primo pulsarentur, videbatur sibi quod puer Jesus, velut juvenis annorum decem, Sorores cum magno gaudio excitaret. Sanctus quoque Joannes etiam in dormitorio visus est ab eadem, stans ante lectum cujusdam personæ quæ ipsum valde diligebat. Angelus vero unus magnificus nimis et venerandus, qui erat de Seraphim, cum lumine Joannem obsequendo præibat, comitante eum innumera Angelorum multitudine, qui omnes in sancti Joannis obsequio aderant, et Sorores cum luminaribus in chorum ducebant. Illæ autem quæ ex amore hilariter surgebant multo majorem gloriam habebant quam cæteræ, quæ ex timore hoc faciebant. Angelus vero ille principalis ideo obsequium sancto Joanni præbebat, quia Dominum amore seraphico diligebat in terris. Intellexit etiam quod idem Angelus adhuc omnium cordibus, qui sanctum Joannem diligunt ob reverentiam præcipui amoris quo eum Christus dilexit, amorem ad hoc ministrat, et quod Dei spiritus adhuc homines in ejus incitat amorem.

Unus ex Seraphim, qui olim Joanni, nunc animabus amorem Dei ministrat.

Intra Matutinos autem sanctus Joannes chorum circumiens, calicem singularum ori apposuit, congregans in eo devotionem et intentionem psallentium, quam Christo lætus propinavit. Cogitanti autem et scire cupienti quid meriti sanctus Joannes pro eo haberet, quod evangelium de Christi divinitate cæteris altius sentiens conscripsisset, hoc a Deo responsum audivit : « In omnibus sensibus quamdam eminentiam præ cæteris obtinet Sanctis : oculi enim ejus inaccessibile lumen divinitatis clarius intuentur; aures vero ejus dulce susurrium Dei subtilius intelligendo penetrant. Os quoque et lingua ejus ineffabilis sentit dulcedinis gustum, tantæque suavitatis odor ex ore ejus spirat qui totum cœlum replet, ut quilibet Sanctus odorem sancti Joannis suaviter sentiat. Cor insuper ejus singulari deliciositate in divinitatis amore ardet, et volatu liberiori et sublimiori divinæ altitudinis arcana pervolat.

Quadam præ cæteris eminentia gaudet Joannes propter suum Evangelium.

Videbatur etiam sibi Joannis gloriam se videre, super qua omnia verba quæ de Christo et ejus divinitate scripserat, et quæ alii Sancti et Doctores Ecclesiæ de verbis suis ultra conscripserant vel prædicaverant, velut stellæ apparebant, et velut si radians sol, per crystallum lucens, desuper gemmis optimis fulciretur. Videbatur quoque sibi quod de Joanne canitur : *Lavit in vino stolam suam* [1], hoc esse, quod singulari gloria in ejus stola appareret quod Christo pendenti in cruce tanto compassionis affectu adstitit, quod exinde mentis martyrium pertulit. *In sanguine olivæ pallium suum,* intellexit quod sicut oleum lucet, ardet et lene est, sic in sancto Joanne fer-

Cum Christo pendenti in cruce adstitit mentis martyrium pertulit.

1. Cf. Genes. xlix. 11. Ex Responsorio in II Vesp. festi S. Joannis, quod in Halberstadensi illius ætatis Breviario talibus constat : « *Vox tonitrui tui, Deus, in rota; Joannes est Evangelista, mundi per ambitum prædicans lumen cœlicum; qui triumphans Romæ lavit in vino stolam suam, et in sanguine olivæ pallium suum. Alleluia.* ℣. *Victo senatu cum Cæsare, virgineo corpore tripudiat in igne.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

vor amoris claruit, et specialiter mitis et lenis corde fuit.

Tunc ista orationes cujusdam personæ sancto Joanni devotæ, ut rogata fuerat, ipsi obtulit; quas ille gratanter acceptans ait : « Ex omnibus his quæ mihi obtulit, sanctis omnibus convivium præparabo. » Et ista : « Quid, inquit, illi mandabis? » Respondit : « Ego custos virginitatis ejus volo esse, et in omnibus quæ eam tribulant vel impugnant, ad me tutum habeat refugium, et in exitu ejus sibi adstare volo, et animam ejus illæsam Christo dilectori suo præsentare [1]. »

## DUODECIM PRIVILEGIA BEATI JOANNIS EVANGELISTÆ.

Item vidit sanctum Joannem Evangelistam supra pectus Domini Jesu pausantem, et multitudinem Sanctorum circa Dominum, quasi choream ducentem et Christum pro Joanne laudantem. Tunc orabat Dominum, ut et se instrueret qualiter pro tam dilecto discipulo ipsum laudaret. Cui Dominus : « Primo me laudabis pro nobilissima ejus progenie, quia natus est de mea parentela, qua sub cœlo nobilior non est. Secundo, quod de nuptiis ipsum ad meum vocavi apostolatum. Tertio, quod claritatem meæ faciei præ cæteris meruit in monte contemplari. Quarto, quod in ultima cœna supra pectus meum meruit pausare. Quinto, quod intellectum cognitionis præ cæteris habuit ; unde orationem illam, quam in monte Oliveti oravi, hominibus meruit conscribere. Sexto, quod matrem meam ipsi singulari amore servandam in cruce commendavi. Septimo, quod post resurrectionem ipsum speciali cognitione illuminavi, qua hic præ cæteris solus me agnovit, cum discipuli in mari laborarent, et ipse dixit : *Dominus est.* (Joann. xxi. 7.) Octavo, quod singulari prærogativa

Quænam in cœlis privilegia Joanni tribuuntur pro suis operibus.

1. Nonne ista persona fuit sancta Gertrudis, beatæ Mechtildis familiarissima, cui adstitit in exitu sanctus Joannes?

familiaritatis mysteria mea illi revelavi, cum scripsit Apocalypsim, et divina meruit inspiratione dicere: *In principio erat Verbum* (Joann. i. 1.); quod nec propheta nec aliquis alius antea novit. Nono, quod pro nomine meo venenum hausit. Decimo, quod signa multa in nomine meo fecit, et mortuos suscitavit. Undecimo, quod tam dulciter ipsum visitavi et ad convivium meum cum suis fratribus invitavi. Duodecimo, quod ipsum ab omni dolore carnis liberum cum gloria de hoc exilio ad gaudium perduxi sempiternum. »

### ITEM DE SANCTO JOANNE.

Familiaritas inter B. Virginem et sanctum Joannem.

Alia vice inter Evangelium vidit eumdem discipulum juxta altare stantem, et librum sacerdoti tenentem, et omnia verba Evangelii velut radios de ore ejus procedentes. Vidit etiam beatam Virginem ex altera parte altaris stantem, et ex oculis sancti Joannis radium miri splendoris in faciem Virginis tendentem. Quod dum illa miraretur, scire cupiens quid per hoc designaretur, ait sanctus Joannes : « Dum essem in terris, genitricem Domini mei in tanta reverentia et honore habui quod ejus faciem nunquam prospicere ausus fui. » Et illa : « Quo nomine eam vocabas? » Respondit : « Vrowe mumme [1]. »

---

## CAPUT VII.

### QUALITER PRO CONGREGATIONE ORAVIT, ET DE SPIRITUALI CIRCUMCISIONE.

In sancta nocte Circumcisionis Domini, cum Sororum orationes et devotionis obsequium Deo offerret, orans ut novi

1. Quod interpretandum : *Domna amita.*

anni benedictionem eis conferre dignaretur, Dominus respondit: « Salus et benedictio sit vobis a Deo Patre meo, et a me Jesu Christo Filio ejus, et a Spiritu Sancto, qui est omnium operum vestrorum sanctificatio. Ego sum ille de quo scriptum est : *Anni tui non deficient*. (Ps. CI. 28.) *Transite ergo ad me omnes qui concupiscitis me* (ECCLI. XXIV. 26.) Et, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. (MATTH. XI. 28.) Quia omnis qui requiem cordis et corporis consequi desiderat, oportet ut mitis sit et humilis. » Et adjecit : « Qui vitam suam cupit innovare, faciat more sponsæ quæ a sponso novi anni munuscula maxime accipere affectat. Sic anima fidelis novis indumentis a me vestiri desideret, quatenus per anni circulum in oculis omnium velut regina gloriose procedat. »

Quænam exoptat suis in novi anni benedictione Dominus.

« Primo ergo affectet sibi dari a me purpureum vestimentum, hoc est, humilitatem, ut scilicet in ea humilitate qua de cœlo ad terram veni, in omnibus et ad quæque vilia humiliter se inclinet. Deinde vestem coccineam, id est, patientiam, quia ad hoc humanitatem assumpsi, ut pœnas et opprobria ferre possem, omnia sibi gravia et dura patienter amplexetur. His superinduatur aureo amictu, hoc est charitate, ut in amore quo me in terris omnibus affabilem exhibui et benignum, etiam sororibus suis et omnibus hominibus amicabilem se præbeat et gratiosam. Post circulum vero anni, hoc iterum innovari sibi petat, magis ac magis se in his virtutibus exerceat, et quasi ex novo eas studeat custodire. »

Orante etiam illa ut quæ sibi non placerent in eis circumcideret, Dominus respondit : « Circumcidimini corde ab omnibus cogitationibus superbiæ, impatientiæ, ac etiam mundanæ vanitatis. Circumcidimini ore ab omnibus verbis detractoriis, placentiæ et judicatoriis ; circumcidimini etiam opere, ab otiosis actibus, a tepore boni et a transgressione Dei mandatorum et inobedientia. » In his verbis Domini intellexit magni esse criminis cum homo judicat proximum suum ; et

Circumcisio cogitationum, operum et verborum detractoriorum.

si contingit injuste illum judicare, reus erit tanti sceleris quanti esset ille, si fecisset hoc malum quod de eo judicatur. Quod si homo etiam facit quod de eo dicitur, tamen si judicans nesciens intentionem facientis, secundum cor suum et sensum judicat, tam reus ex ipso judicio erit, sicut ille qui rem ipsam perpetravit, et nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ quam ille promeruit qui hoc malum fecit, et ille subjacebit.

---

## CAPUT VIII.

### DE QUINQUE JANUIS ET DE BAPTISMO DOMINI.

In Vigilia Epiphaniæ, cum solito more in oratione cum Domino confabularetur, vidit quamdam januam miræ magnitudinis, et in ipsa janua quinque januas mirabiliter excisas. Janua vero illa significabat humanitatem Christi. Duæ autem januæ inferiores designabant pedes ejus; quæ habebant columnam in medio in qua scriptus erat hic versus: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, etc.* (Matth. xi. 28.) Vidit etiam ante ipsas januas virginem pulcherrimam, scilicet, misericordiam, quæ introduxit eam; ibique invenit Judicem justum, quem misericordia sibi placavit, et veniam omnium peccatorum impetravit, vesteque innocentiæ ipsam induit; sicque decenter ornata accessit cum fiducia ad januas superiores, per quas significabantur manus Christi. In columna vero januarum erat scriptum: *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ.* (Esdr. iv. 2 [1].) Viditque ibi virginem delicatam, scilicet, benignitatem, quæ introduxit eam ad Regem largientem, qui ipsam omni virtutum varietate de-

Per misericordiam, fiduciam, benignitatem, passionemque Christi ac charitatem ad sponsum anima deducitur.

1. Introitus Feriæ III Pentecostes.

corabat. Taliter adornata confidenter accessit ad superiorem januam qua designabat dulcissimum Cor Jesu Christi, quod in modum scuti aurei foratum erat ; per quod innuebatur victoria qua ipse in Passione triumphavit. In columna vero scriptum erat : *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* (Ps. XXXIII. 6.) Vidit etiam ibi virginem inæstimabili pulchritudine cæteris incomparabilem, scilicet, charitatem; quæ introduxit eam ad sponsum mellifluum, præ filiis hominum forma speciosum, qui eam amplexibus et osculis tamquam sponsus sponsam demulcebat.

In sancta vero nocte, cum Responsorium *In columbæ specie* decantaretur, vidit Dominum Jesum in nivea veste; in quo intellexit quod dum Joannes Christum baptizasset, et Patris vocem audisset, et Spiritum Sanctum in columbæ specie vidisset, Christum in tali forma et habitu vidisse quali eum tres discipuli in transfiguratione in monte conspexerant. Cogitanti autem et scire cupienti si Joannes a Christo etiam baptisma suscepisset, quia dixit : *Ego debeo a te baptizari* (MATTH. III. 14.), dixit ei Dominus : « In eo quod Joannes me tetigit et aquis immersit, baptismum meum ipsi contuli, quia desideravit a me baptizari, et novit se indigere baptismo meo : ideo baptismum christianitatis cum innocentia mea illi tribui. » Et deinde : « Omnibus qui adhuc in nomine meo baptizantur innocentiam meam confero, per quam filii cœlestis Patris efficiuntur. Unde et Pater meus de quolibet baptizato dicit : Hic est Filius meus dilectus, complacens sibi in eo sicut in carissimo Filio. Quod si homo hanc innocentiam peccatis amiserit, per veram pœnitentiam eam recuperare valebit. »

Baptizati innocentiæ Christi participes, et filii Patris efficiuntur.

Et dum cantaretur : *Ipsum audite* [1], dixit ad Dominum :

1. Ex eodem ℟. *In columbæ specie,* prout cantabatur in Helfta et alibi; communiter tamen hæc verba in isto Responsorio non habentur.

« Mi Domine, quid a dilecto Filio tuo audire debemus ? » Cui Dominus : « Audite Filium meum vos ita vocantem : *Venite ad me omnes qui laboratis*(MATTH. XI. 28.)Audite eum vos docentem : *Beati mundo corde*, etc. (MATTH. V. 8.) Audite eum vobis consulentem : *Qui manducat meam carnem*, etc. (JOANN. VI.55.) *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* (JOANN. VIII. 12.) Audite eum præcipientem : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* (IBID. XV. 12.) Audite etiam eum comminantem : *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* (MATTH. VII. 2.) Et iterum : *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus* (LUC. XIV. 27.) Item : *Væ mundo a scandalis.* » (MATTH. XVIII. 7.)

Quænam a Filio Dei sunt nobis audienda et servanda.

Post perceptionem Dominici corporis dixit ad eam Dominus : « Ecce do tibi aurum, hoc est, divinum amorem meum ; et thus, scilicet omnem sanctitatem et devotionem meam ; et myrrham, hoc est, amaritudinem totius meæ passionis. Singula hæc tam proprie tibi do,ut ea quasi tua mihi valeas redonare. Quod dum anima fecerit, eadem duplicata sibi reddo, et si illa iterum mihi obtulerit, quoties hoc fecerit, toties duplicata sibi reddo. » Et hoc est centuplum quod etiam in præsenti homo accipit , et vitam æternam postmodum in futuro. Hæc ergo tria homo singulis annis Deo hoc die posset offerre ; scilicet, suum divinum amorem, puritatem sanctitatis ejus, et fructum suæ passionis.

In Communione dat Christus animæ tria munera.

## CAPUT IX.

### QUALITER CHRISTUS DEFECTUS ANIMÆ SUPPLET.

INTER Missam : *In excelso throno* [1], vidit Dominum Jesum ut juvenem pulcherrimum annorum duodecim, velut regem in altari sedentem, et hæc verba dicentem : « Ecce adsum tota virtute mea divina, ut sanem omnes contritiones vestras. » Illa vero intra se cogitabat dicens : « O si pro te laudes plenas Deo Patri persolveret, hoc multo plus acceptarem. » Cui Dominus : « Quid est affectio divinæ laudis, quam afflictio quædam animæ, cum nequaquam pro desiderio suo Deum collaudare valet ? Similiter desiderium, devotio, oratio et omnis bona voluntas quam habet anima ad quæcumque perficienda bona, sunt quædam contritiones animæ, quas dum ego per meipsam suppleo, omnes ejus contritiones sano. »

Fructus bonæ voluntatis.

### QUOD CHRISTUS IRAM PATRIS MITIGAVIT.

ITEM apparuit ei Dominus Jesus ut puer annorum duodecim, habens tunicam ex viridi et albo colore, dixitque ad Dominum : « Cur, Domine, cum esses duodennis, te primo ostendere voluisti, et in templo inter doctores sedere, et ipsos audire et interrogare, cum, ut credo, sæpius ante ad templum veneris secundum consuetudinem ? » Cui Dominus : « Quia tunc secundum humanam naturam in humanis actibus me cœpi exercere in omni sapientia, de die in

1. Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Duodecimus ætatis annus cuique sit correctionis mali et adeptionis boni initium.

diem proficiens, licet Deo Patri in æterna sapientia essem coæqualis. Sic etiam vos, pueros cum duodecim annos habent, deberetis ipsos ad bonum instruere et de malo seriose corripere : tunc multi non perirent in Religione et in spirituali disciplina. » Et illa : « Quid designat hoc duplex vestimentum tuum ? » Et Dominus : « Per album colorem designatur virginalis puritas meæ sanctissimæ vitæ ; per viridem autem viror quo semper floreo in meipso. » Tunc ait ad Dominum : « Eia, amantissime Domine, et frater, ora pro me Patrem tuum cœlestem. » Qui expandens manus orabat ad Patrem dicens : « *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me,* » etc. (Ps. LXXXVII. 17.) Quod anima audiens timuit diaboli esse figmenta. Ad quam Dominus : « Ego sum, inquit, ille qui iram cœlestis Patris mitigavi, et hominem Deo reconciliavi in sanguine meo ; in me vero transierunt iræ ejus, cum mihi unico Filio suo non pepercit, sed in manus impiorum tradidit. Et ego iram ejus in tantum mitigavi, quod si homo voluerit, nunquam de cætero ira ejus adversus eum acuetur. »

Filius Dei iram Patris in se recepit ut in homines ultra non acuetur.

## ALIUD. DE ARBORE.

De arbore quæ Christum significat, vel potius Ecclesiam.

ALIA vice in Missa visum est quod super altare crevit arbor miræ magnitudinis: altitudo ejus usquead cœlum protendebatur; latitudo vero orbem terrarum replebat ; plena fructibus et foliis infinitis. Altitudo arboris Christi significabat divinitatem ; latitudo autem, perfectissimam ejus conversationem. Fructus vero omne bonum quod prævenit de conversatione et actibus Christi ; folia vero aureis litteris erant inscripta : Christus incarnatus; Christus homo natus; Christus circumcisus ; Christus a Magis adoratus ; Christus in templo præsentatus ; Christus baptizatus ; et sic tota conversatio ejus habebatur in arbore scripta.

Post Evangelium visa est ei scala aurea cujus summitas cœlum tangebat, per quam Regina gloriæ descendens gestabat puerum delicatissimum in ulnis suis, quem super altare ponebat. Vestimenta ejus erant ex argento splendidissimo, rosisque aureis intexto miro modo decorata. Puerulus autem habebat vestimentum viride rubeo colore permixtum. Cumque hostia levaretur, sacerdos ipsum puerum elevabat; et omnia per ipsum fiebant quæ per hostiam fieri debebant.

Visio Christi specie parvuli super altare in Missa oblati.

---

## CAPUT X.

### DE VENERATIONE IMAGINIS CHRISTI, ET DE EJUS CONVIVIO.

Ad excitandam devotionem fidelium in veneratione reverendissimæ imaginis Domini nostri Jesu Christi, Dominica: *Omnis terra*[1] quando Romæ agitur festum Ostensionis ejusdem imaginis, data est sibi talis visio. Vidit igitur Dominum sedentem in monte florido in sede facta de jaspide, ornata auro et lapide rubicundo. Jaspis significabat virorem æternæ divinitatis, aurum vero amorem; lapis rubeus, passionem quam pertulit pro nobis ex amore. Fons autem circumseptus erat arboribus pulcherrimis, plenis fructibus. Sub quibus Sanctorum animæ quiescebant, habentes singuli tentoria aerea, et comedebant de fructibus in magno gaudio et delectatione. Hic mons significabat Christi conversationem; arbores, ejus virtutes, scilicet charitatem, misericordiam, et cæteras. Et secundum quod quilibet Dominum fuerat imitatus in virtutibus, sub arboribus quiescebat. Qui enim Dominum in charitate fuerat imitatus, comedebat

Christi conversatio per montem arboribus consitum repræsentatur.

1. Dominica II post Epiphaniam.

de arbore charitatis ; qui vero in operibus misericordiæ floruerant, reficiebantur de arbore misericordiæ ; et sic de aliis, secundum merita virtutum.

Deinde omnes qui se præparaverant ad venerationem Dominicæ Imaginis cum oratione speciali, accedebant ad Dominum, portantes peccata sua in humeris suis ; ponebant ea ante pedes Domini , et mutata sunt in xenia aurea. Qui ex amore pœnituerant, ita ut plus dolerent se Deum offendisse quam pœnam incurrisse, eorum peccata similia erant monilibus aureis. Qui vero psalteriis et orationibus peccata sua redemerant, similia erant nodis aureis, ut fieri solet in Dominicalibus [1]. Qui autem tentationibus peccatorum variis restiterant laboribus, similia erant clypeis aureis. Et qui peccata sua castigationibus carnis purgaverant, similia erant olfactoriis aureis, quia castigatio carnis redolet ante Deum ut thymiama suavitatis. His visis, Dominus ait : « Quid de his faciemus ? utique in amore omnia concrementur. » Et adjecit : « Ponatur mensa. » Statimque visa est ibi mensa coram Domino scutellis et scyphis aureis undique referta ; Facies autem Domini quasi sol radians splendore singula vasa pro cibo et potu implebat. Dehinc omnes qui aderant , genua flectentes coram mensa, amicti splendore faciei Domini quasi vestimento, sumebant cibum et potum, qui est refectio suavissima Angelorum et omnium Beatorum. Illis vero qui eadem die ad vivifica sacramenta non accesserant, et tamen cum devotione aderant, misit Dominus per sanctum Joannem Evangelistam, quasi in paropside refectionem secundum regalem suum honorem.

Eximia peccatorum redemptio et per amorem concrematio.

Splendor Faciei Domini quasi cibus et potus Angelorum et Beatorum.

Eia curramus omnes cum desiderio, et veneremur Faciem illam dulcissimam quæ nobis in cœlo erit *omnia quæ* desiderare *potest mens pia*.

1. Vormahlunge (*Ed. Lips.* 1502), id est, desponsationibus. (Vermahlungen.)

DOCTRINA.

Spiritualis peregrinatio ad sacram Christi Faciem.

Hæc Dei ancilla docuerat Sorores ut spirituali devotione Romam ad diem qua ostenditur Facies Domini tenderent, legendo tot *Pater noster* quot milliaria inter Romam et ipsum locum essent [1]. Quo cum pervenissent, summo Pontifici, Deo scilicet, omnia peccata sua in oratione confiterentur, accipientes ab eo remissionem omnium peccatorum, et sic in Dominica sumentes corpus Domini. Hora qua eis liberius vacaret ad orandum, cum oratione quam ad hoc dictaverat, reverendam Christi Imaginem suppliciter adorarent. Quod dum Sorores fecissent, supradicta visio eidem est demonstrata.

DE QUATUOR RADIIS FACIEI DOMINI.

Amor quasi funis protensus ex Corde divino animæ traditur quo cæteros ad Deum trahat.

Alia vice, hoc etiam die, vidit a facie Domini Jesu *in quam desiderant Angeli prospicere* (I. Petr. I. 12.) quatuor radios prodeuntes. Superior radius in omnes splendebat qui cum Deo uniti erant, ita quod nihil velint aut desiderent in prosperis et in adversis nisi Dei solius voluntatem. Inferior in omnes peccatores fulgebat, ut ipsos ad pœnitentiam revocaret. Dexter vero radius omnes penetravit prædicatores qui verbum Dei hominibus annuntiant. Sinister autem in omnes qui integra et perfecta fidelitate Deo famulantur. Tunc orabat Dominum pro omnibus qui se orationibus suis commendaverant, et qui memoriam celebrant suæ dulcissimæ Faciei, ut ejus consortio non fraudentur. Ad quam Dominus: « Nullus eorum debet a me separari. » Viditque funem de Corde Dei procedere in animam, per quem illa omnes ad

1. Fere CL sunt milliaria ab Helfta usque ad Romam, ubi festum in honorem Faciei Christi, quod vocatur *Veronica*, secunda post Epiphaniam Dominica celebrandum instituit Innocentius Papa III anno 1223.

Deum qui in ejus præsentia stabant trahebat. Funis vero ille amorem designabat, quem Deus animæ illi beatæ abunde infudit, per quem omnes ad Deum trahebat bono exemplo suo et doctrina. Tunc ipse Rex gloriæ extendens manum suæ omnipotentiæ benedixit eas, dicens : « Vultus mei claritas sit vobis æterna jucunditas. » Amen.

---

## CAPUT XI.

### DE SANCTA AGNETE, ET QUOD SANCTI OMNIA BONA SUA SIBI DEVOTIS DARE POSSUNT IN PROPRIA.

AGNES, virgo beatissima, in festo suo visa est Christi ancillæ quasi de altari procederet, thuribulo aureo gemmis pretiosis optime distincto Sorores singulas thurificans, et vapore suavissimi odoris totum chorum respergens. Thuribulum vero illud intellexit significare cor sanctæ Agnetis ; gemmas, dulcia verba ejus ; ignem, Sancti Spiritus amorem, qui omnes cogitationes, desideria ejus insimul concremans, suavissimo odore Deum, et homines ejus verba cum devotione recolentes lætificat et delectat.

Cum vero ad Matutinos cantaretur Responsorium, *Amo Christum*, apparuit Dominus Jesus habens sanctam Agnetem sub dextro brachio complexatam. Dominus autem et beata Agnes habebant vestimenta similia, videlicet rubea ; in quibus omnia verba sanctæ Agnetis quasi aureis litteris erant inscripta ; et illa verba, quæ in Domini veste erant, radio sui luminis verba, quæ in veste beatæ Agnetis erant, irradiabant ; ita ut resplendorem in Dominum darent, ac deinde chorum et omnes adstantes illustrarent. De corde etiam

Qui verba B. Agnetis recolunt Dominum et istam suaviter recreant.

singularum devote et intente psallentium radius in Cor Dei transibat, qui ultra per Cor Dei cordi beatæ Agnetis velut suavissimus liquor influebat. In quo intellexit quod omnis devotio et fructus amoris, qui adhuc provenit ex verbis ejus, similiter et omnium Sanctorum, velut cum sol glaciem liquefaciens refluere facit in suam originem, sic omnia in Deum refluunt, et Sancti in his suaviter delectantur.

Et cum dulcia verba sanctæ Agnetis in choro multiplicarentur, ista quæ hæc videbat cœpit contristari et Deo conqueri, quod ipsa in Religionis habitu Christo ab infantia desponsata, eum sicut hæc Virgo beatissima in puerili ætate toto corde non amasset. Tunc ait Dominus ad sanctam Agnetem : « Da ei omnia tua. » In quo verbo illa intellexit quod Deus hanc dignitatem Sanctis suis contulit, ut omnia quæ in eis operatus est, et quæ pro Christo pertulerunt, dilectoribus et sibi devotis qui Deum pro ipsis laudant, gratias agunt, vel dona Dei in ipsis diligunt, donare possunt. Quod dum beata Agnes fecisset, illa ineffabili gaudio repleta rogabat Virginum Reginam quatenus pro hoc dono Filium suum collaudaret. Cui illa : « Lege, inquit, mihi *Ave Maria.* » At illa divinitus inspirata talem prorupit in laudem : « *Ave*, ex Patris omnipotentia ; *Ave*, ex Filii sapientia ; *Ave*, ex Spiritus Sancti benignitate, dulcissima *Maria*, cœlum et terram illuminans. *Gratia plena*, infundens et replens omnes te diligentes. *Dominus tecum*, Dei Patris unicus, et tui virginei cordis unigenitus, amicus et sponsus dulcissimus. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ Evæ fugasti maledictionem, et æternam impetrasti benedictionem. *Benedictus fructus ventris tui*, omnium Creator et Dominus, omnia benedicens et sanctificans, omnia unificans et locupletans. » Tunc beata Virgo dedit illi omnia sua, etiam virgineam maternitatem suam, ut Dei mater esset spiritualis ex gratia, sicut ipsa est ex natura. Per hoc quoque illa intellexit quod omnes qui secun-

Beata Agnes animæ Deum pro se laudanti tribuit bona sua.

Item beata Virgo Maria pro laude sua animam remuneratur.

dum Dei se regunt voluntatem, illam in omnibus diligentes et opere perficientes, Christi matres efficiuntur, juxta illud : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei*, ipse meus frater, soror et mater est. (MATTH. XII. 50.)

Virgines in tribus a Domino honorantur.

Illa etiam videns et sentiens tam amantissimum et blandissimum Dei erga Virgines affectum, cum mira gratitudine et admiratione stuperet tantam pietatis divinæ dignationem, dixit ad eam Dominus : « Virgines præ omnibus Sanctis in tribus honoravi. Primum est quod eas præ omni diligo creatura; inde cum prima Virgo castitatem suam mihi voveret, in tantum amorem ejus exarsi, quod me ulterius cohibere non potui, sed de cœlo ruens ei me totum infudi. Secundum est quod eas super omnes ditavi, quia omnia bona mea et quæcumque pertuli speciali proprietate eis donavi. Tertium est quod eas super omnes glorificavi, quia cum accedunt ad me, eis assurgo et singulare eis susurrium tribuo, et speciali libertate quotiescumque voluerint meo perfruuntur amplexu. » Tunc illa dixit : « Eia dulcissime Deus, et quales esse debent hæ Virgines felicissimæ quas ad tantam elegisti prærogativam ? »

Virgines sint nobiles, speciosæ et divites.

Respondit : « Nobiles, speciosæ et divites. Vera enim Virgo quam mihi in talem sponsam elegi, debet esse nobilis humilitate : nihil se reputans, sed omni creaturæ se inferiorem æstimans, contemni et abjici ex corde appetens, et sic quanto humilior tanto in cœlesti gloria nobilior erit ; egoque humilitatem meam suæ adjiciam, unde summam nobilitatem consequetur. Speciosa etiam debet esse, hoc est, patiens ; quæ quanto patientior, tanto elegantior ex mea passione simul et sua tolerantia apparebit. Insuper divinam claritatem quam a Patre habui ante mundi constitutionem, illi perfecto decore superaddam. Dives etiam virtutibus esse oportet ; congregans sibi divitias omnium virtutum, quibus incomparabiles virtutum mearum apponam divitias, unde affluat et superabundet deliciis sempiternis. »

Alia vice cum Offertorium, *Offerentur Regi virgines* [1] cantaretur, et illa cogitaret quid modo Deo gratum offerre posset, dixit ad eam Dominus : « Qui mihi cor humile, patiens, et charitativum obtulerit, satis gratum mihi munus tribuit. » Tunc illa : « Et quod est tam humile cor in quo tibi ita complaceat ? » Respondit : « Cui gaudium est quod despicitur, et qui in pœnis et quibuscumque adversitatibus gaudet, exultans pro eo quod passioni et humilitati meæ aliquid adjicere valeat, et aliquid habeat unde mihi sacrificet, hic vere humilis et patiens corde est. Similiter qui proximo suo in omnibus quæ eveniunt bonis congaudet, et in adversitatibus velut de suis condolet, is vere charitativum cor mihi offert. »

Quali humilitate præditum debet esse cor in quo Domino vere complaceat.

---

## CAPUT XII.

### DE PURIFICATIONE B. VIRGINIS, ET DE SANCTA ANNA.

In sancta nocte Purificationis Mariæ, vidit ipsam gloriosam Virginem et Matrem in ulnis suis bajulantem regalem puerum Jesum, indutum veste aerei coloris aureis floribus plena, et in pectore et circa collum et brachia erat scriptum nomen istud mellifluum : Jesus Christus. Dixitque ad eam : « O dulcissima Virgo, adornaveras taliter Filium tuum cum ipsum in templum præsentares? » Et illa : « Non ita; sed tamen ipsum delectabiliter præparavi. A die nativitatis Filii mei inæstimabili gaudio ad diem istum sperabam, in quo Filium meum Deo Patri acceptissimam hostiam essem obla-

Quanto animi ardore Maria Filium in templo præsentavit.

1. Offertorium ejusdem festi juxta antiquum usum; hodie incipit : *Afferentur Regi*, etc.

tura, per quem omnis hostia ab initio sæculi oblata, a Deo est acceptata. Tantaque devotione et gratitudine ipsum obtuli, quod si omnium Sanctorum devotio in unum transfusa fuisset hominem, meæ devotioni non posset comparari; sed omnis lætitia mea ad verba Simeonis : *tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. II. 35) versa est mihi in mœrorem. Multoties etiam cum Filium meum gremio foverem, præ nimia devotionis dulcedine, caput meum suo capiti reclinans, tantas lacrymas effudi, ut caput ejus et faciem totam amoris lacrymis irrigarem. Sæpiùs et hoc verbum dicebam ei : « O salus et gaudium animæ meæ ! »

Cum vero ista anhelanti desiderio amabilem puerum intueretur, Mater regia secundum quod optavit, puerulum in sinu suo reclinavit. Quæ repleta lætitia cum puerum amplexari vellet, seipsam amplexata est, puerum autem non habebat. Deinde cum imponeret antiphonam [1] : *Hæc est quæ nescivit torum* audivit choros Angelorum dulci harmonia in aere personare : *hæc est quæ nescivit*, etc. et per totum psalmum *Benedixisti* (Psal. LXXXIV), beati illi Angelici ordines jubilando in aere ipsam antiphonam alternando cantabant; scilicet, Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus, Potestates et Virtutes. Cum autem ad illos ignitos Angelos, scilicet Cherubim et Seraphim, venisset, tam dulciter cantabant, quod nullo terreno sono poterat comparari.

Ordines Angelorum in præsentatione Filii Dei Mariæ famulantur.

Beata itaque Virgo stabat in medio choro puerum gestans in ulnis; apparuitque splendor trium cubitorum a terra, qui suo fulgore mille soles superabat, super quem Virgo mater Filium suum dulcissimum ponebat. Per splendorem divinitas significabatur; quia Deus suimet portitor fuit in terris, et divinitas humanitatem regebat. Gloriosa autem Virgo habebat diadema regni in capite, quod duo Angeli

1. Quæ septima occurrit in nocturno Officio hujus festi, juxta usum Helpedianum. Consule antiqua Germanorum Breviaria.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

super caput ejus tenebant, in quo omnium Sanctorum merita et dignitates, quasi auro et lapidibus pretiosis erant vermiculata, qui in hac vita ipsi devoto corde servierant; guttulæque de ipso stillabant, per quod exprimebatur gratia quam Deus infundit omnibus qui suæ virgineæ Matri devote famulantur. Sanctus quoque Gabriel Archangelus antecedebat eam, sceptrum aureum in manu gestans litteris aureis inscriptum : *Ave gratia plena, Dominus tecum.* In quo cognovit quod speciali dignitate honoratur in cœlis, pro eo quod Dei Matrem præ cæteris meruit tam mirifice salutare.

Beata ergo Virgo stabat a dextris Filii sui, habens auream pixidem in manu ; et dum quæreret quid in illa haberet, illa respondit : « Ex liquore divini Cordis, quem offerre volo Filio meo cum omni labore qui in ejus servitio et meo completur. » Sancta quoque Anna stabat a sinistris Domini. Tunc interrogabat beatam Virginem dicens : « Quamdiu vixit beata Anna in terris ? » Et illa : « Usque ad reductionem Filii mei ex Ægypto. » Vidit etiam beatum Simeonem juxta altare stantem, de cujus corde radius triformis in modum iridis exibat ; in quo intellexit quod humile, forte et fervens desiderium ad Deum habuit ; dixitque ad eum : « Eia, impetra mihi verum desiderium dissolvendi et esse cum Christo. » Cui Simeon : « Melius et perfectius est ut voluntatem tuam Deo des, et velis quidquid ille voluerit. » Tunc orabat beatam Virginem ut pro se et Congregatione Filium suum exoraret ; quod statim flexis genibus fecit.

Melius est voluntatem suam dare Deo quam desiderare esse cum Christo.

Completis itaque Matutinis, cum *Benedicamus* cum aliis cantricibus canere deberet, iterum rogabat eam ut Filium suum pro Congregatione laudaret. Tunc præclara Virgo Maria dulcissimæ vocis modulatione insonuit dicens :

Jesu, corona Virginum,
Amor, dulcedo et osculum ;

Et omnes Angeli et Sancti qui erant in aere cantabant dicentes :

Te laudamus in sæculum,
Quem amor fecit Virginis Filium.

Post hæc splendor egrediebatur, qui totum chorum implebat ; in quo agnovit designari quod beata Virgo Filium suum laudabat pro ipsis et cum ipsis. Dehinc omnis Angelorum exercitus et Sanctorum cum tripudio Dominum suum prosequebantur ad cœlestia, canentes et dicentes :

Hymnizate nunc superi
Pariterque resonate inferi.

---

## CAPUT XIII.

### DE MONTE ET SEPTEM GRADIBUS ET FONTIBUS, ET DE THRONO DEI ET BEATÆ VIRGINIS [1].

Domino duce montis virtutum septem gradus ascendit anima.

DOMINICA : *Esto mihi* [2], audivit dilectum animæ suæ Jesum dulci amoris susurrio sibi dicentem : « Visne mecum his quadraginta diebus et noctibus in monte commorari ? » Et anima : « O quam libenter, Domine mi ; hoc est quod volo, hoc est quod cupio. » Tunc ostendit ei montem excelsum et miræ magnitudinis ab Oriente usque ad Occidentem, habentem septem gradus per quos ascendebatur, et septem fontes. Et assumens eam pervenit ad primum gradum, qui vocabatur gradus humilitatis, in quo erat fons aquæ, abluens animam a cunctis vitiis quæ superbia commisit. Post hæc secundum ascendebant, qui dicebatur gradus mansuetudinis :

1. Ex his quæ in hoc capitulo et alibi passim occurrunt de gradibus, etc. non immerito quidam opinati sunt celeberrimum Poetam Dante Mechtildis nostræ revelationes quas legerat, secutum fuisse in suis carminibus, et ex grato animo illam proprio nomine ibidem commendavisse.

2. Dominica in Quinquagesima.

X

fons vero patientiæ, mundans animam a maculis quas ira peregit. Deinde ad tertium ascendentes, qui vocabatur gradus amoris; fons vero charitatis, in quo anima lavabatur ab omnibus peccatis quæ odium perpetravit. In hoc gradu Deus cum anima aliquamdiu perstitit. Tunc anima procidit ad pedes Jesu; et statim organum illud dulcissimum, vox Christi melliflua, insonuit dicens: « *Surge, amica mea; ostende mihi faciem tuam.* » (CANT. II.) Omnisque cœtus Angelorum et Sanctorum qui erant in montis vertice, dulcifluo amoris epithalamio, cum Deo et in Deo, ac si una vox esset, ita dulciter resonabant, et tam dulci modulatione psallebant, quod humana lingua non sufficit explicare.

Deinde quartum ascendebant, qui dicebatur gradus obedientiæ; fons vero sanctitatis, mundans animam ab omnibus quæ inobedientia fecit. Post hæc ad quintum pervenerunt, qui erat gradus continentiæ; fonsque liberalitatis, purgans animam ab omnibus quæ avaritia commisit, quod creaturis tam ad utilitatem suam, quam ad Dei laudem prout debuit, non est usa. Moxque sextum ascendentes, qui vocabatur castitatis; ibique fons divinæ puritatis, purificans animam a cunctis quæ desideriis carnis deliquit. Ibique anima Dominum seque pariter candida veste vestitos vidit. Dehinc ad septimum gradum qui vocabatur spirituale gaudium; fons vero cœleste gaudium, lavans animam ab omnibus peccatis acediæ; fons autem ille non ut alii cum impetu fluebat, sed paulatim et guttatim stillabat; quia cœleste gaudium nemo, quamdiu in hac vita est, ad plenum capere potest; sed quasi gutta, vel saltem nihil est respectu veritatis.

Post hæc dilectus cum dilecta ad montis verticem ascendebat, ubi erat multitudo Angelorum, in modo avium aureas campanas habentium, et dulcem sonum reddentium. In ipso monte duo erant throni mirabili decore nitentes. Primus erat thronus et sedes summæ et individuæ Trinitatis; de quo

In vertice montis thronus SS.

Trinitatis ex quo quatuor rivi procedunt.

procedebant quatuor rivi aquarum vivarum. Per primum intellexit designari divinam sapientiam qua Sanctos gubernat, ita quod voluntatem ejus in omnibus agnoscunt et hilariter implent. Per secundum, divinam providentiam, quæ ipsis bona omnia prævidit, quibus eos affluenter satiat in æterna libertate. Per tertium autem, divinam affluentiam quæ ipsos inebriat omni bonorum ubertate, ut nunquam tanta desiderent quin eis abundantius omnia bona infundet. Per quartum vero, voluptatem divinam, qua tam voluptuose in Deo vivunt, satiati plenitudine gaudiorum, affluentes deliciis quarum non erit finis, ubi *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. (Apoc. vii. 17.) Hic thronus habebat in summitate nodum aureum sua magnitudine replentem orbem terrarum, qui significabat divinitatem ; eratque gemmatus lapidibus pretiosis, et auro purissimo mirabiliter fulgens, ut regia structura Regis cœlorum. Habebat etiam multa tabernacula; scilicet habitacula sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et omnium electorum. Thronus vero secundus erat virgineæ Matris, quæ, ut decet reginam, merito juxta regem suum residebat. Qui thronus etiam multa habebat tabernacula; scilicet Virginis pedissequarum Virginum sanctarum, quæ digne Virginem Matrem prosequuntur.

Alter thronus juxta priorem beatæ Mariæ positus.

Videns ergo Regem gloriæ Jesum in solio suæ imperialis magnificentiæ et Matrem suam a dextris ejus, et præ admiratione illius jucundissimæ faciei in quam desiderant Angeli prospicere, tota a se deficiens ante thronum sanctæ Trinitatis, ad pedes Jesu corruit. Quam Dominus ipse elevans in sinu suo dulciter reclinavit. Vestimenta vere ejus in finibus parumper erant pulvere aspersa de quadam causa quæ se in vespere occupaverat, quam beata Virgo accedens detersit. Post hæc vidit mensam regiam ante thronum, ad quam omnes qui corpus Domini sumebant accedebant; quibus ipse

Filius Virginis apponens ferculum delicatissimum, scilicet suum corpus venerandum, unicuique porrexit, panem vivum et integrum; sicque dilectus cum dilectoribus suis una in thalamo pausabat. Propinatus est eis etiam calix meri dulcissimi. sanguinis videlicet Agni immaculati, in quo eorum corda a cunctis maculis sunt abluta. Ibique dulciter inebriati, Deo feliciter sunt uniti. Ibi dixit Deus animæ : « Nunc meipsum do animæ tuæ cum omni bono quod sum et quod dare possum. Tu in me et ego in te. Nunquam separaberis a me. »

Optime satiantur et inebriantur qui sumunt Corpus Domini.

Tunc orabat beatam Virginem ut pro se Filium suum laudaret. Quæ statim de throno suo procedens cum Virginum choro Filium suum laude ineffabili extollebat. Patriarchæ quoque et Prophetæ laudabant Dominum, cum jubilo dicentes Responsorium, *Summæ Trinitati* [1], etc. Gloriosus vero Apostolorum chorus cum tripudio decantabat Antiphonam : *Ex quo omnia* [2], etc. quia ipsi agnoverunt in terris eum *a quo omnia* bona profluxerunt, *per quem omnia* facta sunt in cœlo et in terra, *in quo omnia bona* sunt abscondita. Post hæc Martyrum victoriosus exercitus cecinit dicens : *Tibi decus*, etc. Dehinc Confessorum ordo hymnizabat dicens : *Benedictio et claritas* [3]. etc. Inter quos specialiter beatum Benedictum Patrem eximium vidit, in veste candida roseo colore intertexta. In candore significabatur ejus virginalis castitas; in rubeo, quod vere martyr est, eo quod tanto labore in Ordinis rigore desudans, in omnibus gloriose triumphavit. Cumque miraretur cur Angeli non cantarent, Dominus respondit : « Tu cum Angelis cantabis ». Et statim Angeli sancti cum illa beata anima concinebant dicentes : *Te sanctum Dominum* [4], etc.

Beatum Benedictum inter Confessores specialiter videt Mechtildis.

1. Responsorium in Festo SS. Trinitatis.
2. Antiphona ejusdem Festi.
3. Ex eodem Officio.
4. ℣. *Te sanctum Dominum in excelsis laudant omnes Angeli, dicen-*

Post hæc rogabat Dominum dicens : « O unice amator, in quo maxime complacet tibi ut ab hominibus agnoscaris ?» Cui Dominus : « In bonitate mea et justitia ; in bonitate qua misericorditer hominem expecto usquequo ad pœnitentiam convertatur ; insuper continue ipsum gratia mea ad me traho. Cum vero nullo modo voluerit converti, exigente justitia oportet illum damnari. » Et anima : « Et quid de tua dicis charitate ? » Cui Dominus : « Amicus fidelis amico omnia bona sua communicat, et secreta sua revelat ; ita et ego. » Rogabat etiam Dominum ut se instrueret qualiter pro sancta Ecclesia satisfaceret, quæ ipsi [1] dilecto suo hoc tempore tantas inferret contumelias. Ad quod Dominus : « Trecentis et quinquaginta vicibus legas mihi Antiphonam : *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beata Trinitas* [2], pro omnibus quæ a membris meis mihi tam indebite inferuntur. »

Justitia divina circa impios, charitas vero ad amicos se exercet.

## DE MONTE VIRTUTUM ET SANCTIS IN EO VISIS.

Alio quoque die prædictus mons sibi divinitus est revelatus. Quem sola ascendens cum pervenisset ad tertium gradum, scilicet amoris, in ipso fonte ab omnibus maculis lavabatur. Dehinc ad sextum veniens gradum candido vestita est indumento. Cumque pervenisset ad septimum gradum, vidit Dominum Jesum in vertice montis stantem, qui porrigens illi manum elevavit eam dicens : « Veni, eamus ibi spatiari. » Et ibat sola cum solo, nihilque videbat nisi solum Jesum. Et venerunt ad parvam domum factam ex argento perspicuo,

Multæ mansiones in cœlo.

*tes : * Te decet laus et honor, Domine. ℣. Cherubim quoque et Seraphim Sanctus proclamant, et omnis cœlicus ordo, dicens : * Te decet.*

1. Cf. Part. IV. c. 1.

2. Ex Officio SS. Trinitatis.

circa quam vidit pueros jucundos albis indutos, saltantes et Dominum laudantes ; quos intellexit esse infantes qui infra quinque annos decesserunt, et ibi sine fine exultant. Exinde venerunt ad domum ex purpureo incisam lapide, circa quam multitudo animarum cantabant in purpureis indumentis, quas viduas et conjugatas esse cognovit, et communem populum beatorum. Deinde venerunt ad domum de rubeo sapphiro excisam, circa quam erat innumera multitudo Sanctorum amicti coccino : illæ scilicet beatæ animæ, quæ in hac vita pro Christo certantes diabolum vicerunt, ibique sine fine cum Domino lætantur.

Post hæc longius euntes, venerunt ad domum ex auro purissimo constructam, quam Dominus animæ demonstrans ait : « Hæc est domus charitatis de qua scriptum est : *et ducam te in domum matris meæ et in cubiculum genitricis meæ*. (CANT. III. 4.) Mater mea est charitas, et ego filius sum charitatis [1]. » In quo divinitus intellexit quod Virgo Maria nimio ardore Sancti Spiritus inflammata, et cœlitus concremata, ex calore amoris Spiritus Sancti, Filium Dei concepit, sicque Christus est Filius charitatis, et mater ejus est charitas. Cum introiissent domum, anima ad pedes Jesu cecidit, quam ipse festinus elevans in amplexus suos suscepit. Omnes vero qui se orationibus ejus commendaverant, præ foribus erant, et funis de Corde Domini procedebat, in quem omnes manus injecerunt : in quo innuebatur quod omnes pro quibus orabat, participes divinæ gratiæ redderentur.

Visio domus charitatis. Christi mater est charitas.

Ex Corde divino funis traditur his pro quibus anima orat.

Cum vero Dominicum corpus Christi suscepisset, Sancti qui circa domum erant, concinebant dicentes : « *Panem Angelorum manducavit homo. Alleluia.* » Angeli autem psallebant dicentes : « *Panem de cœlo dedit ei.* » Sicque dilecto unita, delectabatur in ipso et cum ipso, in quo sola et plena sufficientia omnis boni est, et copia æternarum deliciarum.

1. Cf. S. Hildegardis Epistolam ad Adamum, Abb. de Ebra. Ep. XXX. in Resp.

## CAPUT XIV.

### QUALITER DOMINO ANIMA MINISTRET.

In die sancto Palmarum, dum occupatam haberet memoriam de his quæ Christus ea die fecit in terris, inter alia incidit menti ejus ut scire cuperet quid commodi beatæ Maria et Martha Domino, cum apud se hospitaretur, præparassent. Tunc visum est sibi quasi esset Bethaniæ in domo earum. Viditque domunculam seorsum paratam, in qua mensa erat collocata, et Dominum in ea sedentem invenit. Quem dum interrogasset quid illa nocte egisset, respondit : « Ego in orationibus totam illam noctem duxi; sed circa diluculum paululum sedens obdormivi. » Et addidit : « Talem domum facies mihi in anima tua, in qua mihimet ministrabis. » Et statim videbatur sibi Dominum ad mensam illam sedere, seque illi servire.

Anima in se tamquam in domo Bethaniæ Christum suscipit.

Et primo in scutella argentea mel sibi proposuit, illum melleum videlicet amorem, qui eum de sinu Patris in præsepium reclinavit, cum per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Secundo, ferculum de herbis violarum sibi ministravit, humillimam scilicet Christi conversationem qua se omni subjecerat creaturæ. Tertio detulit sibi carnes agni, Agni videlicet immaculati, qui peccata totius abstulit mundi. Quarto posuit ei vitulum saginatum, spiritualis gratiæ dulcedine saginatum. Quinto ministravit ei hinnulum cervorum, inæstimabile videlicet desiderium, quo Christus omnibus diebus vitæ suæ usque ad mortem cucurrit. Sexto, obtulit ei piscem assum, ipsum designans Christum pro nobis passum. Septimo, Cor Jesu Christi diversis et optimi odoris conditum aromatibus, omnibus scilicet virtutibus refertum et superplenum, eidem proponebat. Propinabat etiam ei triplex po-

culum. Primo vinum valde bonum, per quod notabatur omnis labor sanctissimæ Christi conversationis, et omnium electorum. Secundo, rubeum vinum, Christi passionem et mortem figurans. Tertio, propinavit sibi merum optimum et suavissimum, divinæ scilicet dulcedinis intimam et spiritualem infusionem. Hæc autem omnia quælibet devota anima spiritualiter ministrat, cum ista devota recolit gratitudine, et pro his Dominum Jesum laudans benedicit.

Qualis cibus et potus Domino ab anima ministratur.

---

## CAPUT XV.

### DE QUINQUE MODIS DEUM LAUDANDI.

Alia quadam nocte, cum ex tristitia somnum capere nequiret, audivit Angelorum choros personare : « *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* ». (Psal. liv. 23.) Viditque Dominum stantem coram se in viridi vestimento. Ad quem illa : « O amantissime Domine, cum sit tempus passionis, cur viridi veste indueris ? » Cui Dominus : « Scriptum est : *Si in viridi ligno hoc fecerunt, in arido quid fiet* ? » (Luc. xxiii. 31.) In quo verbo intellexit, quia si virorem omnium virtutum, scilicet Jesum, tam diversis affecerunt pœnis, quid tunc eis qui aridi omnibus sunt bonis, nisi æterna tormenta præparantur. Tunc oravit Dominum ut se instrueret, quid sibi laudis facere deberet hoc tempore passionis. Qui ostendit ei digitos manus suæ, per quos edocta est ipsum debere quinque modis laudare.

Jesus est lignum viride in quo virent omnes virtutes.

Primo, suam incomprehensibilem omnipotentiam, qua ipse præpotens Dominus Angelorum et hominum, pro homine impotens est effectus. Secundo, suam inscrutabilem sapientiam, qua ipse tamquam fatuus est reputatus. Tertio, suam inæstimabilem charitatem, qua gratis odio est habitus

pro salvandis. Quarto, suam benignissimam misericordiam, qua pro homine tam crudeli morte est damnatus. Quinto, suam dulcedinem suavissimam, qua morte amarissima est pro homine amaricatus.

---

## CAPUT XVI.

### DE NOMINE DOMINI ET DE EJUS VULNERIBUS SACRIS.

In Missa quadam, *Nos autem* [1], dixit ad eam Dominus : « Attende verba hæc, scilicet : *in quo est salus, vita et resurrectio nostra*, » etc. In cruce enim vera est salus, nec extra eam alia salus invenitur, juxta illud :

Nulla salus est in domo,
Si non crucem invenit homo
Super liminaria.

In quacumque ergo anima crux, id est tribulatio, non est, nulla patientia est ; ubi vero patientia non est, nulla salus est. Vera etiam vita homini in Cruce, donata est quando ego vita animæ morte amoris in Cruce moriens, animam in peccatis mortuam vivificavi, et in me æternaliter vivere donavi. Per Crucem quoque homini donatum est ut quoties per peccatum labitur, toties pœnitendo resurgat. Insuper carnis resurrectio et æterna salus (*a.*)

In Cruce moriens Christus animam in se æternaliter vivere dedit.

Et dum in Epistola legeretur : *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*, dixit ad Dominum : « Mi Domine, quod est illud nomen dignissimum quod tibi datum est Patre ? » Cui Dominus : « Nomen illud est Salvator omnium sæculorum. Ego enim sum Salvator et Redemptor omnium quæ

1. Feriæ III majoris Hebdomadis, etc.
(*a.*) libertas. *Codd. S. Gall. et Vind.*

sunt, fuerunt, quæque post futura sunt. Ego Salvator eorum qui fuerunt antequam homo fierem; ego Salvator eorum qui fuerunt in tempore quo homo cum hominibus conversatus sum; ego Salvator omnium qui mea secuti sunt dogmata, et qui mea adhuc volunt imitari vestigia, usque in finem sæculorum. Et hoc est nomen meum dignissimum, quod mihi soli ab initio sæculi a Patre præordinatum est, quod est super omne nomen. »

Nomen super omne nomen Christo datum est Salvator omnium.

Cum autem Deo gratias ageret pro ejus vulneribus sanctissimis, orans ut tot amoris vulnera animæ suæ infigeret, quot ipse in corpore suo pertulit, dixit ad eam Dominus : « Quoties homo in recordatione passionis meæ ex amore ingemiscit, toties quasi vernanti rosa vulnera mea leniter tangit, et exinde jaculum amoris in animam ejus resilit, unde salubriter vulneratur. »

## DE DESIDERIO ANIMÆ.

Feria quarta, dum cantaretur Missa, *In nomine Domini*[1] *omne genu flectatur*, etc. dixit ad Dominum : « O si nunc potestatem haberem, ut cœlum et terram et infernum cum omni creatura, tibi dulcissimo et fidelissimo amatori cum reverentia reclinarem ! » Cui Dominus benigne respondit : « Commenda mihi quatenus hoc in memetipso perficiam; quia ego contentivus sum totius creaturæ, et cum me exhibeo Deo Patri per laudem, sive per gratiarum actionem, oportet ut omnis creaturæ defectus per me et in me dignissimo modo suppleatur. Benignitas etiam mea non sustinet ut aliquid de his, quæ fidelis anima desideraverit et per se nequiverit, imperfectum relinquatur. »

Christus contentivus est omnis creaturæ.

1. Sic olim legebatur Introitus hujus diei.

## CAPUT XVII.

### DE ARBORE CRUCIS.

ITEM in Missa quadam *Nos autem*, vidit in medio Ecclesiæ arborem pulcherrimam proceritate, et latitudine sua totam terram implentem, quæ ex tribus frondibus de terra insimul ortis excreverat; et frondes arcuatæ et reflexæ erant ad terram. Sub una frondium erant bestiæ, quæ vescebantur ex fructu qui de arbore cadebat; designantes peccatores et homines bestialiter viventes, qui bonis Dei sine gratitudine fruuntur sicut bestiæ, nunquam ad ipsum cum gratiarum actione respicientes, a quo bona cuncta procedunt. Sub alia erant homines comedentes ex fructu arboris; per quos justi et boni quique in Ecclesia notabantur. In tertia erant aves suavissime modulantes; per quas Sanctorum animæ Deum sine fine laudantium exprimebantur. Animæ etiam purgandorum [in similitudine capitum [1] venientes,] ex odore arboris reficiebantur. Aves etiam quædam nigræ arborem circumvolabant; sed fumus magnus de ea egrediens illas longius effugabat. Per aves, dæmones intellexit figurari, et quaslibet hominum infestationes, quas homo in nullo melius quam in memoria Dominicæ passionis superabit, quæ per fumi asperitatem signabatur.

Per triplices arboris Crucis frondes tria hominum genera significantur

Sacerdos quoque qui Missam celebrabat, vestitus et præparatus erat foliis ejusdem arboris. Et ramusculi pleni fructibus eum circumpendebant; in quo monstrabatur quod omnis qui colit et diligit Christi passionem, ejus virtutes nobiliores erunt, et quidquid boni egerit, fructuosius in ejus meritum cedit. Omnia etiam corda fidelium in similitu-

Dominicæ passioni adhærendum quatenus virtutes et charitas magis crescant.

1. Quæ uncis includuntur e codicibus Lipsiensi et Vindob. ac e veteri edit. 1503 expuncta fuerant.

dine ardentium lampadum annexa pendebant in ramis arboris, et liquor qui in ipsis lampadibus ardebat ex arbore influebat; per quod innuebatur quod nullus Dominicam diligere valet passionem, nisi a Dei gratia ipsi infundatur. In hoc vero quod ardentes erant, figurabatur quod quisquis Deum vult diligere, ad ejus se teneat passionem, sæpius eam rememorando et colendo; quia in ea sufficientem habebit materiam diligendi, nihilque est quod sic afficiat et ardescere faciat mentem, sicut recordatio Christi passionis.

---

## CAPUT XVIII.

### DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

In Parasceve, inter alia innumera quæ fecit ei Deus bona, dixit ad Dominum : « O mi dulcissime Deus, in quo potest tibi homo restituere quod hac die pro ejus salute capi et ligari dignatus es ? » Respondit Dominus : « Ut in vinculo veræ obedientiæ propter me voluntarie ac libenter sit ligatus. » Et anima : « Quid vero laudis tibi faciet quod immundis Judæorum sputis es consputus, et colaphis cæsus immitibus ? » Cui Dominus : « Dico tibi in veritate, omnes qui prælatos suos contemnunt, in faciem meam [1] conspuunt. Si quis ergo contumeliam illam mihi cupit emendare, prælatos suos debet honorare. » Et anima : « Quid gratiarum actionis, o piissime, pro alapis accipies ? » Respondit : « Ut homo præscriptam consuetudinem et statuta suæ Religionis fideliter et districte teneat. » Et anima : « Quid autem laudis, o amice fidelissime, referat pro dolore quem passus es, cum imperiali capiti tuo corona imprimebatur spinea, ita ut

Contumelias Christi emendat qui prælatos honorat; renovat qui contemnit

1. Cf. *Legatus* lib. III. c. 74.

roseo sanguine deliciosa facies tua, in quam Angeli desiderant prospicere, tota velaretur? » Respondit: « Ut homo, cum tentatur, totis viribus fortiter resistat, et quot tentationes in nomine meo superat, tot in meo diademate gemmas ponit pretiosas. » Et anima: « Quid pro eo, magistrorum sapientissime, quod ut fatuus in veste alba delusus es? » Et Dominus: « Ut homo nil quærat in vestibus, non ornatum, non pretiositatem, sed ejus solam necessitatem. » Et anima: « Et quid gratiarum actionis pro eo, o cordis mei unice, quod tam inhumaniter et acriter flagellatus es? » Et Dominus: « Ut perfecta fidelitate et patientia mecum perseveret tam in prosperis quam in adversis. » Et anima: « Quid, o amantissime, pro eo accipies, quod pedibus cruci transfixus es? » Cui Dominus: « Ut omnia desideria homo fundat in me; et cum (*a*) non potest desiderium habere, habeat tamen voluntatem habendi desiderium, et tunc pro facto accipio voluntatem. » Et anima: « Quid autem pro eo quod manibus cruci affixus es? » Et Dominus: « Ut se in omnibus bonis operibus exerceat, et cuncta mala propter me devitet. » Et anima: « Quid tibi, o dulcor unice, debet gratiarum actionis referri pro illo amoris vulnere, quod in cruce suscepisti pro homine, cum amor invincibilis sagitta amoris Cor tuum mellifluum perforavit, unde nobis aqua et sanguis in remedium profluxit, et sic devictus magnitudine amoris sponsæ tuæ mortuus es amoris morte? » Et Dominus: « Ut homo omnem voluntatem suam meæ conformet voluntati, et voluntas mea illi semper in omnibus et super omnia sit accepta. »

Quidnam pro singulis Christi passionibus sit offerendum.

Dixitque etiam Dominus ad eam: « Dico tibi in veritate, si quis ex devotione passionis meæ lacrymas effuderit, suscipere volo ac si ipse pro me sit passus. » Tunc anima: « Eia, mi Domine, quali modo debeo pervenire ad has lacrymas? » Et ille: « Ego te docebo: Primo, cogita quali amicitia et

Beneficia a Christo donata pro singulis in passione doloribus.

(*a*) et si. *Cod. Vind.* und so. *Ed. Lips. 1503.*

dilectione meis inimicis obviam processi, qui me cum gladiis et fustibus ad mortem quærebant, tamquam ad latronem et maleficum; sed ego tamquam filio suo mater illis me obviam dedi, ut eos de faucibus luporum eruerem. Secundo cum me alapis immitibus cæderent, quot alapas mihi dederunt, tot dulcia oscula eorum animabus præbui, qui usque in diem novissimum per passionem meam debent salvari. Tertio, cum me ferocissime flagellarent, tam efficacem pro eis fudi orationem ad Patrem cœlestem, ut multi ex eis converterentur. Quarto, cum spineam coronam capiti meo imprimerent, quot spinas mihi impresserunt, tot gemmas in eorum corona collocavi. Quinto, cum me cruci clavis affigerent, et omnia membra mea distenderent, ita ut ossa mea et viscera dinumerari possent, tota mea divina virtute attraxi animas eorum ad me omnium, qui ad vitam æternam sunt prædestinati, sicut ante prædixi: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* (Joann. xii. 32.) Sexto, cum lancea latus meum aperiret, ex Corde meo propinavi eis poculum vitæ, qui per Adam hauserant poculum mortis, ut essent omnes Filii æternæ vitæ et salutis in me qui sum vita. »

DE EODEM.

Cum vero corpus Christi sumpsisset, dixit ad illam Dominus: « Vis videre qualiter ego nunc in te sum et tu in me?» At illa tacebat, quia indignam se reputabat. Statimque vidit Dominum tamquam per lucidum crystallum, et animam suam velut aquam purissimam et fulgidam, per omne corpus Christi fluentem. At illa multum admirabatur super inæstimabili dono et stupenda Dei erga se pietate. Cui Dominus: « Memento quod beatus Paulus scripsit: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus; gratia autem Dei sum id quod sum.* (I. Cor. xv. 9.) Sic et tu nihil es in te; sed id quod es, per gratiam meam es in me. »

Mira unio Christi cum anima per sumptionem Sacramenti.

Cum autem Crux secundum morem sepeliretur, dixit ad Dominum : « Nunc, o cordis mei unice, teipsum sepeli in me, et me tibi inseparabiliter astringe. » Et Dominus : « Volo me sepelire in te : in capite tuo volo esse fruitio sensuum tuorum, operatio manuum tuarum, et exercitatio omnium membrorum motuumque tuorum. »

### ITEM DE PASSIONE DOMINI.

Commendantur bona voluntas et benevolentia

Item in sancta nocte Parasceves, in oratione sua dixit ad Dominum : « Mi dulcissime Domine, in quo tibi recompensare possum quod hac nocte propter me captus et ligatus es? » Cui Dominus : « Cum desiderio et bona voluntate. Hæc enim duo sunt velut serica ligamenta cum quibus me animæ tuæ suaviter colligabis. Cor etenim benevolum et ad quæque bona paratum, de facili me non amittit. Sed cogitationes inutiles quæ illi improvise advenerint, quasi nullius delicti sunt, si tamen non sponte et cum deliberatione, postquam adverterit, eis immoratur. » Et addidit : « Cum me traderem in manus iniquorum, ligaverunt manus meas et fecerunt in me quidquid voluerunt, linguam vero meam ligare non potuerunt. Ego autem ipsam linguam meam ita ligavi, ut nullum verbum nisi quod utile esset loqui vellem. Sic homo, licet potestatem habeat loquendi bonum sive malum, linguam suam sic refrænare deberet, ut nullum verbum loqueretur quo proximum suum læderet aut turbaret. »

Circa Primam vero, cum esset in recordatione quod Christus illa hora præsidi judicandus adstitisset, dixit ad eam Dominus : « Veni mecum ad judicium. » Et assumens eam, ante Patrem suum cœlestem statuit eam secum. Tunc omnes Sancti cum omnibus creaturis super eam sunt conquesti. Seraphim accusabant eam pro eo quod divinum amorem quo

a Corde Dei fuerat accensa, sæpe in se per teporem extinxerat. Cherubim proclamabant eam, eo quod secundum lumen divinæ cognitionis, quo præ cæteris illuminata erat, se non regebat. Throni conquesti sunt quod pacatissimum Regem eorum, qui thronum suum in ea firmaverat, sæpe inutilibus cogitationibus inquietando turbasset. Dominationes dicebant quod Regi et Domino Deo suo se cum debita reverentia non subdidisset. Principatus conquerebantur quod divinam nobilitatem qua ad Dei imaginem facta est in se nec in aliis esset venerata. Potestates accusabant quod se divinæ majestati cum tanta reverentia et tremore, ut dignum fuerat, non inclinasset. Virtutes conquestæ sunt quod se in virtutibus sanctis debito modo non exercuerat. Archangeli dicebant quod Dei suavi colloquio prout debuit non intendisset, nec per eos qui ei ministri deputati sunt dilecto suo suavia et amatoria susurria direxisset. Angeli querulabantur quod eorum ministerio indigne uteretur.

Anima in judicium ducitur et ab Angelis accusatur.

Beata Virgo Maria conquerebatur quod dulcissimo Dei Filio, quem sibi in fratrem genuerat, infidelis extitisset. Apostoli clamabant quod eorum doctrinam diligenti studio non fuisset secuta. Martyres dicebant quod pœnas et infirmitates invita sustineret. Confessores accusabant quod in Religione et spirituali exercitatione negligenter egisset. Virgines querulabantur quod tam amantissimum Sponsum totis visceribus non amasset. Omnes creaturæ insimul conclamabant quod eis indigne usa fuisset.

Beata Virgo et Sancti cum omnibus creaturis conquerunturur.

Tunc benignissimus Jesus dixit ad Patrem : « De omni querimonia ei objecta ego ad singula pro ea respondebo ; quia ejus amore me fateor esse captum. » Cui Deus Pater dixit : « Quid te ad hoc coegit ? » Respondit : « Mea electio, quia eam mihi ab æterno præelegi. » Tunc anima confidens de gratia tanti fideijussionis sui, confidenter accepit eum inter brachia sua, dicens ad Deum Patrem : « Ecce præsento tibi,

Christum Patri pro se confidenter obtendit anima.

Pater colende, humillimum Filium tuum, qui tibi pro me persolvit quidquid deliqui per superbiam. Ecce præsento tibi Filium tuum mansuetissimum, qui pro me satisfecit quidquid peccavi per iram. Præsento tibi etiam Filium tuum amantissimum qui est amor cordis tui, qui plene supplevit quidquid odio deliqui. Largiflua ipsius liberalitas omne quod avaritia peccavi exsolvit. Sanctissimum ejus studium acediam meam emendavit. Summa ejus abstinentia omnem intemperantiam meam supplevit. Ejus innocentissimæ vitæ puritas exsolvit omne quod malis cogitationibus, verbis aut factis deliqui. Ejus summa obedientia, qua factus est obediens usque ad mortem, omnem inobedientiam meam delevit. Ejus denique perfectio omnem imperfectionem meam excusat. »

Ad Tertiam, vidit Dominum inæstimabili claritate et decore circumdatum, ita ut a planta pedis usque ad verticem singulari ornatu totus floreret; et hoc pro eo acceperat quod tam inhumaniter pro nobis fuerat flagellatus. Habebat etiam in capite sertum ex diversis et pulcherrimis floribus tam mirifico opere factum, quod ejus simile anima nunquam vidit. Hoc sertum sibi Christus effecerat ex diversis doloribus, quos illa in capite suo per idem tempus plusquam quadraginta diebus habuerat [1].

Ad Sextam, iterum vidit Dominum bajulare sibi crucem, et omnem Congregationem advenire et singulas gravamina et onera sua, in similitudinem frondium virentium, cruci supponere. Quæ omnia Dominus benignissime suscipiens, patientissime et lætissime cum cruce sua portabat, sed et Sorores omnes Dominum portare juvabant.

Crucem bajulanti Christo sorores onera sua imponunt et cum ipso portant.

Circa Nonam vero, apparuit sibi Dominus in gloria mirabili et majestate, habens torquem auream, in qua erat clypeus continens omnia passionum Domini genera; qui totum pec-

1. Cf. part. II. c. 26.

tus Domini contexit, superius lilium habens candidissimum, et inferius rosam pulcherrimam. Per hunc clypeum figurabatur victoriosa Christi passio; per lilium, innocentia; per rosam, ejus summa patientia.

Cum autem Sorores ad sanctam Communionem accederent, Dominus unicuique personæ dabat Cor suum divinum, rèpletum optimis aromatibus mira suavitate redolentibus. Aromata et illa ex omni parte Cordis ut novellæ viridissimæ et florentes erumpebant, ita ut totum florigerum esse videretur. Singulæ etiam accedentes prædictum clypeum a Domino acceperunt, ita ut in cujuslibet pectore idem clypeus miro decore fulgeret; per quod significari intellexit quod Christus suæ passionis victoriam suis fidelibus contulit, ut sit eis munimen et robur contra omnes inimicos.

In Communione Cor suum Dominus tradit.

Hora vero qua sanctam crucem osculari deberet, ad vulnus pedum divinitus inspirata dixit : « En omnia desideria mea tibi, Domine mi, infigo, et ea tuis adapto desideriis, ut exinde plene purificata et perfectissimo modo sanctificata, nunquam de cætero terrenis valeant implicari. » Ad vulnus quoque dextræ manus ait Dominus : « Hic reconde omnia spiritualia tua, ut omnia quæ in spirituali habitu neglexisti per mea tibi plene restaurentur. » Ad sinistrum vero ait : « Hic omnes pœnas tuas et quælibet adversa repone, ut ex unione mearum passionum dulcescant, et Deo in summa placentia redoleant, sicut vestis cum musco vel aliis speciebus condita eumdem spirat odorem, et sicut mica panis melle intincta ejusdem suscipit suavitatem. » Ad vulnus Cordis ait : « In hoc vulnus amoris, quod tantæ amplitudinis est, quod cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt complectitur, omnem amorem tuum ad meum divinum amorem recolloca, ut exinde perficiatur, et sicut ferrum candens cum igne, in unum redigatur amorem. »

Quo devotionis affectu vulnera Crucifixi anima osculatur.

Ad Vesperas, vidit Dominum quasi de cruce depositum, et

beatam Virginem ipsum in sinu tenentem, sibique dicentem : « Accedens osculare salutifera vulnera dulcissimi Filii mei, quæ pro tuo suscepit amore. Cordi ejus benignissimo tria oscula imprime, agendo illi gratias pro effluxu illo quo ab æterno in te et in omnes electos effluxit, effluit et effluet sine fine. Ad vulnus dextræ manus, in osculo gratias agas, quia ipsa est adjutrix et cooperatrix omnium bonorum operum tuorum. Ad sinistram vero, quia ad ipsam tutum semper invenies refugium. Vulnus quoque dextri pedis osculare in gratiarum actione, pro ferventi desiderio quo omnibus vitæ suæ diebus post te in siti cucurrit. Sinistri autem pedis vulnus cum gratitudine osculeris, quia ibi semper invenies remissionem omnium peccatorum. Habeas etiam triplex unguentum, quo ipsum animæ tuæ dilectum incessanter perungas. Scilicet oleum olivæ, per quod misericordia exprimitur : in operibus videlicet misericordiæ et pietatis te frequentius exercendo. Secundo, oleum myrrhinum; ut tribulationes et infirmitates gaudenter, constanter et fideliter pro Dei amore supportes. Tertio, unguentum balsamiticum; scilicet ut omnia dona Dei cum gratitudine pro ejus laude solius suscipiens, nihil inde tibi aut speres aut velis, sed pure in ipsum qui est fons et origo omnium bonorum refundas. »

Invitante B. Virgine cum multo fructu eadem vulnera iterum osculatur.

Circa Completorium autem beata Virgo ad eam dixit : « Accipe Filium meum et eum sepeli in corde tuo. » Statim illa cor suum in similitudine sarcophagi argentei cooperculum aureum habentis vidit. Per argentum munditia cordis significabatur ; per aurum vero amor, qui Deum in anima tenet et conservat. Cum ergo Christum, ut sibi videbatur, includeret, dixit ad eam : « Hic me semper in corde tuo invenies, et ecce do tibi securitatem æternæ vitæ, et omnibus pro quibus orasti hodie. »

Accipit a matre sua Christum in corde sepeliendum.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

### QUALITER HOMO MEMORIAM CHRISTI PASSIONIS CELEBRET OMNI SEXTA FERIA PER ANNUM.

QUI Dominicæ passionis colendam memoriam frequentare desiderat, feria sexta vice Horarum legat septies Psalmum: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* (Ps. XXIX.) Et post circulum anni habebit tot versus quot Christus vulnera habuit [1]. Item legat, si potest, unam Passionem Domini, et agat Deo gratias, inter cætera, quia de vulnere sinistri pedis ejus fluxit nobis lavacrum salutis, et a dextro flumen pacis; a manu vero sinistra produxit nobis fluenta gratiæ; a dextra autem medicamen animarum; de vulnere quoque dulcissimi Cordis ejus erupit nobis aqua vivificans et vinum inebrians, scilicet sanguis Christi, et omnis boni copia infinita.

Numerus plagarum Christi.

### QUID DEO MAXIME IN HOMINE COMPLACEAT.

ITEM interrogabat Dominum quid sibi maxime in homine placeret. Cui Dominus: « Ut quilibet cum magna gratitudine perpendat, et jugi memoria revolvat omnium virtuosorum operum exercitia quæ in terris operatus sum; et om-

Christi operum in terra recordatio ipsi maxime accepta.

1. Idem fere numerus plagarum seu vulnerum Christi in passione sua, aliis revelatus est piis animabus, ut S. Birgittæ, etc. quæ diverso tamen illum efficiunt modo; unde supputantibus potest aliquod discrimen occurrere, scilicet: 5460, vel 5475 aut etiam 5490. Cf. Cornelium a Lapide in Matth. XXVII. 26. Gonsalvum Durantum in commentario Revelationum S. Birgittæ, lib. I. c. 10. Ludolphum Carth. de Vita Christi, parte II. c. 48. qui inter alia illos laudat versiculos:

Mittitur, ut legitur, olim vox cœlica lenis,
Cor refovendo senis flebilis, ut sequitur:
D. duc undecies, X. dempta simplice; Christi,
Unde revixisti, vulnera cuncta scies.

nium pœnarum et injuriarum quas sustinui triginta tribus annis ; in quanta vixi miseria, et quanta mihi exhibebatur contumelia a mea creatura, et tandem mortuus sum in cruce morte amarissima, ob amorem hominis animæ, quam mihi in sponsam mercatus sum meo pretioso sanguine. Hæc omnia unicuique ita sint accepta et grata, ac si ad ipsius solummodo sum perpessus salutem. »

---

## CAPUT XIX.

### DE CHRISTI RESURRECTIONE ET EJUS GLORIFICATIONE.

In sancta nocte lætabundæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, hæc ancilla Christi vidit ipsum, quasi in sepulcro resideret, et agnovit divinitus illustrata, qualiter Deus Pater totam suam divinam potentiam humanitati Christi in ejus resurrectione dedisset, Filiique Dei persona omnem suam clarificationem quam ab æterno a Patre habuit, Spiritusque Sanctus omnem suam dulcedinem, bonitatem et amorem plene infudit ejus glorificatæ humanitati. Dixitque ad eam Dominus : « In mea resurrectione cœlum et terra cum omni creatura mihi ministrabant. » Et illa : « Et quomodo, inquit, tibi cœlum servivit? » Respondit : « Omnes angelici Spiritus in obsequio mihi aderant. » Et statim videbatur sibi quod videret multitudinem Angelorum circa sepulcrum, ita quod a terra usque ad cœlum Dominum circumdarent quasi murus. Tunc illa dixit : « Eia, et quid Angeli tibi illa hora decantaverunt, qui in Nativitate tua *Gloria in excelsis* cecinerunt? » Cui Dominus : « *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, et :

In resurrectione Christi operata est tota Trinitas et omnis creatura ministravit.

*Eia et eia nunc simul jubilemus Domino, laus in excelsis altithrono*, licet non eadem verba, tamen ejusdem sensus cecinerunt.

Vidit etiam totam Congregationem circa Dominum, de cujus Corde plures radii in singulas personas transibant. Et Dominus cuilibet manum suam extendens glorificationem suam donavit dicens: « En claritatem meæ glorificatæ humanitatis vobis tribuo, quam cordis munditia et dulci in invicem socialitate, ac vera patientia conservabitis, ac in die judicii in vobis cum gloria præsentabitis. »

### DE UNGUENTO SPIRITUALI.

Ex divino Corde et ex corde B. Virginis cum devotione Christi conficitur unguentum spirituale.

Item cum sepulcrum visitaretur, hæc Deo devota virgo ardenti corde dixit ad Dominum : « Eia, dilecte mi, ex millibus electe, doce me quo unguento te animæ meæ amatorem perungam. » Cui Dominus : « Accipe illam inenarrabilem suavitatem quæ ab æterno de meo divino profluxit Corde in Patrem et Spiritum Sanctum, de qua tibi conficias vinum. Secundo, illam dulcedinem a qua indulcoratum est præ omnibus cordibus cor Genitricis meæ virgineum, de qua tibi facias mel dulcissimum. Tertio, devotionem qua antè passionem eram in ferventissimo desiderio et devotione ac amore ardentissimo, de qua tibi conficias balsamum peroptimum. » Continuo se vidit habere pixidem plenam unguento redolente odore mirifico, de quo secundum cordis sui desiderium perunxit Dominum, et vulnera ejus rosea, animæ vera medicamina, est osculata.

### DE DOMO CORDIS.

Post hæc ostendit ei Dominus pulcherrimam domum excelsam et amplam nimis ; intra quam aliam vidit domunculam factam ex lignis cedrinis, interius laminis argenteis valde splendidis coopertam, in cujus medio Dominus

Cor Domini tamquam domus in qua introducitur anima.

residebat. Hanc domum Cor Dei esse bene recognovit, quia multoties ipsum tali viderat forma ; domuncula vero interior animam illam figurabat quæ, sicut ligna cedrina imputribilia sunt, immortalis est et æterna. Hujus domunculæ janua erat ad Orientem posita, habens pessulum aureum, in quo aurea catenula pendebat, tendens in Cor Dei, ita ut cum janua aperiretur, catenula illa Cor Dei commovere videretur[1]. Per januam intellexit designari desiderium animæ ; per pessulum, ejus voluntatem ; per catenulam vero Dei desiderium, quod semper animæ desiderium et voluntatem prævenit et excitat et trahit ad Deum. Et ait Dominus ad eam : « Sic anima tua semper est in Corde meo inclusa et ego in corde animæ tuæ. Et licet in intimis tuis me contineas, ita ut intimior sim omni intimo tuo, tamen divinum Cor meum ita excellens et supereminens est animæ tuæ ut omnino inattingibile videatur, quod per hujus domus celsitudinem et amplitudinem denotatur. »

Ante Communionem quasi a quatuor partibus se perspiciat anima.

Anima autem orabat Dominum quatenus eam ad sui prædignissimi corporis susceptionem dignaretur præparare. Cui ille respondit : « Dum vis communicare diligenter animæ tuæ domum perspicias, si parietes ejus aut læsi sint aut infecti. In orientali parte considera quam studiosa vel quam negligens in omnibus quæ ad Deum pertinent fueris : scilicet in laude Dei et gratiarum actione, in oratione, in ejus observatione mandatorum. In parte australi, perpende quam devota fueris Matri meæ et omnibus Sanctis ; quantum profeceris eorum exemplis et doctrina. In occidentali parte, intuere diligenter et examina quantum profeceris sive defeceris in virtutibus : quam obediens, quam humilis, quam patiens ad injurias ; si regulam tuam et statuta bene tenueris, si vitia in te exterminaveris et deviceris. In parte aquilonari, attende quam fidelis toti fueris Ecclesiæ, qualiter erga proximum

1. Cf. part. IV. c. 20.

egeris; si ipsum intima charitate dilexeris, si omnia adversa ejus tua reputaveris, si pro peccatoribus et animabus fidelium et omnibus indigentibus devote oraveris. Et si quam maculam aut læsionem in omnibus his inveneris, per humilem pœnitentiam et satisfactionem studeas reparare. » Dehinc anima ipsum domum intrans, ad pedes Domini cecidit, quam ille dignanter elevans in sinu suo posuit, et ter osculans dixit : « Do tibi osculum pacis, ex parte omnipotentiæ, sapientiæ et incommutabilis bonitatis meæ. »

Introitus Paschæ mystica interpretatio.

Cum autem cantaretur Missa, *Resurrexi* [1], Dominus benignissime illi blandiebatur dicens : « Ecce *resurrexi*, *et adhuc tecum sum*, perpetuo tecum mansurus. *Posuisti super me manum tuam*, hoc est, intentionem omnium operum tuorum. » Et aliis multis mirabilibus ineffabilibus verbis eam est allocutus. Anima autem ad tantam Domini dignationem stupefacta, humili reverentia a Deo se elongare volebat ; quam Dominus magis attrahens dicebat : « Eia fave mihi, ut tecum sim et fruar deliciis meis. » Et cum *Gloria in excelsis* cantaretur, desiderabat Deum pro his donis suis collaudare. Tunc ait ad eam Dominus : « Scis quia scriptum est :

Laus pro terrenis debetur, gloria cœlis.

Si ergo laudare me cupis, glorifica me in unione illius reverentissimæ gloriæ, qua Deus Pater omnipotentia sua cum Spiritu Sancto me glorificat ; et in unione altissimæ gloriæ quo inscrutabili sapientia Patrem et Spiritum Sanctum glorifico ; Spiritus quoque Sanctus sua incommutabili bonitate Patrem et me dignissimo modo extollit. »

Laus Christi per Patrem et Spiritum sanctum cum sapientia prolata.

Post Tertiam itaque, dum fieret Processio, licet valde debilis esset, cum baculo a Sororibus in fine Processionis se circumduci faciebat. Et vidit Dominum Jesum in similitudinem diaconi indutum dalmatica, vexillum rubeum manu gestan-

1. Introitus in Dominica Paschæ.

tem, secum et cum qualibet persona euntem. Et cum miraretur cur Dominus in similitudine diaconi cum singulis appareret, ipse Dominus Jesus dignanter respondit : « Sicut diaconus altari deservit, sic ego assisto Deo Patri meo ad omne imperium ejus paratus. Nunquam etiam aliquis diaconus tam studiosus in ministrando fuit, sicut ego cuilibet animæ fidelis assisto minister. »

Christus tamquam diaconus animæ assistit.

QUOD DOMINUS CONGREGATIONI MINISTRABAT.

Ad Vesperas iterum, inter Antiphonam *Regina cœli*, vidit beatam Virginem in choro stantem, et virgineum Filium suum in dextra tenentem, cujus vestes trifoliis et scutis splendidis erant plenæ. Per trifolia intellexit excellentiam venerandæ Trinitatis designari, quæ tota sua divinitate in Christo corporaliter habitat; per scuta, quorum acuitas ad terram erat versa et latitudo erecta, intellexit quod Christi conversationis et passionis austeritas fine bono esset quasi terminata; sed gaudium et gloria quam pro ea accepit, in cœlesti regno fulgida et dilatata, triumphum obtinet sempiternum. Habebat etiam Dominus coronam splendidam, de qua etiam scuta pendebant, in quibus perlucidæ cruces erant, de quibus singulis quinque radii exibant. Dixitque Dominus : « Ecce ad hoc paratus adveni ut vobis in sero ministrem. Quinque enim fercula vobis in hac cœna ministrare volo. Quorum primum est gaudium quo hodie divinitas de mea habuit humanitate, et humanitas de divinitate. Secundum est gaudium quod habui, cum amor pro universis amaritudinibus quibus me in passione replevit, inæstimabili gaudio et suæ dulcedinis affluentia omnia membra mea penetravit. Tertium est gaudium quod habui, cum Patri meo pretiosissimum pignus, scilicet animam meam, cum omnibus anima-

Quinque gaudia Dominus ministrare devotis animabus in Pascha intendit.

bus quas redemi, cum ineffabili tripudio præsentavi. Quartum est gaudium quod habui, cum Pater meus plenissimam potestatem mihi tribuit honorandi, ditandi et remunerandi amicos meos, quos tanto labore et tam caro pretio acquisivi. Quintum est gaudium quod habui, ex eo quod Pater meus redemptos meos sede perenni mihi sociavit, ut sint de cætero cohæredes, et mensæ meæ convivæ. Cæteri enim reges cum amicis suis epulantes, peracto convivio, iterum ab invicem separantur; sed amici mei ubi ego sum, mansionem perpetuam mecum habebunt. Si quis ergo horum gaudiorum me admonuerit, pro primo gaudio, si tamen desideravit, dabo ei ante mortem ejus gustum meæ divinitatis; pro secundo, dabo ei intellectum cognitionis; pro tertio, animam ejus in extremis suis Patri meo præsentabo; pro quarto, fructum et participationem passionum et omnium laborum meorum ei tribuam; pro quinto, jucundam ei Sanctorum societatem donabo. »

### LAUS ET ORATIO DE QUINQUE GAUDIIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI QUOD HABUIT IN SUA GLORIOSA RESURRECTIONE [1].

Laudes D. Mechtildis

« Laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico te, Jesu bone, in illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando tua beatissima humanitas in resurrectione glorificationem suscepit a Patre divinæ glorificationis, et in se omnibus electis glorificationem æternam in sua divinitate tribuit. Per illud ineffabile gaudium rogo te, o amantissime mediator Dei et hominum, ut eamdem quam mihi tunc dedisti claritatem, tua gratia conserves illæsam, in die judicii cum gaudio assumendam. Amen. »

1. Glorificatio Christi et in eo Electorum.

1. Hic articulus non in Lipsiensi, sed in San-Gallensi, Vindobonensi, et Guelferbytano legitur. Quas laudes Florentiæ tempore *Dante* evulgatas ex Boccacio constat.

« Laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico te, Jesu bone, in illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando charitas inæstimabilis quæ te in mundum de sinu Patris deposuit, et subjacere fecit omnibus pœnis et miseriis, in resurrectione tua omnia membra tua replevit honore et gaudio incomparabili, sicut in cruce repleverat dolore intolerabili. Per illud ineffabile gaudium rogo te, amantissime mediator Dei et hominum, ut dones mihi lumen intellectus et cognitionem animæ, ut sciam quid acceptum sit coram te, omni tempore. Amen. »

2. Honor et delectatio quæ membris Christi sunt collata.

« Laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico te, Jesu bone, in illo ineffabili gaudio quod habuit sanctissima tua anima, quando se in pretium et pignus æternæ redemptionis cùm copiosa multitudine omnium beatarum animarum ex inferni claustris, cum inæstimabili tripudio te prosequentium, Deo Patri præsentavit. Per illud ineffabile gaudium rogo te, o amantissime mediator Dei et hominum, ut in hora mortis meæ sis animæ meæ pignus sufficiens, et pretium persolvens omne debitum meum; et placa mihi Deum Patrem judicem æquissimum; et perduc me cum gaudio ante conspectum suum. »

3. Animarum in limbis detentarum liberatio.

« Laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico te, Jesu bone, in illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando a Deo Patre data est tibi plena potestas remunerandi, ditandi et honorandi secundum liberalitatis tuæ magnificentiam, omnes commilitones et amicos tuos, quos tam glorioso triumpho de tyrannica potestate liberasti. Per illud ineffabile gaudium rogo te, o amantissime mediator Dei et hominum, fac me participem omnium tuorum laborum et operum, et tuæ gloriosæ mortis ac beatissimæ passionis. »

4. Remunerandi amicos suos Christo potestas facta.

« Laudo, adoro, magnifico, glorifico et benedico te, Jesu bone, in illo ineffabili gaudio quod habuisti, quando Deus Pater donavit tibi omnes amicos tuos in æternam hæredita-

tem possidendos, et impleta est illa benignissima petitio tua et voluntas qua dixisti : *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus*, (JOAN. XVII. 24.) ut omne gaudium et omne bonum, quod tu ipse es, ipsorum esset sine fine. Per illud ineffabile gaudium rogo te, o amantissime mediator Dei et hominum, ut dones mihi illud beatissimum omnium electorum tuorum consortium, ut te habeam una cum eis, unicum gaudium et omne bonum, hic et in æternum. Amen. »

5. Hæreditas æterna cum Christo Electis data.

DE GLORIFICATA HUMANITATE CHRISTI IN RESURRECTIONE.

POST hoc orabat Dominum ut in illo jucundissimo gaudio, quo Deo Patri laudes et gratias egit, cum in resurrectione ipsum immortalitate dotavit, etiam pro se laudes referret, pro eo videlicet quod eamdem inmortalitatis dotem similiter in resurrectione futura esset acceptura. Cui Dominus respondit : « Hoc modo pro te et pro quolibet meorum tam libenter ac si pro me ipso facio, quia membrorum meorum gloriam non aliam quam meam reputo : ideo quidquid membris meis honoris confertur, mihi collatum gaudeo. Sed anima illa pro qua, dum in terris est, laudes et gratias persolvo, multam exinde gloriam et gaudium in cœlis consequetur. » Cogitante etiam illa quæ esset glorificatio humanitatis Christi, qua Deus Pater Filium suum in resurrectione dotasset, ille benigne respondit : « Cordis mei glorificatio hæc erat, quod Deus Pater dedit mihi omnem potestatem in cœlo et in terra, ut essem in humanitate omnipotens sicut in divinitate, ut possem remunerare, honorare, sublimare, et omnem amorem exhibere amicis meis secundum omnem voluntatis meæ libertatem. Glorificatio quoque oculorum et aurium mearum hæc est, quod omnem indigentiam et tribulationem meorum fidelium perspicere valeo usque

De futura immortalitate sua Deum laudare exoptat Mechtildis.

Humanitati Christi potestas facta.

ad fundum, et omnes gemitus et desideria et preces eorum audire et exaudire. Toti etiam corpori meo hæc gloria donata est, ut sicut in divinitate ubique sum, ita etiam in humanitate, cum omnibus et singulis amicis meis ubicumque volo esse possum, quod nullus alius quantumcumque præpotens potuit, aut poterit in æternum. »

### QUALITER DEUS CUM ANIMA MANEAT, ET DE CONVIVIO DOMINI.

Jesus cum anima sicut pater, amicus, sponsus et laborum socius.

FERIA secunda Paschæ, cum legeretur in Evangelio : *Mane nobiscum* (Luc. xxiv. 29.), illa inquit ad Dominum : « O dulcor unice, mane, quæso, mecum, quia dies vitæ meæ inclinata est usque ad vesperam. » Cui Dominus : « Ego tecum manebo, quasi pater cum filio, dividendo tecum cœlestem hæreditatem quam tibi mercatus sum meo pretioso sanguine, cum omni bono quod tibi operatus sum in terris triginta tribus annis ; hæc omnia tibi proprie dabo. Secundo ero tecum quasi amicus cum amico ; et sicut homo qui fidelem habet amicum, ad illum in omni necessitate confugit, illi semper adhærens , ita et tu ad me qui tibi sum amicus præ omnibus fidelissimus, semper in omnibus tutum habeas refugium ; et invalidam te dimitte ad me , quia fideliter ad omnia juvabo te. Tertio tecum ero sicut sponsus cum sponsa, inter quos nulla potest esse divisio, nisi infirmitate disjungantur. Sed si tu infirmaveris, ego sum medicus peritissimus, ab omni infirmitate sanans te ; et ita inter nos nulla poterit esse divisio, sed æterna copula et inseparabilis unio. Quarto, tecum manebo, velut socius cum socio ; quorum si unus grave onus portaverit, statim alter onus illud tollit, et cum eo supportat. Sic ego omnia onera tua tecum portabo tam fideliter, ut omnia tibi sint levia sustinenda. »

Tunc incidit menti ejus quod aliquando dixerat illi Deus :

Ecce animam meam do tibi in sociam et ductricem; illi omnia tua committe, et cum tristaberis, illa consolabitur te, et in omnibus fideliter juvabit te. Et ait ad Dominum: « Eia mi Domine, vita animæ meæ, ignosce mihi, dux mitissime, quod tam nobilissimam sociam, heu! tam raro ad opera mea invitavi, nec ejus auxilium in omnibus ut debui requisivi. » Et Dominus: « Ego tibi indulgeo, et anima mea tecum manebit usque in finem vitæ tuæ, et tunc suscipiet te in illa unione qua spiritum meum in manus Patris moriens in cruce commendavi, et Patri meo cœlesti te præsentabit. »

Anima Christi nostræ animæ sociatur.

Post hæc orabat Dominum pro una persona sibi fideli et familiari, ut omnia quæ sibi dederat quasi propria, illi daret. Continuo vidit eamdem in præsentia Christi stare; et Dominus accipiens manus illius, omnia dona illa tribuit ei in propria.

Ipsa vero pro his omnibus Dominum laudare plurimum affectans, rogabat eum ut suæ cœlesti familiæ in laudem et gloriam suam convivium permagnificum præpararet. Et statim vidit paratum convivium excellentissimum, et Dominum veste nuptiali amictum, quæ erat viridis coloris aureis plena rosis; et ait Dominus ad illam: « En ego rosa sine spina natus, multis spinis sum punctatus. » Tota ergo cœlestis familia vestibus Domini similibus erat vestita. Cum ergo nuptiæ essent paratæ, ait Dominus: « Quis in hoc convivio officium geret lusoris? » Et cum hoc dixisset, accipiens animam in manus suas fecit eam saltare. De quo omnes convivæ novam lætitiam et augmentum gaudiorum percipientes Deo gratias retulerunt, eo quod tam jucundum se cum anima illa exhibebat. Anima vero Christum amatorem suum amplexibus stringens intimæ charitatis, ante mensam convivantium ipsum ducebat. Et vidit claritatem inenarrabilem, et mirificum splendorem a facie Domini procedere, qui totam cœlestem aulam perlustrabat, et omne

In convivio electorum ludit Christus cum anima.

scyphos qui in illa mensa regali erant replebat. Sic ergo claritas suæ amabilis faciei facta est ipsorum satietas, gaudium et amœnitas qui ipsos satiat sine fastidio, lætificat sine termino et exultare facit in seipso. Pro tali convivio sit laus et honor Filio Virginis delicato.

### DE DIE OCTAVA PASCHÆ.

Octava autem die Resurrectionis Christi, vidit iterum supradictam domum, quam dum intrare vellet, duos Angelos præ foribus adstantes invenit, extensis in altum alis, ita ut in summitate alæ se invicem contingerent, suavissimum veluti cythara sonum reddentes, et hoc præ gaudio quo adventum animæ expectabant. Anima vero cum intrasset, ad pedes Domini cecidit, salutans et deosculans rosea vulnera Christi. Cum autem ad vulnus Cordis venisset, vidit ipsum apertum, in similitudine ardentis flammæ magnum emittentis vaporem. Dominus autem animam benignissime suscipiens ait : « Intra et perambula longitudinem et latitudinem divini Cordis mei : longitudinem, hoc est æternitatem bonitatis meæ ; latitudinem vero, hoc est amorem et desiderium quod ab æterno habui ad tuam salutem. Hanc longitudinem et latitudinem perambula : hoc est, proprie tibi vindica, quia vere tuum est omne bonum quod invenis in Corde meo. » Et insufflavit dicens : « Accipe Spiritum Sanctum meum. » Tunc illa beata anima Spiritu Sancto repleta de omnibus membris suis igneos radios progredi vidit, ita ut quilibet eorum pro quo oraverat radium ex ea in se susciperet. Et cum communicasset cor suum cum Dei Corde, velut massam auri in unum liquatum vidit, audivitque Dominum dicentem sibi : « Sic cor tuum in perpetuo adhærebit secundum omne desiderium et delectamentum tuum. »

In Cor divinum ut intret invitatur anima.

Post Communionem Dei Cordis cor animæ velut massa auri liquefacta unitur.

## CAPUT XX.

### QUALITER DEUS PATER FILIUM SUUM ASCENDENTEM SUSCEPIT.

GLORIOSÆ Ascensionis Christi die, vidit se esse in monte quodam, ubi apparuit ei amor in specie virginis pulcherrimæ viridi amictæ pallio, dicens ad animam : « Ego sum illa quam in sancta nocte nativitatis Christi tam mirabili splendore vidisti. Ego sum quæ Filium de sinu Patris in terram adduxi, et nunc ipsum super omnes cœlos cœlorum exaltavi. » Ad hæc verba cum anima aliquantulum expavesceret, illa adjecit : « Noli timere ; adhuc enim majora videbis. » Et subito vestes ejus in mirabilem mutatæ sunt decorem ; erantque plenæ aureis cancellis, et in quolibet cancello imago Regis sedebat, et hæc verba desuper erant conscripta : « *Qui descendit ipse est qui ascendit super omnes cœlos.* (Eph. iv. 10.) Omnia etiam opera nostræ redemptionis in his imaginibus miro opere expressa intellexit. Dominus etiam Jesus similibus indumentis erat vestitus, excepto quod in ejus cancellis amor velut regina sedebat. Sicque Deus seipso erat vestitus, quia Deus charitas est, et charitas Deus est. Amor autem accipiens Dominum in brachia sua, eum elevavit dicens : « Tu es ille solus in quo omnem virtutis meæ potentiam plene peregi. » Anima vero interrogabat virginem quid essent brachia ejus quibus Dominum transvexisset. Respondit : « Brachia mea nihil aliud sunt quam omnipotentia mea et voluntas. Omnia enim possum, sed non omnia quæ pos-

Amor in terram Dei Filium adduxit et super cœlos exaltavit.

Christus solus est in quo suam potentiam amor plene peregit.

sum, etiam facere expedit ; ideoque inscrutabilis sapientia mea omnia ordinat et disponit. »

Magnus etiam Sanctorum exercitus ibi visus est, inter quos Joannes Baptista, Joseph nutricius Domini, et Simeon qui Christum suscepit in templo, erant primates ; qui omnes cum Domino ascendebant. Beatissima Virgo, Mater Domini, etiam visa est in prædicto monte, vestita talibus indumentis sicut supra de amore diximus, et desubtus tunica rubei coloris. Et dixit ad animam : « Omnes passiones meas quas pertuli cum Filio meo et propter Filium meum, in silentio et patientia supportavi. Ego quoque incessabile desiderium ad Dominum pro novella Ecclesia habui, et sæpe ad specialem misericordiam ipsum inclinavi. Et sic adhuc amantis animæ desideriis se denegare non potest, indeque est quod anima Dominum in terris magis afficit quam in cœlis [1]. » Tunc anima admonebat eam gaudii quod habuit in ascensione Filii sui. Ad hæc illa respondit : « In gaudio illo cognovi omne gaudium et beatitudinem quæ in assumptione mea perceptura eram. »

In ascensione Filii præcognovit Maria assumptionis suæ gaudia.

Dominus itaque Jesus cum ineffabili jubilo ascendens stabat ante Patrem, repræsentans illi in seipso omnium animas electorum, tam præsentium quæ secum ascenderant, quam omnium illuc futurorum, et singulorum opera, passiones et merita ; ita ut hi qui modo sunt in statu peccati, tali forma in ipso apparerent, quales futuri sunt in cœlo. Animæ vero amantes, et qui pro Christo multa patienter tolerant, in Corde ejus speciali decore fulgebant, reliquæ autem in cæteris membris ejus elucebant. Pater ergo cœlestis Filium suum dignissimo honore suscipiens, ait : « Ecce do tibi omnium affluentiam deliciarum quas in exilium mundi descendens

Animæ amantes in Corde Domini præfulgent.

1. Nullibi hic textus ad formam correctiorem occurrere nobis visus est; in codice quidem Guelferbytano hic folium decisum perierat. In Codice San-Gallensi pro *afficit* legitur *affligit*.

quasi reliquisti, cum plenissima potestate communicandi eas affluentissime omnibus animabus quas modo tecum præsentasti. « Dominus autem Jesus omnem pauperiem, opprobria, contemptum et pœnas, omnemque laborem et opera humanitatis suæ, quasi novum acceptissimum quoddam munus nunquam antea in cœlo visum, licet in divinitate præcognitum et prævisum, Deo Patri obtulit; quæ ille ita sibi intraxit et suæ divinitati univit, ac si ea in propria persona pertulisset. Spiritui quoque Sancto omnem amoris fragrantiam, quo ejus sanctissimum Cor ultra omnem æstimationem ardebat, et septem dona Spiritus Sancti cum plenissimo fructu attulit; quia in solo Christo Spiritus Sanctus hæc dona perfecte operatus est, juxta illud Isaiæ : *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ,* etc. (Isai. xi. 2. 3.) Angelicis autem spiritibus lac humanitatis suæ ipsis antea inexpertum, novam scilicet superaffluentem dulcedinem in sua deliciosa humanitate, in augmentum gaudii et gloriæ suæ donavit. Patriarchis et Prophetis poculum dulcissimum propinavit, in quo omnia desideria ipsorum satiavit, et amodo in se requiescere fecit. Innocentibus vero et qui pro veritate mortui fuerant, ut Joannes Baptista, Jeremias et alii quamplures, eorum passiones sua gloriosa passione et morte illustrando et nobilitando quasi deauravit. Dona quoque plurima terrigenis, videlicet Apostolis et aliis fidelibus contulit in internam consolationem [1], spiritualium cognitionem, et amoris sui inflammationem.

In operibus suæ humanitatis Christus novum in cœlis munus obtulit.

Dehinc Dominus ad animam conversus dixit : « Ecce ascendi triumphator gloriosus, et omnia gravamina tua mecum assumpsi. » In quo verbo intellexit quod omnium

1. Nota famosam locutionem, hoc tempore, scilicet ante annum 1300, in his Libris usurpatam. Hisce tribus, nempe interna consolatione, spiritualium cognitione, et amoris Dei inflammatione, quasi designatur Libri de Imitatione Christi propositum.

hominum necessitates et tribulationes ei sunt præsentes, et ipse in nobis et pro nobis pugnando gloriose triumphat. Et adjecit : « Sicut dixi discipulis meis : Deus Pater dedit potestatem humanitati meæ in cœlo et in terra faciendi omnia quæcumque voluero ; dimittendi hominibus peccata sua, resistendi omnibus quæ hominem infestant, inclinandi meam divinitatem hominibus secundum omnes indigentias suas. » Tunc anima procidit ad pedes Domini, adorans eum et gratias agens ; quam ille dignanter alloquens ait : « Surge, regina mea ; omnes enim animæ quæ sunt amori meo unitæ, erunt reginæ. » Anima vero inter alia multa dixit ad Dominum : « Quid est, amantissime Deus, quod cum me cogito morituram, parvam, aut nullam inde concipio lætitiam, cum tamen quamplurimi magno cum gaudio et desiderio horam illam præstolentur. » Ad quod Dominus : « Hoc, inquit, speciali tibi bono feci, quia si mori desiderares, in tantum Cor meum divinum indulcares et alliceres, ut tibi hoc denegare non possem. » Et illa : « Et quid est quod homines mori in tantum formidant, etiam quandoque valde perfecti ? Ego quoque, licet miserabilis, cum me morituram recordor, expavesco. » Cui Dominus : « Quod homines mori timent, ex parte carnis est ; quia anima carnem suam diligens, ipsam mortis amaritudinem tolerare abhorret. Tu vero quid times, cum meum Cor in pignus [1] æterni fœderis, et in domum refugii et æternam habitationem acceperis ? »

Animæ amori Christi unitæ, erunt reginæ in cœlis.

DE EODEM FESTO.

Ipso etiam die dum cantaretur Responsorium : *Omnis pulchritudo Domini* [2], in affectu mentis dixit ad Dominum :

1. Cf. Part. II. 21. et v. 45. item *Legatus*. lib. v. 4.
2. In Festo Ascensionis Domini.

« Mi Domine, amodo omnis pulchritudo et decor tuus ablatus est a nobis. » Cui ille benigne respondit : « Nequaquam. Ego enim cum tota pulchritudine et fortitudine, cum omni laude et gloria mea et amore sum vobiscum, et manebó in æternum. » Item cum in Processione cantaretur : *Et benedixit eos,* vidit in aere supra conventum manum miri decoris Congregationem benedicentem, audivitque Dominum dicentem : « Illa benedictio quam tunc feci super discipulos meos æterna est, nec unquam auferetur a vobis. »

Benedictio Domini in sua ascensione super discipulos ad omnes fideles permanet.

QUALITER DEUS OPERUM REDEMPTIONIS HUMANÆ MONEATUR.

In Missa quadam audiens Collectam illam : *Infirmitatem nostram respice, quæsumus, omnipotens Deus, etc.* cogitabat scire desiderans quem fructum verba illa, scilicet *incarnatio,* etc. haberent. Cui Dominus respondit : « Hæc verba in modum cujusdam personæ admonent me operum redemptionis humanæ. Hoc verbum, *Incarnatio,* admonet me charitatis qua *factus sum frater leonum et socius struthionum,* sicut scriptum est de me : (Job. xxx. 29.) Per leones significantur superba corda; per struthiones vero, dura Judæorum corda, cum quibus tam amicabiliter in fraterna vixi charitate. Hoc autem verbum, *gloriosa passio,* recolere me facit fidelitatis quam meis exhibui inimicis, pro quibus dum mihi amaram inferrent mortem, tam intente Patrem cœlestem exoravi. Hoc verbum, *pretiosa mors,* admonet me quam permagnum pretium dedi me pro homine, cum in ara Crucis Deo Patri hostiam me acceptissimam obtuli, et omne pretium ejus plene persolvi. Hoc verbum, *resurrectio,* memorari me facit magni honoris quem homini imposui, cum humanam carnem de sepulcro ressuscitavi in signum veræ resurrec

Dignitas est hominibus quod Christo ut membra suo capiti copulentur.

tionis ; insuper eximiæ dignitatis quam contuli hominibus, in eo quod mihi velut membra capiti suo æterno fœdere copulantur. Quintum verbum, scilicet *ascensio*, admonet me quod factus sum advocatus hominum, et mediator apud Patrem. Fidelis advocatus domini sui censum fideliter congregat, et ubi domino suo deesse viderit, de suo supplet. Et sic ego omnia bona quæ homo fecerit, centuplicata Patri meo offero et ubicumque defuerit, ei de meo suppleo, ut animam ejus cum inæstimabilibus divitiis Patri meo cœlesti coram omnibus Sanctis repræsentem. »

---

## CAPUT XXI.

### DE FLETU DOMINI ET LACRYMIS AMORIS.

Dominus flevit ob unionis suæ cum Patre, ac cum homine recordationem.

Item cum audiret legi in Evangelio Dominum flevisse [1], et ipse ex hoc suam occupasset memoriam, dixit ad eam Dominus : « Quoties in terris cogitabam illam ineffabilem unionem quæ Deo Patri unitus, unum cum ipso eram, humanitas mea a lacrymis se continere nequibat. Quoties etiam recordabar inæstimabilis dilectionis quæ me de sinu Patris alliciens, humanæ conjunxit naturæ, toties humanitas mea a fletibus non poterat se cohibere. » Tunc illa dixit : « Et ubi sunt lacrymæ tibi ex amore unquam profusæ ? » Respondit : « Specialem in Corde meo obtinent locum ; sicut qui thesaurum habet magis sibi dilectum, in secreto et singulari reservat loco. » Et illa : « Tu aliquando dixeras mihi lacrymas amoris in Corde tuo velut in igne

1. Joann. xi. 35.

absumi ? » Cui Dominus : « Hoc utique verum est ; nam in Cordis mei fervore, velut aqua sparsa ad ignem, absumuntur, nec tamen consumuntur, sed in intimis Cordis mei optime reservantur. »

Amoris lacrymæ in Corde divino servantur.

Item [1] vidit Dominum aperire dulcissimi Cordis sui vulnus, et dicentem : « Aspice multitudinem pietatis meæ, quam si cupis agnoscere, nusquam lucidius quam in verbis Evangelii poteris invenire. Majoris siquidem aut dulcioris affectus nunquam audita sunt verba quam illa : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos*, (JOANN. XV. 9.) et alia his similia, quæ tam ad discipulos quam ad Patrem meum locutus sum, multa eis bona impertiendo. »

---

## CAPUT XXII.

### DE TRIPLICI OPERATIONE SPIRITUS SANCTI IN APOSTOLIS ET IN QUALIBET ANIMA DESIDERANTE.

IN sancta Vigilia gratiosi festi Pentecostes, hæc Dei humilis ancilla cum se receptaculum Spiritus Sancti exhibere desideraret, dixit ad eam Dominus : « Spiritus Sanctus tria in Apostolis operatus est. Quorum primum est quod eos in suo adventu in divino amore succendens penitus permutavit, ita ut qui antea timidi et infirmi, et seipsos erant amantes, tam fortes effecti sunt, ut etiam mori non timerent ; imo gaudium et gloriam reputabant se pro Dei amore adversa tolerare. Secundo, sicut ignis ferrum purificat et sibi simile efficit, sic Spiritus Sanctus Apostolos ab omni sorde purga-

1. Quæ sequuntur e solo Lipsiensi codice sunt excerpta; desunt vero in codice Guelferbytano.

tos in seipso ad plenum sanctificavit. Tertio, sicut aurum igne liquatum, si cui formæ infunditur, ejus in se imaginem repræsentat, ita Spiritus Sanctus Apostolos igne sui amoris liquefactos, in Deum refluere fecit, et ejus divinæ imagini conformavit, ut de ipsis impletum videretur illud psalmistæ: *Ego dixi, dii estis.* (Ps. LXXXI. 6.) Similiter, qui Spiritus Sancti adventum desiderat hæc tria in se operari exoret; scilicet ut Spiritus Sanctus cum suo amore contra mala et ad quæque bona corroboret auferendo ab eo omnem humanum timorem, quatenus pro Dei amore adversa suscipiat gaudenter. Oret etiam per Spiritum Sanctum remissionem omnium peccatorum sibi donari, et ut igne divini amoris penitus resolutus, totus in Deum transire, et ei feliciter unitus mereatur conformari.

Spiritus Sanctus corroborat, purgat ac Deo conformat.

DE EODEM.

ITEM Spiritus Sanctus Apostolis tria pocula propinavit, quibus eos tam affluenter replevit, ut non immerito eos populus ebrios æstimaret. Primo, eos vino amoris tam abundanter replevit, ut velut ebrii seipsos oblivioni traderent, non jam honorem aut aliquid corporis commodum appetentes, sed Dei solius gloriam requirentes. Secundo, eos mero divinæ consolationis et dulcedinis redundare fecit, ut nullum deinceps terrenum gaudium, vel solatium eis sapere posset. Tertio, amore cœlestium quasi nectareo poculo eos inebrians, quasi insanire fecit; unde ineffabili desiderio accensi ad Deum, etiamsi fieri posset per mille mortes ad eum transire cupiebant. His similiter modis anima fidelis a Spiritu Sancto potari se postulet vino, videlicet divini amoris, quod suimet oblivionem pariat, ut nihil honoris sive commodi, nisi quantum ad Dei gloriam sibi requirat. Oret etiam se interna Spiritus Sancti suavitate ita repleri, ut nunquam terrenum gaudium sive delectamentum sibi valeat complacere. Amore

Spiritus Sanctus ad gloriam Dei, ad cœlestem suavitatem et ad spiritualia promovet.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

quoque cœlestium et spiritualium se oret inflammari, quo toto corde ad Deum anhelans mortem et omnia pœnalia pro nihilo ducat.

### DE VINEA DOMINI, SCILICET ANIMA JUSTI.

Eodem die, dum celebraretur officium, vidit Regem gloriæ, Dominum Jesum, cum multitudine Angelorum et Sanctorum in Ecclesia residentem, et de Corde ejus tot radios micantes, quot ibi aderant Sancti, ita ut in quemlibet illorum spiculum tenderet radiorum. Cum autem cantaretur : *Vinea facta est* [1], hæc Christi virgo in affectu mentis dixit ad Dominum : « Eia utinam tibi cor meum vineam secundum Cor tuum electam omni tempore possem exhibere ! » Cui Dominus : « Omne quod desideras valeo perficere. » Et statim, vidit se (*a*) intra cor suum velut in vinea pulcherrima deambulare, quam Angelorum multitudo velut maceria in circuitu protegebat. In orientali parte erat vinum purissimum et dulce nimis, significans operum fructus quos homo Deo in pueritia defert. In aquilonari, erat vinum rubeum et forte, figurans laborem quo homo in adolescentia vitiis et tentationibus resistit, contra omnem virtutem inimici. In meridie, vinum fervens et valde optimum erat, designans virtutum opera quæ in juventute homo in Dei perficit amore. In occidentali autem parte erat nobilissimum et nectareum vinum, exprimens desideria diversa quibus homo ad Deum et cœlestia totis viribus anhelat, necnon pœnas et tribulationes multimodas, quibus homo nonnunquam in senectute molestatur.

Quatuor vina quæ anima tamquam vinea ferre debet.

Intellexitque divinitus justum hominem Dei talem esse vineam, Deumque valde in eo delectari qui ab infantia

1. *Tractus* in Vigilia Pentecostes.
(*a*). Dominum. *Cod. Vindob.*

usque ad mortem, per omnem vitam suam Deo laudabiliter vivit. In medio autem vineæ fons erat, juxta quem Dominus in solio residebat, et de Corde ejus rivus cum impetu in fontem illum defluebat, de quo Dominus omnes qui spiritualem regenerationem capiebant aspergebat. Super hunc fontem in circuitu septem clypei mirifici operis eminebant, designantes septem dona Spiritus Sancti, quæ ideo species scutorum prætendebant, quia nemo Spiritus Sancti dona absque labore poterit possidere.

Fons e divino Corde prosiliens irrigat animam.

## DE QUINQUE OSCULIS.

Et dum cantaretur : *Rex sanctorum Angelorum* [1], iterum videbatur sibi quasi Dominus cum gloria ad fontem baptismatis processionaliter iret, habens dextrorsum Joannem Evangelistam, sinistrorsum vero Bartholomæum; quam gloriam illi ob singularem cordis et corporis munditiam, qua præditi fuerant, sunt adepti. Petrus vero et Jacobus minor Dominum ad fontem præibant, propter specialem Episcopatus dignitatem, quam præ aliis Apostolis habuerunt. Gloriosa vero Virgo Maria etiam ibi a dextris Filii visa est, in vestitu deaurato sphærulis quæ sine intermissione circumvolvebantur, significantibus incessabile desiderium quod habuit ad Ecclesiæ novellæ salutem. De Corde quoque Dei fons vivus limpidissimæ aquæ defluebat.

Cordis divini mira erga animam operatio.

Anima autem accedens ad matrem Domini rogabat ut obtineret sibi in hoc fonte ab omnibus ablui peccatis. Tunc illa dignanter animam in ulnas suas accipiens, Dei Cordi eam applicavit; illa vero quinquies Cor ejus osculabatur. In primo

1. Litania in Sabbato ante Pentecosten, ad sacri Fontis benedictionem.

osculo sensit se ab omnibus maculis emundatam; in secundo autem, pacem Dei veram sibi dari; in tertio quoque, sicut amica carissima, spirituali dulcedine dotata est; in quarto vero, intra Cor Dei rapta est, ubi vidit et agnovit omnes electos omnemque creaturam. Dixitque ad eam Dominus: « Quid ultra vis aut velle poteris? En omne bonum quod cœlum et cœli cœlorum se gaudent habere, tuum est. Modo bonum tuum omnibus Sanctis ad placitum tuum communica. » At illa cum ineffabili gaudio Dominum circumplexa, beatæ Virgini ipsum primo communicavit, deinde omnibus Sanctis. In quinto, visa est cum Domino ad mensam opulentissimam sedere, et cum ipso convivari.

Dixitque Dominus: « His quinque modis quotidie Cor meum osculari debes. Sicut in matre habente filiam sibi valde dilectam perpendere potes: primo igitur faciem ejus contemplatur, et si aliquam deprehenderit maculam, continuo diluit eam; secundo, caput ejus ornat corona; tertio, nimio ducta affectu ipsam osculatur; quarto introducit eam in cubiculum suum, demonstrans illi copias divitiarum suarum; quinto, reficit eam optimo quo potest cibo. Eodem modo animam ad me venientem per pœnitentiam assumo in gratiam meam, omnesque sordes illius detergo. Post hæc coronam illi impono, cum variis eam virtutibus adorno; sicque mihi in ea complacens ex incontinenti amore specialis dulcedinis osculum sibi infigo; dehinc familiari admissu ostendo illi per felicem experientiam divitias deliciarum mearum; ex hoc cibo eam refectione optima, scilicet corporis et sanguinis mei Sacramento. »

Dominus ut mater filiam, sic animam recipit et ornat.

## CAPUT XXIII.

### ITEM DE AMORE, QUALITER HOMO COR SUUM DEO OFFERAT.

In die sancto, dum Missa *Spiritus Domini* imponeretur, audivit vocem sibi dicentem : « Audi, o anima mea, et exulta, quia si Spiritus Domini totum orbem replevit, tu exclusa non eris. » Tunc illa intra se cogitare cœpit : Hæc verba Dei non sunt, sed forte animæ tuæ seipsam consolantis. Ad hæc Dominus respondit : « Mea sunt hæc verba, quia anima tua mea est, et anima mea tua est. Sicut enim de Jonatha et David legitur, quod animæ eorum fuerunt glutinatæ, ita et multo fortius anima tua meæ animæ glutino amoris adhæret, sicut hodie tibi demonstrabo. » His dictis, datæ sunt animæ duæ alæ candidæ quibus ad alta volitabat, et usque ad magnum splendorem perveniens ibidem requievit. Angelus autem Domini accedens ad eam, reverenter salutabat dicens : « O nobilis virgo, præpara te, quia Sponsus tuus jam venturus est. » At illa dixit : « Nescio quo me ordine præparem ; sed si digne parata inveniri debeo, oportet ut ipse animæ meæ dilectus sibi me præparet. » Statim ipse Rex gloriæ formam et decorem indutus sponsi adveniens, veste candida eam induit dicens : « Accipe vestem innocentiæ meæ, quam tibi do in meritum æternale. » Deinde rosei coloris veste eam exornans ait : « Hanc vestem diversis passionibus meis tuisque doloribus tibi præparavi. » Amor etiam stabat coram Domino in specie virginis pulcherrimæ, quam Dominus amanter intuens ait : « Tu es quod ego sum. » Cogitanti vero animæ quod amictum non haberet, amor expandit pallium suum, et Deum animamque simul contexit,

Anima Mechtildis animæ Domini glutino amoris adhæret.

ita ut anima ipso amore amicta videretur. Pallium vero amoris desubtus varium erat, et tantæ amplitudinis ut multitudinem hominum contegere sufficeret. Et ait : « Quot crines sunt in pallio meo, tot consolationes ad me venientibus dono. » Anima vero tota in dilectum eliquabatur, ita ut quasi unus spiritus cum eo facta sibimet videretur. Tunc ait illi Dominus : « Modo quodcumque vis jube. » Et illa : « Domine mi, verbum jussionis non convenit mihi ; tamen si aliquid potestatis haberem, omnem creaturam excitare vellem ut te tota virtute, pulchritudine et scientia sua laudaret. »

Ad Offertorium autem dum cantaretur : *Tibi offerent reges munera*, dixit ad Dominum : « Quid modo, o præcordialis dilecte, tibi offeram cum nihil omnino quod deceat te habeam ? Laici communicant tibi terrenam substantiam suam ; religiosi seipsos et devotionem suam tibi offerunt. » Cui Dominus respondit : « Cor tuum mihi quinque modis offeras, et acceptissimum munus obtulisti. Primo, illud mihi offeras velut arrham sponsalem cum omni cordis tui fidelitate, orans ut per amorem Cordis mei emundetur quidquid in te per infidelitatem vitiasti. Secundo, sicut monile cum omni delectatione cordis tui, quod si omne delectamentum habere posses, propter me abdicares. Tertio, velut coronam cum omni honore quem in hoc sæculo et etiam in futuro obtinere posses, ut ego solus gloria tua sim et corona. Quarto, quasi phialam auream unde meiipsius dulcedinem bibam. Quinto, sicut vasculum optimi electuarii unde meipsum comedam. »

Quinque modis anima Domino cor suum offert.

Ad Tertiam vero, dum *Veni Creator Spiritus* imponeretur, vidit Spiritum Sanctum in specie aquilæ per chorum volantem , de cujus corde tot radii quot personæ aderant procedebant ; et ad unumquemque radium mille Angeli ministrabant. Columba etiam nivea, dum Conventus ad communionem accederet, cujuslibet personæ cor rostro suo tetigit,

Columba rostro suo ignem amoris in corde communicantibus accendit.

et in eo flammam ignis accendit. In quorumdam vero cordibus, ignis extinguebatur; in quorumdam autem convalescens in ignem magnum augebatur.

[[1] Alia etiam vice hoc eodem die apparuit ei Dominus Jesus, aureo amictus pallio, scilicet ipso amore, ad singulas in choro personas benigne accedens, et de Corde suo mellifluo Spiritum Sanctum in similitudine suavissimi et lenissimi venti unicuique immittebat.]

---

## CAPUT XXIV.

### DE FONTE VIVO QUI DEUS EST, ET DE GAUDIO ANIMÆ.

In festo semper venerandæ Trinitatis, in oratione posita desiderabat quatenus omnes Sancti, omnisque creatura ipsam reverendissimam et omni laude dignissimam Trinitatem, pro omnibus sibi impensis bonis benediceret et laudaret. Subito autem spiritus ejus rapitur, et usque ad thronum gloriæ deducitur. Viditque ipsam beatissimam Trinitatem, in similitudine fontis vivi ex seipso sine initio existentis, et in se omnia continentis, qui mira amœnitate effluens, et tamen in se indeficiens, permanens irrigabat et fructificare faciebat universa. Anima autem tota liquefacta amore, in ipsam divinitatem influebat; ipsa vero ineffabili deliciositate in animam reinfluebat. In hac unione inter alia hæc verba sibi audivit dicta: « Ecce cum omnipotentia mea omnipotens effecta es; et si omnia vis quæ ego

Trinitas ut fons vivus influit in animam.

1. Quæ uncis includuntur in Lipsiensi codice desunt et in editione Lips. anni 1503, sed leguntur in Guelferb. et San-Gallensi; unde videtur Lipsiensis editio e codice in eadem urbe servato translata.

volo, semper unita meæ omnipotentiæ eris. Attraxit etiam te mea inscrutabilis sapientia ; quod si omnia opera mea et judicia tibi placuerint, divinæ sapientiæ semper unita eris. Amor quoque meus te sic penetravit et perfudit, ut non tuo sed cum meo amore me diligere videaris ; in qua unione mihi perpetuo adhærebis. »

Cum autem communicatura esset, tanto gaudio spiritus replebatur, ut ex hoc in magnam admirationem verteretur. Tunc ait Dominus : « Vade, communica gaudium tuum omnibus Sanctis. » Et illa accessit primo ad beatam Virginem Mariam, et communicans gaudium suum sibi dixit : « O gratiosa Virgo, in augmentum omnis gloriæ tuæ hoc permagnum cordis mei gaudium communico. » Cui illa respondit : « Et ego omne gaudium meum tibi do, quo præ omni creatura in terris vel in cœlis unquam gavisa sum. » Deinde Apostolis gaudium suum communicavit. Cui illi dixerunt : « Et nos omne gaudium quod cum dulcissimo Domino et magistro nostro unquam habuimus tibi donamus, et specialiter cum ab ipso de morte ad se vitam perpetuam vocaremur. Post hæc Martyribus , qui et dixerunt : « Et nos omne gaudium quod in igne et ferro et millenis mortibus ex ejus amore habuimus, tibi donamus. » Perveniens vero ad Confessores, dixerunt : « Et nos omne gaudium quod in labore et rigore Ordinis unquam pro Christi amore habuimus, tecum participamus. » Cum autem Virginibus gaudium suum communicasset, illæ dixerunt : « Et nos omne gaudium quod speciali prærogativa in Deo sponso nostro possidemus, tibi donamus. » Videbatur etiam sibi quod Virgines præ aliis Sanctis jucundissima quadam deliciositate Deo fruerentur, et quod singulari suavitatis sapore ipsas influeret ; intellexit quod verum esset quod legerat :

**Gaudii communicatio inter animam et singulos Sanctorum ordines.**

Lauda manna virginale,
Manna novum et regale,

Quod nulli sapit hominum,
Nisi palato Virginum.

Inter virgines videt Mechtildis sorores suas, Gertrudem Abbatissam et Lutgardim puellulam.

Viditque inter choros Virginum venerabilis memoriæ sororem suam, prædilectam (*a*) Domnam Abbatissam, ornatam et compositam variis virtutibus velut reginam, et aliam sororem suam, scilicet Lutgardim, quæ in ætate juvenili decesserat, virginem in vita sua Deo et hominibus valde amabilem, niveo et auro texta cyclade indutam; quæ sororem suam accipiens et ante thronum Dei deducens, cantabat: « Hæc est speciosior sole et cedris sublimior. »

---

## CAPUT XXV.

### DE VULNERIBUS SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

In festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, visus est sibi Dominus quasi per chorum iret, habens beatam Mariam sub brachio suo dulciter amplexatam. Quod illa videns, mirari cœpit eo quod scriptum est: *Incorruptio proximum facit esse Deo.* (Sap. vi. 20.) Ad quod Dominus respondit: « Secundum magnitudinem amoris quo circa me in terris afficiebatur, etiam nunc in cœlestibus mihi sociatur. » Tunc illa: « Eia dulcissime Deus, doce me qualiter te in hac tua dilectrice collaudem. » Cui Dominus: « In quinque vulneribus quæ amor in passione mea sibi impressit. Cum enim penderem in cruce jam proximus morti, ipsa oculos meos videns claudi in morte, quibus sæpe misericorditer eam respexeram, cor ejus quasi sagitta est transfixum. Item cum aures meas, quas toties precibus ejus inclinaveram, videret morti appropinquare, et etiam cum audiret et videret mise-

(*a*) prædictam.

riam et fletum matris meæ, quam mei causa valde diligebat, nimio compassionis affectu cor ejus vulnerabatur. Tertio, cum os meum a quo tot dulcia, tot consolatoria et instructoria susceperat verba, specialiter cum dixi : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace* (Luc. vii. 50.), videret in morte pallere, nec amplius ei loqui valere, iterum quasi gladio est confossa. Quarto, dum Cor meum a quo tam dulcissimum susceperat amoris affectum, ita ut quoties me videret, toties cor ejus singulari affectu circa me afficeretur, videret lancea transfixum, iterum amor cordi ejus grave vulnus infixit. Quinto, cum me vitam suam et gaudium et omne bonum suum, sine quo videbatur sibi non posse vivere, videret mortuum, tradi sepulturæ, anima ejus nimio amoris affectu quasi præmortua, supra quam dici posset ineffabili dolore vulnerata tabescebat. »

Quali amore Domino morienti Magdalena compassa fuit.

QUOD BEATA MARIA MAGDALENA SE INVOCANTIBUS PŒNITENTIAM VALET IMPETRARE.

Item in festo ejusdem vidit ipsam coram Domino stantem, cujus cor igneum solari radiabat claritate, ac in omnia ejus membra se transfundebat. Intellexitque cœlitus hunc ignem in corde ejus tunc primitus accensum cum a Christo audivit: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* (Luc. vii. 50.) Qui ignis ita in ea convaluit, ut omnia quæ postmodum ageret seu cogitaret, in ignem illum verterentur. Per hoc quoque intellexit quod quilibet divino succensus amore, omnia quæ agit, cogitat sive loquitur, aut patitur, velut ligna igni injecta, in amoris ignem commutata augmentat ipsum in eo. Si quid etiam aliud cremabile ingeritur, ut sunt venialia peccata, totum hoc igne absumitur, et in nihilum redigitur; eritque anima illa tota ignea, ita ut in exitu ejus

Ignis amoris divini omnia sibi ingesta consumit, aut in se commutat.

a corpore maligni spiritus eidem nullatenus valeant propinquare. Illi vero qui hoc igne, id est, divino amore non flagrant, quidquid agant, non sic ignitur; insuper mala quæ agunt velut onera eos gravant cum decedunt.

Videbatur etiam sibi quasi de pedibus Domini excrevisse duas arbores miræ viriditatis, plenas fructu pulcherrimo, significantes fructum pœnitentiæ de quibus beata Maria Magdalena omnibus ad se venientibus carpendo fructum hilariter dabat. In quo designari agnovit quod beata Maria Magdalena hanc prærogativam ad Domini pedes consecuta est, ut omnibus se invocantibus vere pœnitentiam valeat impetrare. Et ait beata Maria Magdalena : « Omnis qui Deo gratias agit pro lacrymis quas ad pedes Christi fudi et opere quod exercui, cum pedes ejus sanctissimos manibus ablui, crinibus tersi, et pro amore quem tunc animæ et cordi meo infudit et totam succendit, ita ut præter ipsum nil adamare possem, orans ut lacrymas veræ pœnitentiæ obtineat, et divinum sibi amorem infundat, ipsi meritis meis benignissimus Dominus effectum petitionis suæ veraciter dabit; ita ut ante mortem ipsi peccata sua dimittat, et in Dei amore proficere faciat. »

Prærogativa Magdalenæ ad pedes Christi concessa.

---

## CAPUT XXVI.

### DE VENERANDA ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

In Vigilia gloriosæ Assumptionis dulcissimæ Virginis Mariæ Christi ancilla in oratione posita, visum est sibi quasi esset in domuncula in qua beata Virgo in lectulo decumbebat, linteis candidissimis cooperta. Illa vero dixit ad eam : « Unde tibi, o virginea Mater, languor inesse poterat, cum te extra-

neam fuisse credimus a dolore mortis ? « Quæ respondit : « Cum essem in oratione et recordatione omnium beneficiorum Dei erga me, inæstimabili desiderio laudandi ipsum et gratias agendi accendebar ; super quæ venit novus ardor amoris divini excitans in me ineffabile desiderium videndi ipsum, et essendi cum ipso. Cumque seraphicus ardor ille in tantum excresceret, ut ultra vires corporis non haberem, lecto decubui, omnesque ordines Angelorum mihi erant ministrantes. Denique Seraphim mihi amorem ministrabant, illum ignem divinum in me magis ac magis succendentes ; Cherubim quoque lumen cognitionis mihi ministrabant, ita quod omnia quæ mihi Dominus, Filius et Sponsus meus, facturus erat magnalia, mente prævideram. Indeque fuit quod dixi orans : Spiritus tenebrarum non occurrat mihi, ne forte ejus præsentia lumen illud cœlicum aliqualiter fuscaretur. Throni requiem illam qua Deo fruebar imperturbatam in me conservabant. Dominationes in reverentia illa mihi adstabant servientes, qua principes reginam et matrem sui regis venerantur. Principatus sua præsentia præcavebant ut nullus eorum qui ad me veniebant, aliquid loqui aut facere auderet, quo mentis meæ quies turbari posset. Potestates dæmonum catervas illuc ne appropinquare auderent coercebant. Virtutes, in cumulum honoris mei virtutibus vestiti et decorati, me circumstabant. Angeli et Archangeli suo obsequio faciebant, ut omnes qui aderant mihi maxima in reverentia et devotione servirent. »

Beatæ Mariæ præ amore deficienti assistunt Angelorum ordines.

Viditque in spiritu qualiter Angeli gloriosam Virginem circumvallabant, et seraphici Spiritus in flatu beatæ Virginis deambulabant. Cumque beatum Joannem Evangelistam contra beatam Virginem Mariam stantem vidisset, dixit ad eum : « Per illud munus quod Deo obtulisti, cum ejus Genitricis pro amore ipsius carere voluisti (*a*), rogo ut impetres

(*a*) noluisti.

Oratio animæ ad B. Joannem.

mihi omne carum pro Christi amore respuere, ut ipsum toto corde valeam diligere. » Cui Joannes : « Ego ex verbis Dominæ materteræ meæ (a) tantum consolationis habui, quam nunquam verbum de illa audivi unde speciale gaudium spiritus non sentirem. »

## QUALITER BEATA VIRGO SIT ASSUMPTA.

In sancta nocte cum esset in choro, videbatur sibi quasi iterum esset cum beata Virgine Maria in lecto decumbente. Et ecce, ut sibi intelligi dabatur, altitudo infinitæ majestatis inclinabat se in abyssum infimam, scilicet humillimum Virginis cor ; et torrente totius suæ divinæ voluptatis suæ illud tam abunde implevit, ut anima ejus beatissima tota absorpta transfunderetur in Deum. Sicque Mariæ anima sanctissima, ineffabili gaudio e corpore exiens, ab omni dolore extranea, et in ulnas Filii lætissime advolans, et supra Cor suum amantissime et delicatissime se reclinans, usque adthronum excellentissimæ Trinitatis cum festivo Sanctorum tripudio est deducta.

Qualiter anima B. Mariæ a SS. Trinitate suscipitur.

Qualiter autem Deus, Pater totius paternitatis suæ blandissimo affectu tunc animam ejus intra paternum cor suum suscepit, omni creaturæ impossibile est edicere. Inscrutabilis quoque Dei sapientia quam honore dignissimo maternam ei exhibuerit reverentiam, quamque sublimissime eam a dextris suis in throno gloriæ firmaverit, omnem excedit cogitatum. Spiritus etiam Sanctus amore, benignitate et suavitate sua, omnibus bonis eam tam affluenter replevit, ut omnes in cœlo de ejus plenitudinis abundantia replerentur.

Seraphici enim Spiritus qui ab initio suæ creationis in

(a) Domini matris mei. *Codd. San-Gall. et Lips.*

divinitatis arserunt camino, a calore charitatis beatæ Virginis amplius in charitate sunt accensi. Cherubim quoque scientia Dei plena, nova quodammodo luce sunt illustrata. Omnesque Angelorum Ordines et Sanctorum majorem charitatem novamque lætitiam, in augmentum meritorum suorum a tantæ Reginæ gloria sunt adepti. Denique beatissima Trinitas totius divinitatis plenitudine eam influens penetravit, ut tota Deo plena, omnia quæ ipsa facere videbatur, Deus in ea et per eam faciebat ; ita ut oculis ejus videret, et auribus ejus audiret, ac ore ipsius sibimetipsi dulcissimas et plenissimas laudes persolveret, et in corde Virginis quasi proprio jucundari et deliciari videretur.

Regina autem gloriæ stabat a dextris Filii, vestita lucidissimis speculis, in quibus omnia merita Sanctorum miro modo elucebant. Unde omnes Sancti ante thronum cum gaudio venientes, singuli sua merita contemplabantur, ac deinde in novas laudes prorumpentes, dulcissime Deo jubilabant. Patriarchæ enim et Prophetæ desideria sua et virtutes magnificas, et familiaritatem quam in terris habuerant cum Deo intuentes, invenerunt beatam Virginem in his omnibus se excellere, quia virtuosior eis, et Dominum præ omnibus desiderans, familiarissima Deo comprobatur fuisse. Sicque singuli Sanctorum Ordines accedentes, et merita sua in beata Virgine speculantes, ipsam longe præcedere gaudentes mirabantur. Nam ipsa inter Apostolos Christo fidelissime adhæsisse, et verba ejus diligentissime conservasse inventa est. Ipsa inter Martyres patientissima et constantissima; inter Confessores illuminatissima et illuminans tam verbo quam exemplo; inter Virgines non solum castissima et sanctissima, sed et virginitatis et totius religiositatis prima fuit cultrix. Ipsa inter mites mitissima, inter misericordes misericordissima, inter humiles humillima, inter perfectos perfectissima inventa est. Ideoque omnium Sanctorum excellentiam merito est supergressa.

Mariam omni merito præfulgidam Sancti collaudant.

Humilitas et obedientia commendantur.

Dixitque beata Virgo : « Quicumque voluerit summo honore super omnes exaltari, omnibus seipsum subjiciat. Qui etiam super omnes voluerit ditari, propria se omnino spoliet voluntate ; et qui summi decoris appetit dignitatem, in omnibus se virtutibus studeat exercere. »

Et cum Responsorium *Salve Maria* [1] cantaretur, illa dixit beatæ Virgini : « Utinam nunc omnium creaturarum corda in potestate haberem, ut ex affectu et viribus omnium te, dulcissima Virgo, salutarem ! » Ad quod illa : « Reclina, inquit, te supra Cor dulcissimi Filii mei, quod in se continet omnem creaturam indepravatam, et per illud me dignissime saluta. »

Post hæc oravit pro una persona, quatenus beata Virgo in exitu eidem subveniret ; ad quod illa dignanter respondit : « Orabit me per fervorem, quo anima mea in Deum, velut scintilla in ignem suum, revolavit, ejusque divino Cordi, velut pennula validissimo impulsu attracta, adhæsit, ut etiam anima ejus tam ferventi desiderio succendatur, quatenus in hora mortis ab omni impedimento libera, tamquam penna levis, feliciter in Deum valeat evolare. Ego enim sibi et omnibus qui mihi in hoc loco deserviunt, cum meo adjutorio et protectione in extremis suis, volo adstare. »

Quanto impetu anima beatæ Mariæ divino Cordi adhæsit.

Et cum iterum pro una rogaret, quæ Dominæ Nostræ devota gaudiorum suorum eam sæpius admonere solebat, vidit ipsam pro qua orabat coram beata Virgine stantem, quæ dabat ei monile quinque fines ut cornua habens ; et dixit : « Cum meorum gaudiorum mentionem facit, etiam hæc quinque superaddat : scilicet ut salutet me in illo ineffabili gaudio quod habui cum inaccessibile lumen beatissimæ Trinitatis primo aspexi, in quo velut in speculo lucidissimo

1. ℟. VIII. *Salve Maria, gemma pudicitiæ, de qua mundo illuxit Sol justitiæ ; salve pia Mater Christianorum.* * *Succurre filiis ad Filium regem Angelorum.* ℣. *Virgo solamen desolatorum, spes et mater benigna orphanorum.* * *Succurre.*

agnovi illum æternum amorem quo me præ omni dilexit et elegit creatura ; ex quanto amore præ cunctis me sibi in matrem atque sponsam elegit ; illamque placentiam qua sibi in me, et qua omne ministerium meum, quod sibi in terris exhibui, in summo complacuit. Secundo salutet me in plenitudine gaudii quod aures meæ perceperunt ex dulcissima salutatione amantissimi Filii, mei patris et sponsi, cum me amantissime suscepit secundum magnitudinem omnipotentiæ suæ, secundum artificium sapientiæ suæ, et secundum immensitatem sui delicati amoris ; decantans mihi altissimum et suavissimum amoris canticum præsuavissimæ vocis suæ. Tertio, salutet me in plenitudine gaudii quod anima mea suscepit in osculo illo prædulci quod mihi divinitas infixit, in quo suæ divinæ dulcedinis gustum tam affluenter mihi infudit, ut ex redundantia mei melliflui facti sunt cœli ; ita ut etiam nec in terris tam miser aut malus sit, quin ei ex plenitudine mei, si tamen desideret, valeam impertiri. »

Quinque gaudia in B. Virginis assumptione

Tunc illa beatam Virginem interrogabat : « Mi Domina, quid est os animæ ? » Quæ respondit : Os animæ est hians quoddam desiderium quod Deus sine intermissione influit, et replet seipso secundum omnem animæ delectationis appetitum. » Et addidit : « Quarto, salutet me in gaudio quod habui, cum anima mea tota succensa est igne divini amoris, et cor meum liquefactum est ex dulcedine sui divini Cordis, cum totam sui amoris divini plenitudinem in me effudit, in quantum creaturæ unquam possibile fuit capere aut frui ; atque ex meo ardore novo quodam modo Sanctorum multitudo incanduit amoris fervore. Quinto, salutet me in gaudio quod habui, cum splendor divinitatis omnia membra mea clarissimo lumine penetravit, ita ut cœlum a mea gloria nova luce illustretur, et omne Sanctorum gaudium de præsentia mea augmentetur. »

Cor divinum amoris plenitudinem in Mariam effluit.

IN HIS QUINQUE COMMUNICANS SE EXERCEAT.

Ipso die, dum Conventus communicaret, videbatur sibi quasi Dominus cum Virgine Matre ad mensam magnam sederet. Omnes etiam personæ quæ ad primam Missam communicaverant, ad mensam illam sedebant; illas vero quæ tunc accedebant, Angeli ad mensam reverenter ducebant. Dominus autem dabat unicuique buccellam panis, in quinque offas divisam. Per quod illa intellexit quod homo communicans in quinque se die illa specialiter debet exercere, et in his Deo quodammodo convivium exhibere.

Laus, gratiarum actio, desiderium, salus universorum et animarum exerceantur.

Primum est ut in omni quod potest, Dominum laudibus extollat, ac in unione laudis qua Christus omnia opera sua ad laudem Dei Patris fecit, etiam omnia sua pro Dei amore faciat et honore. Secundum est, ut in unione gratitudinis Christi, in qua humanam naturam suscepit ac mortem gaudens sustinuit, illaque gratissima charitate qua Deo Patri gratias agens, hoc permagnum nobis contulit donum, tota die cum gratitudine permagnas gratias pro tanto sacramento referat. Tertium est, ut desideria sancta multiplicet, ne in præsentia tanti hospitis vacuus videatur. Quartum est, ut omnia quæ die illa agit, ad profectum universitatis facere intendat. Quintum est, ut etiam omnia quæ facit, sive patitur, animabus fidelium cedant in salutem. Item intellexit divinitus hæc quatuor Deo in Religiosis plurimum complacere: scilicet ut mundas habeant cogitationes, sancta desideria, dulcia ad invicem verba, et charitativa opera.

## CAPUT XXVII.

### DE PROCESSIONE ET MISSA QUAM DOMINUS JESUS CHRISTUS CELEBRAVIT.

Eo tempore quo Canonici, vicem Episcopi [1] gerentes, Congregationem pro quadam pecuniæ summa graviter affligendo a divinis suspendissent, in die Assumptionis gloriosæ beatissimæ Virginis, cum hæc Dei famula nimio affligeretur dolore propter carentiam Dominici corporis, ex corde desideranti visum est ei quod Dominus abstergeret lacrymas ab oculis ejus, et manus ejus tenens diceret: « Hodie videbis mirabilia. » Cum ergo Sacerdos ex more ad Processionem inciperet Responsorium, *Vidi speciosam,* videbatur sibi quod tota Congregatio ordinaret se ad Processionem, quam Dominus cum Matre præcedebat, portans vexillum albi coloris et rubei. In albo erant rosæ aureæ, et in rubeo argenteæ. Hæc Processio facta est per ambitum usque in chorum, et inde in Ecclesiam. Tunc Dominus præparavit se Missam celebraturus, indutus casula rubea et pontificali infula. Sanctus Joannes Baptista lecturus erat Epistolam ; et hoc ideo quod ipse primus fuerit qui de gaudio beatæ Virginis in utero exultavit. Sanctus vero Joannes Evangelista erat lecturus Evangelium, eo quod ipse custos fuit Virginis gloriosæ. Sanctus Joannes Baptista et sanctus Lucas Domino ad altare ministrabant, et sanctus Joannes Evangelista, beatæ Virgini, quæ adstabat in dextra parte altaris, induta vestimentis solaris luminis, habens in capite coronam omnium lapidum pretiosorum generibus incomparabiliter adornatam.

Injusto interdicto subjectas famulas suas consolatur Dominus.

Omnibus autem Sanctis qui aderant, Missam solemnem

1. Cf. *Legatus*, lib. III. capp. 16. 17.

inchoantibus, *Gaudeamus omnes,* beata Virgo ad altare processit, offerens Filio fibulam auream, tamquam crystallum purissimam, et summopere inæstimabiliter gemmis adornatam, quæ singulæ puritatem speculorum habebant, ita quod beata Virgo contemplabatur omnes virtutes suas in eis. Hæc fibula texit totum pectus Dominicum velut clypeus, et beata Virgo in illa velut in speculo se videbat. Tunc Missam prosequentes usque ad ultimum *Kyrie eleison*, Dominus alta voce imposuit : *Gloria in excelsis,* dicens : « De gaudio Cordis mei omnibus vobis propino gloriam. » Ad Offertorium autem, hæ quæ beatæ Virgini specialia impenderant obsequia, accedentes ad altare, obtulerunt annulos aureos quos Dominus suscipiens, digitis suis imposuit. Et cum Præfationem ipse summus Sacerdos et Pontifex decantasset, usque ad illud: *cum quibus et nostras voces,* dixit ad Sanctos : « Cantate omnes, cantate et psallite. » Qui omnes cantabant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Inter omnes et super omnes beata Virgo dulcissimum dabat sonum, quo præ omnium Sanctorum vocibus vox ejus specialiter agnoscebatur.

De gaudio Cordis sui propinat ipsis Dominus.

Cum autem instaret hora sanctissima qua elevanda erat hostia, Dominus qui simul sacerdos erat et hostia, visus est elevare hostiam in aurea pixide clausam, et sindone velatam: per quod figurabatur quod hoc sacramentum omni humano sive angelico intellectui est absconditum. Dicto *Pax Domini,* posita est ibi mensa, ad quam Dominus se ponebat, juxta quem Mater ejus sedebat. Congregatio autem tota ad mensam illam accedens, unaquæque sub brachio beatæ Virginis quasi geniculando accepit Dominicum corpus de manu Domini ; et beata Virgo crateram auream cum fistula aurea ad latus Domini tenebat, per quam sugebant omnes liquorem illum dulcissimum qui de pectore Domini emanabat.

Maria divini Cordis animabus dulcedinem ministrat.

Missa finita, Dominus benedictionem dabat manu sua, in qua per singulos digitos annulos aureos habebat, significan-

tes sponsationem singularum Virginum sibi desponsatarum ; qui lapides rubeos habebant, per quod exprimebatur quod sanguis ejus specialiter ad Virginum pertinet ornamentum.

---

## CAPUT XXVIII.

### DE SANCTO BERNARDO ABBATE.

In festo eximii Doctoris sancti Bernardi, dum Missa *In medio Ecclesiæ* in ejus honore cantaretur, et hæc dilectrix Dei pia devotione intenderet his quæ cantabantur, cogitans quid esset illud *In medio Ecclesiæ*, Dominus, cujus respectus est in electos ejus, animam ejus lumine suæ cognitionis illustrabat dicens : « Medium Ecclesiæ est Ordo sancti Benedicti [1], sustinens Ecclesiam, velut columna cui tota domus innititur; quia ad universalem Ecclesiam et ad omnes ordines se quoad aliquid tenet. Ad Superiores, scilicet Papam et prælatos, tenet se, exhibendo eis reverentiam et obedientiam ; ad Religiosos, per instructionem et informationem bonæ conversationis ; nam omnes alii ordines hunc Ordinem in aliquo imitantur. Ad bonos et justos habet se per auxilium et consilium ; ad peccatores, per compassionem, correctionem et confessionis auditionem ; ad animas purgandorum, per orationis sanctæ subventionem. Denique ibi inveniunt peregrini hospitalitatem, pauperes sustentationem, infirmi recreationem, esurientes et sitientes refectionem, tristes consolationem, animæ fidelium liberationem. »

Medium Ecclesiæ occupat Ordo sancti Benedicti.

« In hoc medio, sancti Bernardi singulariter a Deo in benedictionibus dulcedinis præventi Dominus os aperuit, quia

1. Cf. Part. IV. c. 8. Item cf. Sanctæ Hildegardis *Scivias*, Lib. II. vis. v.

Spiritus Sanctus ipsum tam affluenter et superabundanter influendo replevit, ut velut cum ventus rapidissimo impetu januam aperit, ita Spiritus Sancti impulsu ea quæ sibi divinitus inspirabantur, charitate accensus effuderit, et Ecclesiam sua doctrina multum illuminaverit. *Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus*, quia omnia quæ per Spiritum Sanctum cognovit, et in dulcissima fruitione et sapientia et experientia, et supra quod dici potest, mente illustratus, licet multa effuderit, multo tamen plura in intellectu reservavit. » Tunc illa dixit : « Eia præcordialis dilecte, et quæ est stola gloriæ quam Scriptura toties commemorat te induisse Sanctos ? Nomen gloriæ tuæ mihi revelasti [1]; modo, si placet, quæ sit hæc stola gloriæ mihi revela. » Mox sanctus Bernardus in stola ex candido, viridi, rubeo et aureo colore mirifice contexta, sibi apparuit, splendorque solaris his coloribus immixtus ineffabili pulchritudine et delectabilitate interlucebat. Et ait Dominus : « Hæc est stola gloriæ, candore innocentiæ et virore summarum virtutum mearum contexta, ac roseo sanguinis mei colorata decore, insuper ferventissimo amore meo inaurata. Solaris autem splendor, qui tam eleganter rutilans interlucet, est divinitas cooperans et perficiens omnia opera meæ humanitatis. Hac stola omnes meos vestio Sanctos, quia innocentia mea et decore virtutum mearum, ac amorosa passione omnem eorum gloriam in summo perfeci. »

Multa ex his quæ per Spiritum Sanctum cognovit effudit S. Bernardus, et plura reservavit.

Stola gloriæ Christi divinitate ac humanitate contexta est.

Amor etiam in specie virginis pulcherrimæ stabat a dextris sancti Bernardi, et quocumque ibat ipsum comitabatur, in signum specialis meriti quod habuit, ex eo quod tam amorosus erat, et tam multos suis eloquiis et scriptis in Dei amore accendit. Totum quoque cœlum ex verbis ejus velut margaritis fulgidis erat ornatum.

1. Cf. Cap. 16. hujusce partis.

## CAPUT XXIX.

### DE NATIVITATE GLORIOSÆ MARIÆ VIRGINIS.

INSTANTE gloriosæ Virginis festo, quo velut aurora rutilans, in hunc mundum nascendo progressa est, hæc Christi ancilla devota, ipsam Reginam gloriæ in oratione requisivit, quid sibi ab ea in suo festo legi vellet. Cui benigna Virgo statim apparuit dicens : « Lege mihi tot *Ave Maria* quot dies fui in utero matris meæ, scilicet ducenta septuaginta septem, et admone me gaudii quo nunc gaudeo, ex eo quod video et agnosco gaudium beatissimæ Trinitatis, quod habuit de me ex placentia qua sibi in me complacuit ab æterno; specialiter in mea Nativitate tantum exultavit, ut ex abundantia sui gaudii cœlum et terra, et omnis creatura, licet causam nesciens, tamen exultaret. Sicut enim artifex qui mirificum opus facere decrevit, magno studio præmeditatur, et in delectatione cordis sui præimaginatur: sic veneranda Trinitas delectabatur, et gaudebat quia me talem imaginem facere volebat, in qua totius sapientiæ et bonitatis suæ artificium elegantissime appareret. Insuper sciebat opus suum in me nunquam depravari. In tanta denique jucunditate et exultatione Nativitatem et infantiam meam dignata est prævidere, ut omnis actus pueritiæ meæ coram eo delectabilis ludus videretur, juxta illud: *Ludens coram eo omni tempore.* » (PROV. VIII. 30.)

In beata Maria sibi complacuit ab æterno BB. Trinitas tamquam in sui fideli imagine.

« Secundo, admone me gaudii quod habeo ex eo quod Deus me super omnem creaturam dilexit in tantum, ut amore mei multoties pepercerit mundo, etiam antequam nata essem. Ipse etiam ex amore nimio anticipavit aliquantulum nativitatem meam, et prævenit me sua gratia in utero matris meæ.

Triplex gaudium beatæ Virginis in sua nativitate.

MINAR... Pater

Tertio, admone me gaudii quod habeo ex eo quod me super omnes Angelos et super omnem creaturam dignissime honoravit. Ex illa namque hora qua anima corpori est infusa, Spiritu Sancto me replevit, qui me ab originali peccato penitus emundavit, et singulari sanctificatione in sacrarium sibi elegit, ut velut rosa sine spina, et tamquam lucifer, orirer in mundum [1]. »

Innumeræ B. Virginis virtutes.

Beata itaque Maria habebat crines miræ pulchritudinis, quos dum illa ob nimiam tractaret lenitatem, gloriosa Virgo dixit : « Contrecta crines meos ; quia quo plus eos contrectaveris, eo amplius decoraberis. Hi enim crines meas innumeras designant virtutes : quanto magis has imitando tractaveris, tanto magis in te pulchritudinem augent et decorem. » Tunc illa dixit : « O virtutum Regina, dic, obsecro, quæ erat prima virtus in qua te in infantia exercuisti ? » At illa respondit : « Humilitas et obedientia atque amor. Ab infantia enim tantæ humilitatis fui quod nunquam me creaturæ prætuli, et tam subjecta et obediens eram parentibus meis quod eos in nullo unquam contristavi. Ex eo etiam quod Spiritus Sanctus in utero matris meæ me replevit, sic ad omne bonum inclinata eram, ut miro modo omne bonum diligerem; et quidquid erat virtutis, statim mira delectatione amplectendo imitarer. »

In sancta nocte dum cantaretur : *Stirps Jesse* [2], vidit beatam Virginem in similitudinem arboris pulcherrimæ super omnem terræ altitudinem et latitudinem extensæ. Eratque arbor illa perspicua ut speculum perlucidum ; folia habens aurea suavissimum reddentia sonum. In cujus summitate flos deliciosissimus erat, qui totum orbem contegebat, et odore mirifico respergebat. Dixitque gloriosa Virgo :

1. Cf. Cap. 41. hujus 1. partis.

2. ℟. *Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem ;* * *Et super hunc florem requiescit Spiritus almus.* ℣. *Virgo Dei Genitrix virga est ; flos, filius ejus.* * *Et super.*

« Deus meus suimetipsius laudator et laus est in me, et seipsum miro modo pascit in me. »

Deus seipsum laudat et pascit in Maria.

Ad Missam etiam, dum in Sequentia *Ave præclara* [1] cantaretur versus : *Hinc manna verum*, videbatur sibi quod beata Virgo in medio Congregationis sederet, habens puerulum elegantissimum, cujus brachia auro gemmisque ineffabiliter erant ornata. Per quod intellexit designari quod Dominus Jesus pernimium dolorem in brachiis habuit, cum post bajulationem Crucis et extensionem penderet in Cruce. Et cum cantaretur : *Ora, Virgo, nos illo pane cœli dignos effici*, mox virginea Mater puerum altissime elevabat, et liquor balsami de puero ubertim effluens Congregationem feliciter influebat. Ad versum vero illum : *Fac fontem dulcem*, videbatur sibi quod singulas personas sub pallio suo divino Cordi Filii sui applicaret dicens : « In hoc fonte omnem amaritudinem vestram dulcificate, et omnia tentamenta vestra devincite. » Cum autem pro Congregatione oraret, ut eam in sancto proposito confortaret et confirmaret, Dominus ait : « Si mihi voluerint adhærere, in æternum eas non derelinquam. »

In fonte Cordis divini amaritudo dulcescit et tentatio superatur.

1. Sequentia Hermanni Contracti, cujus hic laudantur strophæ sequentes :

*Hinc manna verum Israelitis veris Abrahæ filiis admirantibus quondam, Moysi quod typus figurabat, jam nunc abducto velo datur perspici : Ora, Virgo, nos illo pane cœli dignos effici.*

*Fac fontem dulcem, quem in deserto petra præmonstravit, degustare cum sincera fide, renesque constringi, lotos in mari anguem æneum in cruce speculari.*

## CAPUT XXX.

### DE ANGELIS, ET QUALITER HOMINES SOCIENTUR EISDEM.

Ante festum sancti Michaelis, cum hæc Christi ancilla in familiari unione a Deo quæsisset quid Angelis obsequii offerre deberet, hoc responsum accepit : « Lege, inquit, eis novem *Pater noster*, secundum novem Ordines Angelorum. » Quod cum fecisset, in die sancto volebat suo offerre Angelo, ut ille cæteris Angelis præsentaret. Cui Dominus Jesus indignanter ait : « Committe mihi ut ego hoc faciam ; quia inæstimabili gaudio hoc facere me delectat ; eo quod omnis oblatio mihi commissa, cum per me in cœlestibus præsentatur, ex meo interventu nobilitatur, et in melius commutatur ; sicut denarius in massam candentis auri immissus et in unum redactus, jam non quod fuit in se, sed quod factus est, ex auro apparebit. »

Omnis oblatio Christo committenda est ut ejus interventu nobilitetur.

Post hæc vidit ascensum aureum novem gradibus consitum, multitudine Angelorum hinc inde circumdatum, ita ut in primo Angeli, in secundo Archangeli, et sic deinceps cuique gradui Ordo angelicus præsideret. Intellexitque cœlitus per hunc ascensum hominum conversationem designari, ita videlicet ut quicumque in Ecclesia Deo fideliter, humiliter et devote ministraret, et etiam propter Deum infirmis, peregrinis seu pauperibus, et invicem in charitate cuilibet alteri subveniret, in primo gradu consisteret, Angelis coæquatus. Qui vero oratione et devotione familiarius Deo intendunt, et proximis suis doctrinam, consilium et auxilium impendunt, in secundo Archangelis inseruntur. Et qui se exercent in patientia, obedientia et voluntaria paupertate et humili-

tate, omnesque virtutes fortiter peragunt: tertium gradum cum Virtutibus conscendunt. Qui autem vitiis et concupiscentiis reluctantes, diabolum cum omnibus quæ suggerit, contemnunt: in quarto gradu cum Potestatibus triumphum gloriæ obtinebunt. Qui vero in Ecclesia cæteris prælati, officium sibi commissum bene ministrant, animarum lucro die nocteque invigilantes, et talenta sibi credita omni qua possunt diligentia duplicantes: hi cum Principatibus in quinto gradu gloriam regni pro labore suo possidebunt. Qui autem divinæ majestati reverenter cum omni subjectione se inclinant, et pro ejus gloria omnem hominem reverentur atque diligunt, seipsos etiam quia ad imaginem Dei facti sunt, Deo in quantum possunt conformant, subjicientes carnem spiritui dominantur animo suo, ipsum ad cœlestia transferendo: cum Dominationibus in sexto gradu exultabunt. Qui vero sedulæ meditationi et contemplationi inserviunt, cordis munditiam et mentis etiam tranquillitatem amplectendo, quietissimam se exhibent Deo habitationem; qui vere Paradisus Dei dici possunt, juxta illud: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (Prov. viii. 31.) de quibus ipse dicit: *Inambulabo in eis et inhabitabo.* (II Cor. vi. 16.) In septimo gradu Thronis sociantur. Qui autem scientia et cognitione cæteris eminent, qui singulari beatitudine Deum facie ad faciem mente illustrata conspiciunt, et ea quæ ex ipso fonte omnis sapientiæ hauriunt, per doctrinam et illuminationem aliorum in ipsum refundunt: in octavo ascensionis gradu cum Cherubim locabuntur. Et qui Deum toto corde et mente diligunt, et igni æterno qui Deus est, se totos immittunt, eique simillimi facti, non jam suo sed divino amore, Deum sicuti dilecti sunt, diligunt, omnia in Deo et propter Deum diligunt, inimicos ut amicos intuentur; quos ab amore Dei nil valet separare, imo nec impedire, quia quo magis inimici in eos insurgunt, eo validius in amore convalescunt, feliciter in seipsis ardentes et alios accendentes, ita

Qualiter novem gradus Angelorum in hac vita ascenduntur.

ut si possent omnes homines in Dei amore facerent perfectos; aliorum vitia et peccata et propria deflentes, quia solius Dei gloriam et non suam omnino diligunt et requirunt: isti nono gradu cum Seraphim, inter quos et Deum nulli alii Spiritus sunt, Deo immediate appropinquant.

Inter Missam Angeli coram sibi commissis animabus videntur stantes.

Inter Missam vero vidit multitudinem Angelorum adesse, et quemlibet Angelorum stantem coram sibi commissa virgine, in specie juvenis pulcherrimi. Quidam habebant sceptra florigera, quidam aureos flores. Cum autem Conventus inclinaret, super flores os ponebat in signum æternæ pacis; sicque Angeli per totam Missam cum magna reverentia ministrabant.

Cum accederent ad convivium Regis cœlorum, quilibet Angelus duxit sibi commissam; Rex autem gloriæ stabat in loco sacerdotis, ineffabili circumdatus gloria, ornamentum habens in pectore in modum arboris pulcherrimæ quæ divisit se, et ex Corde illo mellifluo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, profluxit vena purissima, qua omnes ad Deum accedentes inebriabantur torrente voluptatis divinæ.

---

## CAPUT XXXI.

### DE FESTO OMNIUM SANCTORUM, ET QUALITER CHRISTUS OMNES ANIMÆ DEFECTUS SUPPLET.

In Vigilia Omnium Sanctorum, cum in quodam opere ex obedientia sibi injuncto laborans, missam neglexisset, tandem ante elevationem hostiæ sacrosanctæ veniens, corde mœsto obtulit Deo negligentiam suam. Cui Dominus: « Nonne ego videor tibi tantum pretium quod possit absol-

vere omnia debita tua ? » Ad quod illa : « Etiam, Domine, plene confido quod possis. » Et Dominus : « Nonne etiam tam inappreciabile sum ego pretium, quod idoneum sit supplere et persolvere universa tua neglecta ? » At illa : « Ita, Domine ; scio enim quia tibi nihil est impossibile. » « Ergo, ait Dominus, plene in omnibus Deo Patri pro te respondebo. Tu quoque singulas Sanctorum deprecare turmas, quatenus et ipsi pro te sua offerant merita : Patriarchæ scilicet et Prophetæ, desiderium quod ad meam habuerunt Incarnationem ; Apostoli, fidelitatem qua mecum in omnibus tribulationibus meis permanserunt, et per mundum prædicando discurrentes, populum mihi fidelem collegerunt ; Martyres, patientiam qua sanguinem suum propter amorem meum effuderunt ; Confessores, sanctitatem eximiam qua aliis verbo et exemplo viam vitæ demonstrarunt ; Virgines sacræ, castitatem et incorruptionem qua proximæ mihi esse meruerunt. »

Dominus est pretium quod potest nostra debita universa solvere.

Inter Matutinos vero, vidit Regem gloriæ in throno crystallinæ puritatis sedentem, qui rubeis corneliis decenter erat perornatus. Ad cujus dexteram Regina cœli in solio simili sapphiro albis margaritis exornato residebat. Unde per crystallinum Dei thronum intellexit significari inæstimabilem divinitatis puritatem ; per cornelios vero passionem suæ humanitatis roseam ; per sapphirum etiam, cœlicum Cor Matris Dei ; et per margaritas, virginalis ejus puritas significabantur.

Cum ergo cantaretur versus secundus : *Ora pro populo* [1], exurgens Mater gloriosa de solio suo, flexis genibus, visa est Filio Regi pro Congregatione devote supplicare. Similiter quilibet Sanctorum chorus facere videbatur, dum fieret mentio eorum. Deinde intra octavam lectionem, iterato exurgens coram Filio stabat, cum innumerabili turba sanc-

1. Versus Responsorii *Felix namque es* in Festis B. M. V. usurpati, et apud Helftenses secundo loco positi in Festo Omnium Sanctorum.

tarum Virginum; et ecce de Corde illo dulcifluo, in quo latet copia omnis beatitudinis, progredi videbatur funiculus triplex aurei coloris, qui pertransiens amorosissimum Cor Virginis Matris, protendebatur ad singula Virginum corda, sicque sigillatim omnium corda pertransiens, donec de corde postremæ Virginis reflexus penetraret Cor Dominicum, faciens ductu mirabili quasi choream. Seorsum vero Virginibus circumducta videbatur reliqua multitudo utriusque sexus, qui hoc speciali dono virginitatis non erant sublimati. Seorsum etiam his chori sanctorum Angelorum circumducebantur, et de singulis Sanctorum cordibus, tam Virginum quam reliquæ multitudinis exivit sonus dulcissimus in modum organorum : per quod dabatur intelligi, quod nihil adeo parvum perfecerunt in terris, in laude et gratiarum actione, in oratione, factis, dictis, vel etiam cogitationibus quod non suavi soni clangore de cordibus eorum æternaliter in laudem resonet divinam, et ipsorum gaudii ac gloriæ incrementum. Unde reduxit ad memoriam de talibus fore scriptum[1] : *Ibi sonant jugiter organa Sanctorum*, et illud : *Laudate eum in cymbalis et choro* (Psal. cl. 4.) etc. Per triplicem vero funiculum qui de Corde Dei procedebat, intellexit significari amorem semper venerandæ Trinitatis, scilicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui per interventum dignissimæ Matris Mariæ, incorruptarum Virginum amatoria corda speciali suavitate pertranseundo sibi counit, teste Scriptura quæ dicit : *Incorruptio proximum facit Deo* (Sap. vi. 20.)

E divino Corde funiculus triplex per Cor B. Virginis ad omnes Sanctos progreditur.

Dulcissimo sono e cordibus Sanctorum cœlum resonat.

Inter Missam vero summam, dum legeretur Evangelium, illa solito sibi more perquirens, ait : « Quid me, amator dulcissime, modo vis facere ? » Cui Dominus : « Ad quid,

1 Ant. *In civitate Domini ibi sonant jugiter organa Sanctorum, ibi cinnamomum et balsamum, odor suavissimus, carmina eorum ; ibi Angeli et Archangeli hymnum Deo decantant, alleluia, alleluia.*

inquit, pridie præmonui te? » Tunc illa recordans se hesterno die præmonitam a Deo, ut Sanctorum cœtum oraret pro se offerre, et ad hoc obtinendum studens, intellexit Dominum sibi dicentem : « Ecce ego præcedens omnes Sanctos accedam pro te oblaturus Deo Patri : et primo, tempus illud sanctissimum, quo in utero virgineæ Matris meæ novem mensibus tamquam sponsus in thalamo requievi, offeram pro tempore illo, quo tu in utero matris manens, nec originalis peccati macula carens, necdum gratiæ meæ capax eras. Deinde offeram sanctissimam nativitatem meam pro tua nativitate, in qua nondum fonte baptismatis renata, mihi exstitisti aliena. Hinc innocentissimam infantiam et pueritiam meam pro ignorantia infantiæ et pueritiæ tuæ ; ferventissimum quoque studium devotissimæ adolescentiæ meæ et juventutis offeram pro negligentia tuæ juventutis. Totam dehinc seriem sanctissimæ et perfectissimæ conversationis meæ cum fructu amorosæ passionis meæ offeram, pro universis commissis ac defectibus tuis, ut per meipsum atque in meipso omnia tua sint suppleta. »

Quænam offert Deo Patri Christus pro anima

Sicque his dictis, progrediens Dominus virtutum, subsequente se omni cœlorum militia, accessit oblaturus ad altare quoddam decentissimum, quod miraculosa nimis ac delectabili varietate artificiosissimæ sculpturæ apparebat exornatum. In quo intellexit reconditum inappreciabilem illum ac inæstimabilem thesaurum totius videlicet summæ et incomprehensibilis divinitatis. Per sculpturam quoque altaris intellexit notari inexplicabilem diversitatem beneficiorum Dei, quæ excedit omnem humanum intellectum. Tribus etiam gradibus ad prædictum altare ascendebatur : quorum primus erat aureus; per quod declarabatur quod nullus potest ad Deum venire, nisi ascendat per charitatem. Secundus vero gradus aerei videbatur coloris ; per quod innuebatur meditatio de divinis et cœlestibus ; quia volentem appropin-

Altare in cœlis miro modo erectum describitur.

quare Deo necesse est ut ab omnibus terrenis exoccupatus, frequentius conetur per meditationem ad cœlestia elevari. Tertius quoque gradus apparebat viridis ; per quod notabatur virens intentio laudis divinæ : ut scilicet omnis nostra operatio tali fiat intentione, ut magis Dei laudem et gloriam desideremus quam nostrum profectum et salutem.

Dona quæ Dominus Congregationi confert.

Hinc circa tempus communionis, vidit in medio suprascriptæ choreæ mensam rotundam, decenter valde compositam ; de qua Deus, sub specie sacramentalis hostiæ, deificum corpus suum et sanguinem Congregationi præbuit consedenti sibi ad mensam eamdem. Deinde, tamquam rex munificus, per ministeria Principum cœlestium, singulis de Congregatione euxenia regia transmisit. Quæ euxenia, illa quæ vidit, hoc fore affirmabat, de quo Dominus animam quamdam sibi devotam ante idem festum certificaverat [1], quia ob exhibitionem specialis amicitiæ, cuilibet de Congregatione daturus esset mille animas, quas pro ipsarum orationibus a nexibus culparum expeditas transferret ad regnum cœlorum.

## DE AUREOLA VIRGINUM.
### QUALITER DEUS DEBEAT LAUDARI IN SANCTIS.

Item in festo Omnium Sanctorum, dum cogitaret quid Deo laudis in honore suorum Sanctorum exhiberet, dixit ad eam Dominus : « Lauda me pro eo quod sum omnium Sanctorum corona. » At illa statim beatissimam et semper venerandam Trinitatem pro modulo suo laudabat et benedicebat, eo quod esse dignatur Sanctorum corona et mirabilis dignitas eorum ; insuper, pro singulari prærogativa aureolæ omnium Virginum beatarum. Statim autem vidit in capite Virginis gloriosæ et omnium Sanctorum coronam inæstimabilis

1. Cf. *Legatus*. Lib. III. c. 9.

decoris, ita quod de ejus gloria nullis verbis exprimere posset. Vidit etiam qualiter Deus esset aureola beatæ Virginis et omnium Virginum, in similitudine serti, quod erat plenum rotundis nodulis, tribus et tribus sibi junctis; quorum unus rubei, alius candidi, tertius aurei erat coloris. In rubeo nodulo designari intellexit Christi passionem, et omnium Virginum passiones, etiam quælibet adversa; quia qui virginitatem illibatam conservare voluerit, absque labore et tribulatione nequaquam sufficit. In aureo figurabatur amor Christi et Virginum; quia veræ Virgines ipsum naturaliter diligunt cui integritatem suam devoverunt. In candida margarita Christi innocentia et virginitas immaculata exprimebatur. Quod tres et tres insimul erant positi, significabat quod Virgines ex prædictis tribus specialem præ aliis Sanctis familiaritatem, delectationem et gustum præsuavem in Domino habent. Licet enim omnis Sanctorum decor et gloria ex sanguine Christi et innocentia, cæterisque ejus virtutibus constet perfectus, ac inter quamlibet animam et Dominum dulcissima familiaritas et delectatio sit; speciali tamen prærogativa Virgines, velut in sponso proprio, deliciosiori familiaritate et delectatione et gustu persuavi Deo perfruuntur. In rotunditate nodulorum intellexit designari inæstimabile et inexplicabile quoddam bonum in eo latitare, quod etiam nec Sancti in cœlo ad plenum valent agnoscere, nec discutere; ut vere dici possit: bonum illud nemo scit, nisi qui accipit.

Triplex ordo in aureolis Virginum demonstratur.

Christi gloria in Virginum aureolis maxime splendet.

In sancta vero nocte cum iterum excellentissimam Trinitatem, laudibus quibus poterat extolleret, vidit in excessu mentis fontem vivum, splendidiorem sole; qui in semetipso et ex semetipso existens, suavissimum et optimum ex se aerem faciebat. Consistorium ejus firmissimi et pretiosissimi operis erat, habens hauritorium suum in seipso, absque humano opere seipsum hauriens, et omnibus liberaliter communicans. Per solidissimum fontis consistorium Patris omnipotentiam

De fonte vivo et septem columnis.

Fons, hauritorium aqua, aer sunt BB. Trinitatis imagines.

intellexit designari; per hauritorium, Filii Dei increatam sapientiam, quæ se pro suo beneplacito omnibus libenter effundit, et cuique prout vult, distribuit et communicat; per dulcedinem aquæ, Sancti Spiritus ineffabilem suavitatem et bonitatem. Per aerem saluberrimum significabatur quod Deus est vita omnium; quia sicut absque aere homo non potest vivere, ita sine Deo nulla vivit creatura. In circuitu fontis, in ipso consistorio ejus, erant septem columnæ, habentes capitella ex sapphiro; per quas septem rivuli omnes Sanctos influebant, ita ut unus in Angelos, alter in Prophetas, tertius in Apostolos, quartus in Martyres, quintus in Confessores, sextus in Virgines, septimus in omnes cæteros Sanctos derivaret. Qui in omnibus bonis satiati suavissimum odorem in invicem spirabant, quem quilibet ab alio pia aviditate in se trahebat: per quod innuebatur quod Sancti gaudium suum et omnia quæ in Deo possident bona, in invicem profusa benignitate communicant.

Septem ordines Sanctorum per quos alter in alterum influit.

---

## CAPUT XXXII.

### DE SANCTA CATHARINA ET EJUS DECORE.

In festo eximiæ Virginis Catharinæ, apparuit ei ipsa Virgo in veste quæ aureis rotis tota erat repleta, habens in summitate duas manus aureas quæ ipsam vestem insimul continebant. Per quas significabatur illa felicissima Dei cum anima unio indivisa. Tunc Christi ancilla eam reverenter salutavit cum Antiphona *Ave Virgo speciosa* [1]. Post hæc dixit

1. Ant. *Ave Virgo speciosa, clarior sideribus, cujus vultum et decorem concupivit Dominus, funde preces Creatori pro tuis supplicibus.*

ad eam : « Obsecro, dic mihi quid per hoc notatur quod tibi canimus : *cujus vultum ac decorem concupivit Dominus?* Quæ est illa facies tua quam Dominus in te concupivit ? » Quæ respondit : « Vultus meus est imago venerandæ Trinitatis, quam in me Dominus concupivit, quia nunquam eam magnis depravavi peccatis. Decor autem meus est illud eximium decus, quo Christus fideles suos sanguinis sui colore inæstimabili pulchritudine decoravit. Et scias quoties homo communicat, toties decor ille renovatur et augetur ; ut verbigratia , qui semel tantum communicat, decorem illum in anima sua duplicavit. Qui vero centies aut millies communicaverit, toties decorem illum in anima sua superauxit. »

Vultus in Sanctis est imago SS. Trinitatis, quem concupiscit Dominus.

Cum virgo sanctam Catharinam pro quadam sibi devota exorasset, illa respondit : « Dic (sibi) ut legat mihi : *Laudate Dominum omnes gentes* , et Antiphonam : *Vox de cælis insonuit: Veni, dilecta mea, veni, intra thalamum Sponsi tui, quod postulas impetrasti, pro quibus oras salvi erunt;* admonens me gaudii quod habui cum Christus Rex et Sponsus meus his verbis me vocavit : cum enim vox illa ad me delata fuit, tantus amor succendit cor meum, et tam ineffabili gaudio resolvebar, quod omnis horror mortis in nihilum est redactus. »

---

## CAPUT XXXIII.

### DE MINIMO SANCTO ET DE BONITATE DEI.

SABBATO quodam , dum cantaretur Sequentia : *Mane prima Sabbati* [1], in illo versu : *Ut fons summæ pietatis,*

1. Sequentia in honorem Dominicæ Resurrectionis, in cujus ultima stropha sic ad B. Mariam Magdalenam sermo dirigitur : *Ut fons summæ*

cogitabat quot et qualia dona inenarrabilia de ipso fonte omnium bonorum emanassent, et sine fine emanant. Et ait Dominus ad eam : « Veni et vide minimum qui est in cœlo, et tunc poteris cognoscere fontem pietatis. » Illa vero cogitare cœpit ubi illum posset invenire, aut quomodo eum valeret agnoscere. Et ecce occurrit ei vir quidam viridi amictus vestimento, crispos habens crines et glaucos, mediocris staturæ, pulcher facie nimis et decorus valde. Cui illa : « Quis es tu ? » Respondit : « Ego eram in terris raptor et maleficus, et nunquam bonum opus feci. » Et illa : « Et huc quomodo in gaudium intrasti ? » Et ille : « Omnia mala quæ feci, non ex nequitia, sed quasi ex consuetudine et melius nesciens perpetravi, quia ad hoc a parentibus nutritus eram ; ideoque in fine per pœnitentiam Dei misericordiam sum consecutus, et centum annis fui in locis pœnarum, et multa pertuli tormenta, et nunc sola et gratuita Dei pietate huc in requiem sum deductus. » Tunc ille omnia bona quæ Deus tam misericorditer in ipso peregit, isti quæ hæc vidit, tradidit, et hoc illi erat lætitia magna quod hoc facere potuit. Sicque fontem pietatis cognovit in minimo ; quia si Deus talia operatus est in eo qui nil boni peregit, quid in virtuosis Sanctis suis perficiet ?

Raptor et maleficus in morte pœnitens pietate Dei ad requiem pervenit.

---

## CAPUT XXXIV.

### DE SANCTO BARTHOLOMÆO.

Vidit aliquando sanctum Bartholomæum Apostolum in gloria mirabili, habentem ante se auream crucem. Et cum secum miraretur quid illa Crux designaret, dixit ad eam

*pietatis, qui te lavit a peccatis, servos suos atque tuos mundet data venia.*

Dominus : « Hæc est illa crux de qua in Evangelio dixi : *Qui vult venire post me* (MATT. XVI. 24.) etc. Cujus superior pars est spes et confidentia, qua omnes qui seipsos et sua deserunt propter me, ad me tendunt. Dextra pars est amor proximi ; sinistra vero, patientia in adversis. Inferior pars est cautela ab omnibus quæ animam a Deo elongant. Quia igitur iste dilectus mihi discipulus, me perfecte sequendo et imitando, hanc crucem tulit, modo insigni gloria ipsius supereminet dignitati. »

Diversæ Crucis partes explicantur.

### QUALITER DEUS IN SANCTIS LAUDATUR.

VISA autem tanta Apostoli gloria, desiderabat Deum, qui suos glorificat dilectores, in suis Sanctis collaudare. Quam Dominus dignanter, utpote suam devotam discipulam, instruxit dicens : « Lauda meam bonitatem in Sanctis, quos tanta beatitudine donavi, ut non solum in seipsis omnibus abundent bonis, verum etiam cujuslibet gaudium ex alio in tantum augmentatur, ut quilibet de bonis alterius plus gaudeat quam unquam mater aliqua in exaltatione unici sui, aut pater in triumpho et gloria sui potuit exultare filii. Sicque singulorum merita quilibet tamquam propria in jucundissima possidet charitate. »

### DE SANCTIS.

IN festo igitur cujuslibet Sancti potes me laudare pro æterna electione qua Sanctos elegi ; quam etiam in ipsis ita fortificavi, ut quamvis electi ad æternam beatitudinem in magnis quandoque sint peccatis, semper ac si non peccaverint, in eis respiciam illam ad quam perventuri sunt claritatem.

Qualiter Sancti de donis Dei possunt laudari.

Secundo, pro amicabili vocatione mea, qua eos vocavi ad regnum decoris. Quis enim unquam ad meam divinam majestatem accessum habere præsumeret, nisi ipsum vocarem et traherem ? Tertio, pro fidelissima regni mei cum ipsis divisione ; quia omnes reges et reginas mecum constitui, et tam feliciter et gloriose regnare feci, ut non dimidium regni mei, sed totum accepisse videantur. »

« Possunt etiam Sancti admoneri gaudii quo gaudent ex eo quod modo perfecte cognoscunt, et in jucundissima delectatione vident qualiter eos ab æterno dilexi, et ad talem felicitatem gratis elegi. Nullus enim amici sui cor respicere valet, qualiter circa ipsum afficiatur, sicut electi mei, qui Cordis mei intima rimantes, ineffabili gaudio sentiunt erga se affectum meum et amorem. Secundo, suavissimi gustus quem habent, quia quod me laudant et benedicunt, et quod meam erga se vident charitatem, eis dulcissime sapit. Tertio, quod habent suæ voluntatis copiam, quia omnia quæ volunt, liberalissime possunt. »

Possunt etiam Sancti admoneri : primo, gloriosissimæ, splendidissimæ et deliciosissimæ præparationis, quam eis Deus ab æterno præparavit ; videlicet ut sint ubi ipse est, cohæredes Unigeniti sui, imo in seipso in intimo paterni cordis sui eis donavit mansionem. Secundo, dulcissimæ influitionis qua illos Deus tota divina deliciositate sua influit, et ipsi tota gratitudine sua dulcissima fruitione refluunt in ipsum. Tertio, dignissimi honoris quem eis exhibuit, quia eos fecit suos commensales, cibans et satians eos sine fastidio splendore prædulcis faciei suæ, et inebrians torrente voluptatis divinæ, replendo in bonis omnia eorum desideria. Quarto, fidelissimæ remunerationis qua nihil tam parvum pro ejus amore fecerunt, dimiserunt aut pertulerunt, quod oblivioni dederit ; sed omnia diligentissime conservans, ipsos super omne meritum dignissimo remuneravit honore. Quinto,

æternæ beatitudinis, qua certi sunt quod eorum gloria et felicitas nunquam deficiet, sed cum meritorum et gaudiorum cumulo semper accipiet incrementum.

---

## CAPUT XXXV.

### DE FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

In festo Dedicationis Ecclesiæ, cum ad Missam cantaretur Versus, *Deus cui adstant Angelorum chori* [1], vidit in spiritu cœlestem Hierusalem, et thronum Dei in ea; qui erat tantæ magnitudinis, ut a summo cœlo usque ad infernum extenderetur: inferius habens clavum magnum qui omnes qui erant in inferno deprimebat; per quem justitiam Dei intellexit designari, quæ impios tam justissime a Deo separavit. Eratque civitas illa constructa ex lapidibus pretiosis et vivis, scilicet Sanctis; ita ut quilibet Sanctus in muro, sicut imago in lucidissimo speculo cum omnibus meritis suis distincte appareret. Omnes vero Angeli ante thronum secundum ordines et dignitates suas stabant ordinati. Anima vero cum Dilectum adire cuperet, Angeli eam mira blanditate suscipientes intra se, usque ad Archangelos deduxerunt: dein Archangeli usque ad Virtutes; sicque omnes Angelorum ordines pertransiens, usque ad thronum Dilecti sui pervenit, ceciditque ad pedes ejus dicens: « Saluto pedes tuos sanctissimos, quibus amore inæstimabili et desiderio exultans ut gigas, cucurristi viam nostræ redemptionis et salutis. » Deinde gratias egit pro singulis bonis quæ ad pedes ejus fuerat consecuta.

Anima per angelos deducitur ad thronum Dilecti sui.

1. Versus ad Graduale.

Post hæc autem dixit ad Dominum : « Quid modo petam, quia toties hodie ad petendum invitamur, quod etiam impetrasse nos lætemur ? » Cui Dominus : « Ora primum tibi donari remissionem omnium peccatorum ; hoc enim homini saluberrimum est, indeque veram lætitiam obtinebit. Quicumque enim pœnitens confitetur sua peccata, aut integram voluntatem confitendi habens, ad pedes meos postulat sibi indulgeri peccata sua ; hic si tantam in corde suo sentit humilitatem, quod se omni homini substernere sit paratus, testimonium illi erit, quod vere peccatorum remissionem impetravit. »

Dehinc anima surgens, vidit Dominum expansis manibus in throno sedentem et dicentem : « Sicut in cruce expansis manibus usque ad mortem perseveravi, sic adhuc expansis manibus assisto Patri meo pro homine, in signum quod vere paratus sum omnem ad me venientem suscipere in amplexum. Si quis ergo consequi hoc desiderat, si paratus est pro amore meo adversa omnia tolerare, signum ei erit quod in amplexum meum pervenit. Quisquis etiam ad osculum meum inhiat, si in veritate probaverit quod voluntatem meam in omnibus diligit, et ei summe placuerit, indicium sibi erit quod ad osculum meum pervenit. Quisquis autem preces suas ad aures meas devenire et eas exaudiri voluerit, ad omnem obedientiam sit paratus ; quia impossibile est viri obedientis preces non admitti. »

Dominus in cœlo manibus expansis ad omnes suscipiendos perstat.

Item cum Responsorium *Benedic* cantaretur, omnes Virtutes, quæ illic nominabantur, vidit in specie virginum Deo adstare, inter quas una cæteris excellentior, aureum scyphum portabat, cui singulæ virgines aromata imponebant : quæ flexis coram Deo genibus illi propinabat. Hoc dum illa miraretur, scire cupiens quid hoc sibi vellet, dixit ad eam Dominus : « Hæc est obedientia, quæ ideo sola mihi propinat, quia in se continet bona cæterarum virtutum ; et verus obediens has virtutes in se oportet habere. Verus etenim

Obedientia cæterarum virtutum munera Deo offert.

obediens oportet ut sanam habeat animam, hoc est ut nullo criminali peccato infirmetur. Humilitatem etiam habere debet, qua se prælatis in omnibus subjiciet. Sanctitas et castitas in eo est; quia cordis et corporis munditiam retinere oportet. Virtutes et victoria illi necessariæ sunt, ut scilicet fortis sit ad bene operandum, et victoriosus ad vitiis resistendum. Cæteras quoque virtutes obedientem habere convenit; scilicet, fidem sine qua nemo Deo placebit; et spem, qua semper ad Deum tendat;et charitatem tam ad Deum quam ad proximum; benignitatem, qua se omnibus mitem et sociabilem exhibeat; temperantiam, qua omnia superflua amputet; patientiam, qua cuncta adversa devincat et omnia sibi utilia faciat et fructuosa; et spiritualem disciplinam, qua regulam suam districte observet. »

Dum inter hæc pro quadam persona orasset, quæ ex officio suo gravabatur, vidit eam inter has virgines Deo assistentem, et Dominum dicentem: « Et quare mihi invita decantat, quia ego in æternum dulciter sibi recantare volo? Cantus enim unius diei ex obedientia me plus delectat, quam omnis cantus ex propria deliberatione. »

INCIPIT TRACTATUS

## DE BEATA VIRGINE.

### CAPUT XXXVI.

DE BEATA VIRGINE ET DE SEPTEM PEDISSEQUIS EJUS.

Cum in Missa *Salve sancta Parens* beatam Virginem salutaret, petens ut indulgentiam peccatorum sibi a Domino obtineret, visum est sibi quasi beata Virgo staret coram Domino, et ipsa cecidit ad pedes ejus, tangens fimbriam vestimentorum ejus in terram defluentium; et tersit ex eis faciem ejus, surgensque vidit plures virgines ipsam circumstantes, et cupienti scire quænam essent, beata Virgo dixit : « Omnes istæ virgines mihi in terris erant ministrantes. Prima est Sanctitas, quæ mihi ministravit in utero meæ matris per repletionem Spiritus Sancti. Secunda est Prudentia, quæ servivit mihi in pueritia, quod nunquam aliquid gessi puerile contra Dei voluntatem. Tertia est Castitas, quæ ministravit mihi in angelica salutatione, cujus amore victa tot Angelo dedi responsa. Quarta est Humilitas, quæ me Dei matrem effecit, cujus me ancillam recognovi. Quinta est Charitas, quæ Filium Dei de sinu Patris in uterum meum reclinavit, et sicut corda prægnantium matrum solent deficere gravamine doloris, ita cor meum sæpe defecit ex magnitudine amoris ; et sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita ego desiderabam videre Filium quem gestabam. Sexta est

B. Virgini septem virtutes in terris famulabantur.

Studiositas, quæ mihi ad omnia ministrabat opera, quæ Filio meo nato erant necessaria ; ita quod omnem in ipso Patris complevi voluntatem. Septima est Patientia, quæ mihi a prima hora nativitatis Filii mei usque in diem passionis ejus ministravit. Timor Domini fuit camerarius meus, qui nunquam permisit labefieri pedes meos. »

Tunc illa dixit : « O Domina, obtine mihi has virtutes ». Quæ respondit : « Accede ad Filium meum et ipsum postula. » Dominus autem sedebat in reclinatorio aureo, fulcito duabus columnis quasi sapphiro et auro ornatis ; anima vero cecidit ad pedes ejus, orans pro his virtutibus sibi et omnibus tentatis. Cui annuit Dominus quasi assignans eidem virgines adstantes. Et respiciens vidit quod unaquæque habebat in manu quasi lanceolam acutam : acuitas significabat constantiam per quam vitiis est resistendum ; lanceolæ autem erant circumpositæ cymbalis aureis, quæ cum moverentur, dulcissimum reddebant in Dei auribus sonum. Cymbalæ significabant cogitationes illas quibus homo resistit, faciens de vitiis victoriam quæ dulcissimum Deo reddit sonum. Et vidit quasi circumstantes multitudines Angelorum et Sanctorum, dixitque Dominus : « Omnes isti, millia millium ibi adstantium, defensores erunt omnium pro me certantium, contra omnes insidias inimici. »

Quas virtutes a Domino annuenti anima postulat.

## CAPUT XXXVII.

### QUALITER HOMO VERAM SANCTITATEM OBTINEAT.

SABBATO quodam. dum *Salve sancta Parens* cantaretur, salutans beatam Virginem orabat ipsam veram sibi obtinere sanctitatem. Cui gloriosa Virgo respondit : « Si veram cupis sanctitatem, tene te ad Filium meum, qu est ipsa sanctitas omnia sanctificans. » Ipsa autem cogitante quomodo hoc faceret, benignissima Virgo respondit : « Tene te ad ejus sanctissimam infantiam, desiderans ut omnia pueritiæ tuæ commissa et neglecta, per ejus innocentissimam pueritiam suppleantur. Tene etiam te ad ejus ferventissimam adolescentiam, qua floruit in flagrantissimo amore, ita quod in eo solo ignis divini amoris sufficientem habuit materiam ; ut omnis tepor et accidia tuæ juventutis per eam reparetur. Tene te etiam ad divinas ejus virtutes, quatenus in eis tuæ virtutes nobilitentur et extollantur. Secundo, tene te ad Filium meum, omnes cogitationes, verba et facta tua in ipsum dirigendo, ut omnia imperfecta cogitationum, verborum et operum tuorum per eum deleantur, qui nunquam in his deliquit. Tertio, tene te ad ipsum, sicut sponsa ad sponsum suum, quæ ex bonis ejus cibatur et vestitur, et quæ amore sponsi amicos ejus et familiam diligit et honorat. Sic etiam anima tua verbo Dei velut cibo optimo alatur, et ex deliciis ejus, hoc est, exemplo virtutum ejus quas imitari debet, quasi vestibus atque ornamentis, decentissime componatur. Ad familiam etiam suam, id est, ad Sanctos tene te, ipsos diligendo, et pro eis Deum laudando, et ipsos ad Dilectum, ut eum tecum simul collaudent, sæpius diri-

Qui cupit sanctitatem ad Christum se teneat.

Item ad familiam Christ, seu Sanctos.

gendo ; et sic vere sancta eris, secundum quod scriptum est : *Cum sancto sanctus eris* (Psal. xvii. 26.) sicut regina ex sui regis consortio regina erit. »

Cum autem in Sequentia *Ave Maria* cantaretur, *Salvatoris Christi templum exstitisti*, admonuit beatam Virginem quod ipsa fuit gloriosissimum, luminosissimum et deliciosissimum Dei templum. Tunc beata Virgo, apprehendens manum ejus, deduxit eam ad domum pulcherrimam, quadratis lapidibus altissime constructam, nullam habentem fenestram, et tamen intus lucidissimam, habentem januam parvam ex jaspide rubeo et denso factam, et auream in ea catenulam. Hæc domus gloriosam Virginem Mariam figurabat; quadrati vero lapides notabant quod in quatuor elementis ex quibus homo constat optime temperata fuit; in altitudine et in luminositate intellexit quod fuit altissima contemplatione, luminosissima cognitione. Per ostium, ejus misericordia exprimebatur, quæ omnibus ad se venientibus patet; per rubeum jaspidem, ejus mira patientia ; per catenam quoque auream, dilectio. Dixitque ad eam : « Si talis domus Dei effici desideras, in his virtutibus te exercere studeas. »

Domui pulcherrimæ B. Maria assimilatur.

Gloriosa autem Virgo habebat in dextra sua quatuor annulos gemmis optime insignitos, posuitque dextram suam supra pectus animæ dicens : « En gemmis his omnia tentationum genera superabis : omnis tentatio autem a quatuor vitiis oritur ; scilicet superbia, ira, luxuria, et accidia. Si ergo inflaris superbia, oppone tibi humilitatem meam devotissimam ; si vero ira molestaris, recole mansuetudinis meæ, quia supra omnes mitis eram ; quod si luxuria infestaris, recurre ad castitatem meam sanctissimam ; et si accidia tentaris, ad ferventissimum amorem meum confugias : sicque omnem inimici virtutem propulsabis. »

## CAPUT XXXVIII.

### DE CORONIS BEATÆ VIRGINIS [1].

Coronis B. Virginem circumdantibus inscripta ejus privilegia.

In Missa *Salve sancta Parens*, vidit beatam Virginem habentem coronam in capite, cujus flores inclinati erant ad terram; pallium vero ejus rubeum plenum coronis aureis, quæ omnes inclinatæ erant ad terram: et intra singulas coronas erat scriptum nomen coronæ. Corona capitis significabat unionem Dei, quam ipsa maxime habet præ aliis creaturis. Alia corona quæ tegebat humeros ejus, habebat scriptum: Mater Dei et Hominis. Corona tertia pectus ejus tegebat; habebat nomen: Regina Angelorum. Quarta: Gaudium omnium Sanctorum. Quinta: Solamen omnium miserorum. Sexta: Refugium omnium peccatorum. Inclinatio coronarum ad terram exprimebat quod ipsa in omnibus donis et gratiis sibi a Deo collatis, ad filios hominum est inclinata.

Tunc illa oravit specialiter pro quibusdam sibi commissis; cui beata Virgo: « Si ebrius terreno vino largior est sobrio, quanto magis ego, quæ de summa divini Cordis dulcedine bibo affluenter omnibus horis merum dulcissimum excellentissimæ divinitatis! »

1. Hoc caput in Lipsiensi codice et in editione anni 1503 deest.

## CAPUT XXXIX.

### DE RADIIS DE CORDE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS PRODEUNTIBUS.

SABBATO quodam dum cantaretur in choro Responsorium *Ave Virgo singularis*, visa est beata Virgo stare coram altari, et sanctus Gabriel stabat contra eam. Tunc illa quæ vidit hoc, cecidit ad pedes Virginis, orans ut obtineret sibi indulgentiam peccati quod per detractionem commiserat, quod tamen non malitiose fecit, sed quasi mentem cujusdam personæ mitigando. Beata autem Virgo Maria, manum ejus tenens dixit: « Votum fac Filio meo ne amplius talia committas. » Et illa: « Hoc tu, mater pia, mihi apud Filium tuum obtineas. »

Et dum cantaretur Versus: *Auro vestiris intus*, aperuit se Cor Virginis beatæ, et exierunt duo radii qui ambos choros repleverunt. Et datum est ei salutare Cor Virginis gloriosæ in his septem articulis, in quibus nobis utilissimum fuit præ omnibus cordibus, post Christum. Primo in desiderio quod præ omnibus Patriarchis et Prophetis maxime habuit ad Christi nativitatem; secundo, in amore, quia per amorem ardentissimum et humillimum Mater Dei est effecta; tertio, in pietate et dulcedine, qua tam affectuose parvulum Jesum enutrivit; quarto, in studiosa conservatione verborum Christi; quinto, in exemplo patientiæ Christi passionis; sexto, in sedula oratione et desiderio pro Ecclesia; septimo, quod quotidie perficit in cœlo apud Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nostra desideria promovendo.

Propter septem prærogativas salutatur Cor Mariæ.

Dum vero illa inclinaret se ad *Gloria Patri*, gloriosa Virgo stans coram ea, simili modo se super genua inclinabat.

Super quo dum miraretur, intellexit divinitus quod, sicut præ omnibus creaturis esset electa et sublimata, ita præ omnibus majorem haberet gratitudinem in omnibus donis Dei.

Cum autem cantaretur *Salve Regina nobilis*, visa est denuo beata Virgo Maria tenerrimum puerum gestare in ulnis, involutum fascia, et virgineo uberi adhærentem, et stans coram illa quæ cantabat Versum : *Omnia pascentem*, etc. In sequenti vero Responsorio dum cantaretur : *Agnosce cui præbueris ulnas*, extendit manus suas altissime levans puerum super caput suum, quasi agnoscendo quod Deum et hominem omnibus exhiberet.

---

## CAPUT XL.

### ANGELI ANIMAM AD BEATAM MARIAM DEDUCUNT [1].

Item in Sabbato quodam cum beatæ Virginis præsentiam affectaret, visum est sibi inter Responsorium *Regali*, quasi omnes Angelorum ordines ad beatam Virginem Mariam accederent, desiderium amantis animæ intimantes, et ut venire dignaretur suppliciter exorantes ; ita videlicet ut ad neuma verbi *osten*... Angeli ad eam accederent dicentes : « Eia, Domina, veni ; deinde ad singulas neumatis ejusdem partes, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim ; ad hæc vero verba :... *de te, Maria* [2]

1. Hoc capitulum, quod e codice Lipsiensi descripsimus, in codd. S. Gall. Vindob. ac ipso Guelferb. totum desideratur.

2. Novem partes neumatis, ad hæc verba, *ostende te Maria*, præsertim ad syllabam *ten*, sunt in manuscripto notis musicis seu ligaturis (quas hic necessario omisimus), expressæ, et ita distinguuntur ut singulæ singulis cœlestium Spirituum choris respondeant.

Seraphim eam potenter assumentes, cum omnibus Angelis eam in medio chori venerabiliter deduxerunt. Hoc idem sæpius sibi datum est videre.

---

## CAPUT XLI.

### DE GAUDIIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Gloriosa Virgo Maria, dum vice quadam sibi appareret, rogabat ipsam quatenus sese instrueret quid ea die sibi honoris exhiberet. Cui beata Virgo Maria respondit : « Admone me gaudii quod habui, cum Filius Dei, tamquam sponsus procedens de corde Patris, in uterum meum venit, exultans ut gigas ad currendam viam. Secundo, gaudii quod habui, cum de virginali utero meo progrediens, factus est mihi filius dulcedinis atque gaudii : alii filii matribus suis dolorem inferunt et tristitiam ; Filius autem Dei, quia ipse dulcedo est, mihi matri suæ gaudium attulit, et factus est præsuavis. Tertio, gaudii quod habui in Magorum oblatione, ubi factus est mihi filius honoris, quia a sæculis nunquam aliqua mater in nativitate filii talibus est donis honorata. Quarto, gaudii quod habui, cum filium meum in templo obtuli : ibi factus est mihi filius munditiæ et sanctitatis ; quia sicut aliæ matres ex hoc purificantur, ita ego cum purificari non indigerem, purificatio illa mihi auxit sanctitatem. Quinto, in passione exstitit mihi filius tristitiæ, et doloris, et redemptionis. Sexto, in resurrectione factus est mihi filius lætitiæ et exultationis. Septimo, in ascensione factus est filius divinæ majestatis et regiæ dignitatis. »

Septem præcipua gaudia e Filio suo percepit Virgo Mater.

## CAPUT XLII.

### QUOD BEATA VIRGO MARIA NON POTEST DULCIUS SALUTARI QUAM PER *Ave Maria.*

SABBATO quodam, cum *Salve sancta Parens* cantaretur, dixit beatæ Virgini Mariæ : « Si te, o cœli Regina, dulcissima salutatione quam unquam humanum cor excogitavit, salutare possem, libentissime facerem. » Statim gloriosa Virgo eidem apparuit, habens in pectore scriptam aureis litteris Angelicam salutationem, et ait : « Supra hanc salutationem nunquam homo pervenit, nec aliquis me dulcius salutare poterit, quam is qui salutat me in reverentia, qua Deus Pater me per hoc verbum *Ave* salutavit, confirmans me omnipotentia sua, ut essem immunis ab omni væ culpæ (*a*). Filius quoque Dei divina sua sapientia sic me perlustravit, ut sim præclarum sidus, quo cœlum et terra illustratur, quod per hoc nomen *Maria,* quod sonat maris stella, notatur. Spiritus etiam Sanctus tota sua divina dulcedine me penetrando, sua gratia tam gratiosam me effecit, ut omnis qui per me gratiam quærit, ipsam inveniat, quod innuitur per hoc verbum, *gratia plena.* In hoc quoque verbo: *Dominus tecum,* admoneor ineffabilis unionis et operationis quam tota Trinitas perfecit in me, cum meæ carnis substantiam divinæ naturæ in una persona copulavit, ita ut Deus fieret homo, et homo Deus; quid illa hora gaudii et dulcedinis senserim nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per *Benedicta tu in*

Dignitas quam BB. Trinitas Angelicæ confert salutationi.

(*a*) ab omni væ culpæ et pœnæ. *Cod. Lips.* Cf. supra cap. 28.

*mulieribus*, omnis creatura mirando agnoscit et contestatur me benedictam, et exaltatam super omnem creaturam, tam cœlestem quam terrestrem. Per *Benedictus fructus ventris tui*, benedicitur et extollitur excellentissimus et perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, et in æternum benedixit.

---

## CAPUT XLIII.

### DE QUINQUE *Ave Maria* ANTE COMMUNIONEM LEGENDIS.

Die quodam post Matutinos, in oratione dubitare cœpit si in sero Dominæ nostræ Completorium dixerit an non. Unde contristata Deo negligentiam suam confitebatur, et illico Completorium persolvit. Post hoc legit quinque *Ave Maria* quæ dicere solebat antequam sumeret corpus Christi, quod ad doctrinam aliorum conscribimus.

Primo, Dominam nostram admonebat illius susceptionis qua in virginali puritate filium concepit, Angelo nuntiante, et abyssali humilitate sibi eum a regalibus sedibus intraxit; et orabat obtineri sibi mundam conscientiam et veram humilitatem. Secundo, illius susceptionis mellifluæ, qua ipsum suscepit, cum primo eum in humanitate aspexit, et verum Deum agnovit; orans obtineri sibi veram cognitionem. Tertio, quod omni hora parata fuit gratiam suscipere, nec unquam eam in se impedivit; orans obtineri sibi cor semper divinæ gratiæ paratum. Quarto, quanta devotione et gratitudine dilecti Filii sui corpus in terris sumebat, quia præ omnibus plenius agnovit quanta salus hominum ex hoc proveniret; petens ut dignam gratitudinem sibi obtineret. Quinto, illius amantissimæ susceptionis, qua eam Filius ad se

Qualiter ad Filium se habuerit Virgo Mater admonetur.

vocavit; orans ut obtineret sibi accedere cum speciali lætitia; quia si homo agnosceret quanta salus ei ex Christi corpore proveniret, præ lætitia in se deficeret.

Tunc vidit beatam Virginem coram se stantem, et eam amplexibus stringentem; at illa cœpit negligentiam suam conqueri, interrogans si Completorium in sero dixerit, an non; cui Virgo : « Cum nescis si legeris, sic est coram Filio meo, ac si non feceris. »

---

## CAPUT XLIV.

### DE FIDELITATE GLORIOSÆ MARIÆ VIRGINIS.

Alia vice cum se Deo culpabilem redderet, pro eo quod ejus Matrem nunquam prout debuit dilexisset, nec debitam ei reverentiam et obsequium exhibuisset, ait Dominus : « Pro hac tua negligentia, lauda Matrem meam in fidelitate qua mihi præ omnibus in vita sua fidelissima exstitit, in omnibus actibus suis semper voluntatem meam suæ præferens voluntati. Secundo, extolle fidelitatem illius, qua mihi in omnibus necessitatibus meis fidelissime adstitit, ita ut omnia quæ ego passus sum corpore ipsa sustineret mente. Tertio, magnifica fidelitatem illam, qua adhuc in cœlo mihi fidelissima est, in acquirendo mihi peccatores, ut convertantur, et animas ut a pœnis liberentur; quia ipsius meritis innumeri peccatores sunt conversi, et animæ justo judicio meo æternis pœnis deputatæ, per ejus misericordiam sunt revocatæ, necnon a purgatorii igne liberatæ. »

In tribus laudatur B. Mariæ fidelitas.

## CAPUT XLV.

### QUALITER BEATA VIRGO CUM OMNI CREATURA SALUTETUR.

In quadam Missa, *Salve sancta Parens,* cum beatam Virginem salutare cuperet, dixit ei Dominus: « Saluta Matrem meam cum omni creatura. » At illa cogitante qualiter hoc facere posset, vidit seraphicos Spiritus ab austro venire, singulos accensas candelas bajulantes. Tunc illa divinitus inspirata, intellexit quod hi Spiritus in ejus ministerium simul et adjutorium advenirent, ut cum eis beatissimam Virginem salutaret. Accensaque amore seraphico salutabat dulcissimam Virginem in amore, quo Deum præ omni creatura dilexit: qui amor in passione Unigeniti sui in ea in tantum prævaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret et exstingueret; quia omni creatura in Filii Dei morte dolente, ipsa sola cum divinitate immobilis et gaudens Filium suum pro mundi salute voluit immolari. Deinde Cherubim cum speculis advenerunt; per quod agnovit qualiter cum his beatam Virginem salutare deberet, in evidentissima et lucidissima cognitione, qua præ omni creatura in terris fruebatur, et qua nunc inaccessibile lumen divinitatis omnibus limpidius intuetur. Throni post hæc eburneum thronum deferebant; per quod intellexit tranquillissimam et placidissimam requiem, qua eam Deus inhabitavit, quæ nec in omni humano exercitio, sive in Ægyptum cum Filio fugiens, sive rediens, unquam ad momentum potuit perturbari.

Seraphim cum lampadibus Cherubim cum speculis Throni cum sedibus adveniunt.

Dominationes coronam miræ pulchritudinis portabant, in qua erant humana capita miri candoris et venustatis:

Coronis Dominationes, sceptris Principatus, gladiis Potestates distinguuntur

per quod innuebatur quod per Virginem maxime redemptio humano generi advenit. Principatus sceptra florigera præferebant : in quo intellexit quod cum his in gloriosa Virgine extollere deberet, quod Dei imaginem indepravatam in se, atque decentissime præ omni creatura repræsentat. Potestates gladios habebant : per quod significabatur quod Deus permaximam potestatem in cœlo et in terra super omnem creaturam illi contulit, specialiter supra dæmones, qui eam in tantum tremunt, quod nec nomen ejus ferre valent. Virtutes scyphos aureos deferebant, de quibus Dominus seipsum in jucunditate bibebat : per quod intellexit quod homo se Deo virtutibus habilitat, ut se illi infundere et per gratiam suam in eo operari valeat. Cum etiam his Spiritibus gloriosam Virginem salutare debebat, quia præ omnibus gratia et virtutibus erat plena.

Virtutes deferunt scyphos.

Archangeli velum proferunt.

Archangeli velum pulcherrimum protulere, quo Dominum et Matrem ejus insimul operuerunt : per quod figurabatur familiaritas inter Deum et animam, qua etiam sanctissima Virgo specialissime in terris fuit dotata. Angeli vero Regi suo assistentes ministrabant : per quod intellexit cum ipsis debere Matrem Dei benedicere, et collaudare pro omni servitio, quo Dei Filio in terris, ut fidelissima et devotissima ancilla ministravit.

Patriarchæ et Prophetæ cum scriniis

Apostoli cum libris

Post hæc Patriarchæ et Prophetæ aurea scrinia et clausa deferebant : per quod exprimebatur clausa et obscura eorum prophetia, quæ per Virginem et Christum est adimpleta, et per Spiritum Sanctum est nobis reserata. Apostoli libros splendidos et ornatos habebant : per quod fidelis doctrina eorum, quæ per omnes fines terræ sonuit, designabatur; quos etiam serenissima Virgo doctrina exemplorum et virtutum suarum longe præcellit. Martyres vero scuta aurea in dextra sua, et rosas in sinistra deferebant : designantes victoriam passionis, et constantiam patientiæ, qua pro

Martyres cum scutis adsunt.

Christi nomine et amore sanguinem fuderunt; quos beata Virgo constantia et patientia sua excellebat. Confessores etiam thuribula et phialas odore mirifico refertas obtulerunt: per quod devotionis et orationis studium notabatur; inter quos etiam devotissima Virgo prima et excellentissima est inventa. Virgines quoque lilia aurea ad honorem virgineæ Matris proferebant; quia per eam insigne decus virginitatis in terra pullulavit. Post hæc omnes Sancti, ipsumque cœlum et terra, et omnis creatura simul advocata, animæ illi felici se inclinabant, in ministerium et adjutorium se illi exhibentes, ut cum ipsis dulcissimam et omni laude dignissimam virgineam Dei Matrem dignissime salutarent.

Confessores cum thuribulis et Virgines cum liliis B. Mariam salutant.

---

## CAPUT XLVI.

### ITEM DE SALUTATIONE VIRGINIS.

Incidit aliquando menti ejus ut judicaret se Dominæ nostræ, omnibus diebus vitæ suæ, minus devote quam debuerat, deservisse. Pro quo dolens orabat Dominum, ut de cætero gloriosæ Matri suæ, ferventi studio et devotione sedula, eam faceret deservire; ita tamen ut nullum ex eo impedimentum in sui amoris unione sentiret. Statim autem vidit Dominum Jesum cum Matre regia in solio excelso consedere, et Matri dicentem: « Surge, proxima mea; da huic locum. » (*a*) Quod anima audiens, pavefacta cogitare cœpit ne forte hoc phantasma esset. Ad quam Deus: « Vere, vere dico tibi, non deciperis, nec unquam in talibus es decepta. » Tunc beata Virgo animam in

In locum B. Mariæ anima admittitur.

(*a*) Surge, præpara huic locum secundum desiderium ejus, eam mihi arctius applicando. *Cod. Guelferb.*

ulnas suas levans dilectoris sui eam amplexibus sociavit. Quam Dominus mira blanditate suscipiens, os ejus Cordi suo divino applicuit, dicens : « Hinc inde hauries quidquid Matri meæ impendere cupis. » Sensitque illa quasi guttas sibi instillare hos versiculos nunquam antea sibi auditas : « Salve, Virgo excellentissima, in stillicidio dulcissimo, quod de corde beatissimæ Trinitatis ab æterno fluxit in te prædestinatione felicissima. Salve Virgo sanctissima, in stillicidio dulcissimo quod de corde beatissimæ Trinitatis fluxit in te, de tua felicissima conversatione. Salve, Virgo nobilissima, in stillicidio dulcissimo quod de beatissima Trinitate fluxit in te de Filii tui dulcissimi doctrina et prædicatione. Salve, Virgo amantissima, in stillicidio dulcissimo, quod de sacra Trinitate fluxit in te in tui Unici passione et amarissima morte. Salve, Virgo dignissima, in stillicidio dulcissimo, quod de Beatissima Trinitate fluxit in te, in omni gloria et jucunditate qua nunc gaudes, et in æternum gaudebis super omnes creaturas, in cœlo et in terra, præelecta ante mundi constitutionem. » Amen.

E divino Corde quod B. Mariæ impendere cupit haurit anima.

[Alia vice cum similem negligentiam alterius personæ gloriosæ Virgini Mariæ conquerendo exposuisset, illa dabat sibi Cor Christi in similitudine lampadis ardentis, dicens ad eam : « Ecce hoc dignissimum, et prænobile dilecti Filii mei Cor tibi do, ut ipsum cum omni fidelitate et dilectione quam mihi in summo exhibuit et sine fine exhibebit, pro his quæ in obsequio meo neglexerit mihi offerat, et satis gratanter supplebit [1]. »]

Cor Jesu animæ in obsequim B. Mariæ traditur.

1. Cf. *Legatus*, Lib. III. c. 25. — Quæ hic uncis includuntur in San. Gall. codice desunt.

## CAPUT XLVII.

### DE TRIBUS *Ave Maria* DICENDIS, PER QUÆ POSSIS GLORIOSAM VIRGINEM MARIAM HABERE PRÆSENTEM IN FINE VITÆ TUÆ [1].

Dum gloriosam Virginem Mariam oraret, ut in hora mortis suæ sibi adesse dignaretur, respondit : « Hoc utique faciam : sed et tu quotidie tria *Ave Maria* mihi legas. Ad primum, ora ut sicut Deus Pater secundum omnipotentiæ suæ magnificentiam animam meam, sicut in throno, dignissimo sublimavit honore, ut sim post ipsum potentissima in cœlo et in terra, adsim tibi in hora mortis, te confortando, et expellendo a te omnem contrariam potestatem. Ad secundum, ora ut, sicut Filius Dei secundum suæ inscrutabilis sapientiæ prævalentiam, scientia et intellectu me artificiose decoravit, et totam replevit, ut supra omnes Sanctos majori cognitione fruar beatissima Trinitate, et tanta me claritate perlustravit, ut velut sol radians in virtute totum cœlum illuminem, in hora mortis animam tuam lumine fidei et cognitionis perfundam, ne fides tua ignorantia aut aliquo errore tentetur. Ad tertium, ora ut, sicut Spiritus Sanctus suavitatem sui amoris plene mihi infudit, et tam suavissimam et mitissimam effecit, ut post Deum dulcissima et benignissima sim, ita adsim tibi in hora mortis, infundendo animæ tuæ suavitatem divini amoris qui in tantum prævaleat in te, ut omnis pœna et mortis amaritudo, ex amore tibi sit persuavis. »

Quo pacto B. Maria in nostro exitu potentiam, sapientiam, et benignitatem explicabit.

1. Cf. *Legatus* Lib. III. c. 19.

EXPLICIT PARS PRIMA.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# PARS SECUNDA.

## CAPUT PRIMUM.

### QUALITER DEUS ANIMAM INVITAT.

Sabbato quodam, dum ageretur memoria Virginis Matris Dei, hæc ancilla Christi desiderabat ipsam laudare; sed ignorabat qua eam laude digne posset extollere. Tunc solito more ad pedes Jesu se prosternens, vidit Dominum habentem super dextro pede quasi sapphirum, et super sinistro granatum. De quo dum miraretur, dixit ad eam Dominus: « Sicut sapphirus sua virtute malos depellit humores, sic mea vulnera animæ depellunt virus, et eam a maculis purificant; et sicut granatum cor hominis lætificat, sic mea vulnera, post emendationem peccatorum, animam in me gaudere faciunt. » Tunc rapta supra se in alta, vidit Regem gloriæ, et ad dexteram ejus imperialem Matrem ipsius, se vero ad sinistram. Et reclinans se in sinu ipsius, intenta aure cordis auscultabat dulcifluum Cor Christi sine cessatione pulsu vehementi pulsare. Pulsus vero divini Cordis sonabat, quasi animam invitaret, ita dicens: « Veni ut pœniteas; veni ut reconcilieris; veni ut consoleris; veni ut benedicaris. Veni, amica mea, ut percipias omnia quæ amicus amico poterit elargiri. Veni,

Quadruplex pulsus divini Cordis.

soror mea, ut possideas æternam hæreditatem quam tibi pretioso sanguine acquisivi. Veni, sponsa mea, ut mea divinitate perfruaris. »

Virgo itaque Maria habebat amictum crocei coloris, in quo erant rosæ rubeæ, et in ipsis rosæ aureæ mirabiliter intextæ. Croceus color ejus designabat humilitatem, qua omni creaturæ se subjaciebat; rubeæ rosæ, constantiam patientiæ qua ad omnia mitis erat et patiens; rosæ vero aureæ, amorem ipsius, quo omnia opera sua in Dei perficiebat amore. Sorcotium vero erat viride, et rosæ aureæ intextæ, designans quod semper in bonis operibus et virtutibus sanctis florebat. Tunica autem erat ex auro purissimo et nimis fulgenti. Per aurum significabatur amor, et sicut tunica proxima est corpori, sic amor cordi.

Tunc illa beata salutabat præclaram Virginem per Cor dilecti Filii sui, et laudabat per Filium suum eam perfectiori laude, quam aliqua creatura ipsam posset laudare. Post hæc Dominum laudabat, ut ipse solus in ejus cantu laudaretur, et ut nihil adhuc quæreret quam suam laudem. Cui Dominus: « Quare, putas, cum antiphonas imponitis, inclinatis, nisi ut gratiam quam Deus animæ infudit, cum gratiarum actione et laude suscipiatis? » Viditque de Corde Dei tubam prodeuntem ad cor animæ, et iterum de anima circumvolvebatur ad Cor Dei, per quam laus Dei significabatur. Tuba vero erat ornata aureis nodulis, quæ erant illæ beatæ animæ, quæ jam Deum laudant et glorificant in cœlis per infinita sæcula.

Tuba prodit ex Corde Dei ad cor animæ.

## CAPUT II.

### DE VINEA DOMINI QUÆ EST ECCLESIA, ET DE QUADRUPLICI ORATIONE.

DOMINICA quadam, dum *Asperges me* cantaretur, dixit ad Dominum : « Mi Domine, in quo nunc cor meum vis lavare et mundare ? » Statimque Dominus cum inæstimabili amore se inclinans, quasi mater filio, sibi obviabat, eamque totam circumplectebatur, dicens : « In amore divini Cordis mei te lavabo. » Et aperiens januam Cordis sui, mellifluæ divinitatis gazophylacium, in quod intravit velut in vineam. Viditque ibi flumen aquæ vivæ ab Oriente usque ad Occidentem [1]; circa flumen duodecim arbores afferentes duodecim fructus, id est, virtutes quas beatus Paulus in Epistola sua [2] enumerat : scilicet, charitas, pax, gaudium, etc. Hæc aqua vocabatur flumen charitatis. Intravit itaque anima, ibique ab omnibus maculis lavabatur. In hoc flumine erat multitudo piscium aureas squamas habentium, qui significabant amantes animas, quæ ab omnibus terrenis delectationibus separatæ, seipsas fonti omnium bonorum, hoc est in Jesum, immerserunt. In vinea erant palmites plantatæ ; quædam erectæ, et quædam ad terram inclinatæ. Erectæ palmites sunt illi qui mundum cum suis floribus contempserunt, et mentes suas ad cœlestia erigunt; palmites vero inclinatæ sunt illi

Flumen aquæ vivæ. et circa illud duodecim virtutum arbores.

1. Hæc tota visio de aqua viva, de vinea Domini, videtur a Poeta *Dante* fuisse sibi accommodata in Cantu XXVIII *Purgatorio*, et seqq. ubi se prodit a Domna *Matelda* cum cantaretur *Asperges me* fuisse ductum trans flumen, et de quibusdam mysteriis doctrinam accepisse.

2. GALAT. V, 22.

miseri qui in terræ pulvere peccatorum suorum jacent. Dominum etiam in specie hortulani terram fodebat; cui illa : « O Domine, quod est fossorium tuum ? » Et Dominus : « Timor meus. » In quibusdam vero locis erat terra dura, in quibusdam autem mollis : dura significabat eorum corda qui in peccatis durati, nec admonitione, nec increpatione corrigi sciunt ; mollis vero terra, corda eorum qui per lacrymas et veram cordis contritionem sunt emolliti.

Vineam Domini anima irrigat.

Dixitque Dominus : « Hæc vinea mea Ecclesia est catholica, in qua triginta tribus annis multo labore desudavi. In hac vinea tu mecum labora. » Et illa : « Qualiter ? » Cui Dominus : « Rigando eam. » Statim anima cum impetu currens ad flumen, tinnam aqua plenam in humeros suos accepit; et valde onerata, venit Dominus secum portans, factumque est illi onus leve. Et dixit Dominus : « Sic cum gratiam hominibus tribuo, omnia videntur levia et suavia, quæ propter me faciunt aut sustinent; sed cum gratiam subtraxero, cuncta eis gravia videntur. » Circa palmites vero vidit Angelorum multitudinem quasi murum ; quia ipsi discurrunt inter nos et circa nos, Ecclesiam Dei defendentes.

Dominus Mechtildem docet psalmum *Miserere* legere.

Post hæc, magistrorum optimus docuit eam psalmum *Miserere mei Deus*, qui habet viginti versus, quem deberet distinguere per quatuor, scilicet in quinque et quinque, cum antiphona : *O beata et benedicta et gloriosa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus* [1], et versus *Miserere, miserere, miserere nobis*. Primos quinque versus pro omnibus peccatoribus, qui peccatis indurati, ad Deum converti nolunt, ut Deus per amarosam mortem suam, per veram pœnitentiam eos dignetur revocare. Secundos quinque versus pro pœnitentibus, ut optatam remissionem consequantur, et nunquam de cætero redeant ad peccata. Tertios quinque versus, pro

1. Antiphona ex officio veteri SS. Trinitatis.

justis qui jam in bonis actibus et virtutibus proficiunt, ut in his perseverent. Quartos quinque versus, pro omnibus animabus purgandis, quæ sunt in certitudine quod cito in cœlesti regno sunt bibituræ poculum fontis vivi, et in æternum cum Christo regnaturæ, ut citius absolutæ cum Domino epulentur.

Inter Secretum vero, cum hostia elevaretur, dixit Dominus ad eam : « Ecce me totum cum omni bono quod est in me, do in potestatem animæ tuæ, ut quidquid de me facere velis, hoc totum sit in tua potestate. » Quod illa renuit accipere, sed elegit suam in omnibus voluntatem. Et Dominus : « Non quod ego volo, sed quod tu, hoc sit in tua potestate. » At illa voluntatem Domini agnoscens, dixit ad eum : « Nihil utilitatis meæ appeto, nihil quæro, nil aliud volo nisi ut hodie a teipso, et in teipso, et per teipsum lauderis, sicut unquam altius aut perfectius poteris laudari. »

Dominus, cithara et summus Cantor.

Tunc vidit de corde Dei exire citharam ; cithara autem illa erat Dominus Jesus, chordæ vero, omnes electi qui in Deo unum sunt per amorem. Tunc summus Cantor omnium cantorum Jesus, citharam percussit, et sono dulcisono insonabant omnes Angeli dicentes :

« Laus æterna tribus personis, quod Dominus elegit te in sponsam et in filiam. [1] »

Deinde omnes Sancti cantabant in Deo dulci harmonia dicentes : « Grates nunc omnes reddimus Deo Patri, pro hac anima quam sua ditavit gratia. Benedictus Deus. »

1. Quod laudis præconium in diversis latinis codicibus veteri Teutonico idiomate solummodo traditur. Juxta San-Gallensem sic recte legitur : LOBE EWIG AN DRIN PERSONEN, DAS HER DICH VERKOREN HAT ZU EINER BRUT UND ZU EINER DOCHTER. Editor vero Lipsiensis teutonicus, 1503, mendose legit; cujus errorem plurimi secuti sunt.

## CAPUT III.

### QUALITER DEUS AD ANIMAM VENIT.

Mira divini Cordis ad cor animæ applicatio.

NOCTE quadam cum a somno vigilaret, et Dominum intimis præcordiis salutaret, vidit ipsum de cœli palatio venientem ad se, et Cor suum divinum cordi suo applicantem, sibique dicentem : « Nunquam apis avidius mittitur in prata virentia ad carpendos flores dulces, sicut ego paratus sum ad tuam venire velociter animam me vocantem. »

### QUALITER IN DEI AMORE EST SUCCENSA.

ITEM et hoc sæpius ei contigit, ut cum pigra et minus devota esset, divinum Cor Dei quasi ignitum aurum cordi suo jungi sentiret, ex cujus caloris vapore miram percipiens dulcedinem, mox ferventissimo amore solito est succensa.

## CAPUT IV.

### DE AMPLEXU DOMINI.

In choro contemplans B. Mechtildis deficit.

SABBATO etiam quodam vidit ipsum sponsum Ecclesiæ Jesum de cœlo se inclinantem expansis manibus, in ejus amplexus ruentem, eamque medullitus sic in se trahentem, ut tota absorpta in Deum penitus in se deficeret, in tantum ut a choro portaretur quasi exanimis ; quia spiritus ejus

totus transierat in ipsum quem toto corde dilexit, et præ omnibus concupivit. Et tam mira dulcedine replebatur, ut per septimanam dulcedinem illam sentiret.

Item lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei speciosus forma præ filiis hominum, puer Jesus, eam circumplectens, et ad se trahens, a quo cum magna difficultate et pœnalitate se erexit; vix lectionem legere poterat.

---

## CAPUT V.

### DOMINUS ILLAM JUVAT AD LECTIONEM.

Item multoties sibi accidit ut, dum in Matutinis plena Deo in fruitione magna et dulcedine esset, ita ut omnem fortitudinem consumpsisse nec lectionem suam legere posse videretur, diceret ad eam Dominus : « Vade et lege ; nam ego te juvabo. » Sicque cum magna constantia lectionem incipiens eam complevit.

---

## CAPUT VI.

### DOMINUS ILLAM SUAVITER MANE EXCITAT.

In choro legens deficit B. Mechtildis

Quadam autem vice dum ad Matutinos Evangelium *Exurgens Maria* legeret, tanta illam Dominus gratia et dulcedine infudit, ut a se penitus deficiens lectionem intermitteret, ita ut a choro exanimis portaretur. Cumque

in lectulum repausanda reclinaretur, rogabat Dominum ut hora competenti eam excitaret. Et ecce in Prima, vidit in visu juvenem pulcherrimum coram se stantem, ex cujus præsentia cor ejus tantam sensit dulcedinem ut inde excitaretur.

---

## CAPUT VII.

### DE CURSU ET LABORE DOMINI.

Alia vice dum ex præcepto post Matutinos dormitum iret, vidit Dominum quasi in sublimi solio residentem, sub pedibus scabellum habentem, et sibi dicentem : « Hic super pedes meos te reclinans, dormi. » Quæ statim obediens, caput super pedes ejus posuit ita ut auris ejus vulneri pedis aptaretur. Tunc audivit vulnus illud quasi ollam ferventem ebullire. Et dixit Dominus ad eam : « Quem sonum dat coquens olla ? » At illa dum cogitaret se nescire, respondit Dominus : « Olla ebulliens semper sonat ac si dicat : « Curre, curre; sic fervens et ebulliens amor Cordis mei semper instigavit me dicens : Curre, curre de labore ad laborem, de civitate ad civitatem, de prædicatione ad prædicationem ; nec unquam quiescere me permisit, donec omnia saluti tuæ necessaria ad finem usque complevi. »

Per vulnus pedis Domini audit anima sonum mirificum.

## CAPUT VIII.

### DE OSCULO DOMINI.

Contristata quadam vice per orationis subsidium solito more ad Dominum confugit, ipsi cor suum et voluntatem offerens, ita ut non solum hoc, sed etiam quæcumque pro ejus amore libenter sufferret adversa. Adquam Dominus dulciter se inclinans, os suum roseum illi præbuit osculandum. Sentiens autem anima ipsum barbam non habere, cogitare cœpit si aliquod præmium a Deo Patre pro barbæ in passione evulsione accepisset. Cui Dominus : « Ego Creator universorum non indigeo ullo præmio, sed tu es præmium meum. Te enim Pater meus cœlestis mihi in sponsam et filiam donavit. » Et anima : « Cur, amantissime Domine, hoc in me facis, cum nil boni sit in me ? » Qui respondit : « Solummodo propter meam bonitatem, quia delectamentum cordis mei posui in te. »

Anima fit præmium Christi.

## CAPUT IX.

### QUALITER EI DOMINUS APPARUIT.

Alia vice apparuit ei Dominus Jesus quasi parvulus annorum quinque. Quæ dixit : « Mi Domine, cur in tali ætate mihi appares ? » Et puer : « Tu modo quinquaginta habes annos, et ego quinque. Primus annus meus

Dominus quinquennis ipsi quinquagenariæ apparet.

stabit pro annis decem vitæ tuæ; secundus vero annus stabit pro vicesimo tuo, et tertius pro trigesimo tuo, quartus pro quadragesimo tuo, quintus autem pro quinquagesimo tuo : sicque omnia peccata tua delebuntur, et anni tui sanctificabuntur, totaque conversatio tua ex mea conversatione perfecta erit. »

Puer autem stabat manus suas sæpius respiciens ; et cum super hoc illa miraretur, puer respondit : « Sicut homo manus suas sæpius respicit, sic ab infantia mea usque ad diem passionis meæ, quotidie mortem meam in corde meo revolvebam, et omnia præcognovi quæ ventura erant super me. » Per quod instruebatur quia bonum est homini, mortem et ea quæ ventura sunt ei, sæpe memorari.

---

## CAPUT X.

### QUOD DOMINUM IN SPECIE DIACONI VIDIT.

ITEM, vidit Dominum Jesum stantem juxta altare in dalmatica, habentem in pectore crucem nimium fulgentem. Tunc illa dixit : « Mi Domine dilecte, quare sic te ostendis ? » Et ille : « Sicut, inquit, diaconus ad altare ministrat, sic ego omnia cum sacerdote et in sacerdote operor quæ ipse operatur. » Et illa : « Quid designat crux quam gestas in pectore ? » Respondit : « Superior pars crucis amorem meum designat, cui homo nil præponere debet ; inferior vero humilitatem, qua omni creaturæ homo se debet subjicere propter me ; dextra pars, timorem Dei in prosperis non postponere ; sinistra, adversa propter me patienter tolerare. Si quis hanc crucem in corde suo per jugem memo-

Dominus cum sacerdote et in sacerdote operatur.

riam gestaverit, hoc erit merces laboris ejus, quod cum primo anima ejus a corpore exierit, nusquam nisi in Corde meo mansionem habebit. »

---

## CAPUT XI.

### DE FLAGELLO DOMINI.

VIDIT aliquando Dominum stantem, aureum flagellum manu tenentem, sibique minantem. Tunc illa corruit in terra, et flagellum Domini amplexabatur. Idque dabatur intelligi quod homo cum gratitudine dona Dei suscipere debet, tam prospera quam adversa. Dominus autem elevans eam, tunica rubea eam induit plena foraminibus, dixitque illi : « Sic corpus meum in passione totum erat undique perforatum et doloribus laceratum, ut a planta pedis usque ad verticem non esset in me vestigium sanitatis. » In hoc præfigurabatur quod molestia infirmitatis eam in brevi erat oppressura.

Anima flagellum sibi minax amplexatur.

Vidit etiam Dominum aureum calicem retro se tenentem: per quod intellexit quod dulcedinem quam Deus animæ infusurus est, ista necdum videt neque gustat, sed est in Deo abscondita, a quo bona cuncta procedunt.

---

## CAPUT XII.

### QUOD IN SUA TENTATIONE FUIT CONSOLATA.

HANC Dei famulam diabolus valde ac sæpe tentationibus infestabat, sicut etiam quosque Deo devotos consuevit

molestare. Contigit itaque die quodam ut Deus suam gratiam eidem participasset, et magnum bonum animæ ejus fecisset; cum in ejus præsentia esset, affuit tentator, immittens cordi ejus timorem illum et tristitiam, quod donum illud non esset a Deo. Cum autem nimium fatigaretur, corruit ad pedes Domini Jesu, et conquerebatur infidelitatem cordis sui, dicens: « Ecce, Domine mi, hoc donum offero tibi ad æternam laudem et gloriam tuam, orans ut si donum hoc non est ex te, nunquam amplius detur mihi, quia omni dulcedine et consolatione propter te libentissime carebo. » Quam Dominus proprio vocans nomine ait: « Mi dilecta Mechtildis[1], noli timere, ego juro tibi per virtutem meæ divinitatis, quod timor et tristitia hæc te non nocebunt, sed magis sanctificabunt, et ad gratiam meam te præparabunt. Et si hæc cordis tui gaudium non temperarent, cor tuum nimia dulcedinis affluentia dissolvi oporteret. Noli mirari, si te istæ cogitationes impugnant, cum sis in mea præsentia; quia et diabolus me tentabat, cum propter te penderem in cruce. »

Tentator divinæ dulcedini timorem immiscet.

Timor per Dei gratiam in profectum animæ succedit.

---

## CAPUT XIII.

### QUALITER DEUS ANIMAM IN MŒRORE SUSTENTAT.

Alia vice, cum nimium esset turbata, ad Dominum confugit fidelissimum adjutorem. Continuo apparuit ei Christus quasi juvenculus speciosissimus, ducens eam ad

1. Codex Guelferbytanus solus hic nomen Mechtildis scriptum præbet, quod alii reticent, prima ipsius littera contenti.

altare: in quo agnovit quod Dominus prolocutor voluit esse ejus apud Patrem suum, pro negligentiis ejus et commissis. Dedit ei etiam baculum ad sustentandum, qui non habebat capitellum quo posset sustentari; baculus vero ille humanitatem Christi figurabat. Ancilla Christi mirabatur cur baculus capitello careret, et ait Dominus ad eam : « Ego volo manum meam ponere super illum, ut inde sustenteris; cum ergo solatium in mœrore dedero, scias quod in manu mea requiescis; sed cum non sentis consolationem, scias quia manum subtraxi, et tunc fideli corde mihi adhærebis. »

Dominus animæ mœrenti supponit manum.

---

## CAPUT XIV.

### DE DESIDERIO QUOD HABUIT AD CONFESSIONEM.

Die quadam volens confiteri, sed confessorem non habens, multum contristabatur eo quod corpus Domini inconfessa sumere non auderet. Tunc in oratione cœpit in amaritudine conqueri Deo summo sacerdoti negligentias et culpas suas; qui dabat ei certitudinem de remissione omnium peccatorum; de quo gratias agens dixit ad Dominum : « O dulcissime Deus, quomodo nunc est circa peccata mea ? » Qui respondit : « Sicut cum rex præpotens venturus est in aliquod hospitium, domus velociter mundatur ne aliquid ibi appareat quod oculus ejus offendat; sed cum tam prope sit quod immunditiæ non possint foras ejici, in angulum colliguntur, ut postmodum inde projiciantur : sic cum integram voluntatem et desiderium confitendi habes peccata, nec postmodum iterandi, omnia sic coram me delentur quod amplius eorum non recordabor; licet postmodum per confessionem

Confessarii defectus suppletur.

retractentur. Voluntas autem et desiderium quod habes et studium evitandi peccata in quantum potes, est quasi vinculum inseparabile quod te mihi stringit et copulat fœdere insolubilis unionis. » Sed cum adhuc variis cogitationibus hæsitaret, reputans se indignam accedere ad imperiale convivium Regis Angelorum, cogitans qualiter imparata nec confessa tam magnificum perciperet donum, insuper etiam spem et consolationem sibi ingereret, ait illi Dominus : « Cogita quod omne desiderium quod unquam aliquis ad me habuit, a me inspiratum est illi; et omnis scriptura, et Sanctorum eloquia a Spiritu meo fluxerunt et fluent sine fine. » In hoc cognovit quia et hoc desiderium quod habebat, ut sumeret corpus Christi, a Spiritu Sancto sibi est cœlitus inspiratum; acceptaque fiducia, in tantum confirmatum est cor ejus, ut sibi videretur nullo modo ab hoc desiderio revocari.

Desiderium ad Deum ab ipso est.

Cum autem sic esset confirmata, audivit choros Angelorum in cœlo cum lætitia personare : *Confirmatum est cor Virginis*[1]. Et sic accessit ad convivium excellentissimi corporis et sanguinis Christi. Tunc audivit ipsum sibi dicentem : « Vis agnoscere quomodo ego sum in anima tua ? » At illa se indignam æstimans, sed tamen nil volebat quam Dei voluntatem. Tunc vidit ex membris suis splendorem mirificum progredi tamquam solis radios; per quod agnovit divinæ gratiæ operationem in se, et bonitatis Dei erga se præcipuum indicium.

Qualiter in se anima divinæ gratiæ agnoscit operationem.

1. Responsorium in festo Circumcisionis Domini.

## CAPUT XV.

### QUOD AMOR OMNIA EJUS NEGLECTA SUPPLEVIT.

Alia vice, cum tempus sibi a Deo concessum inutiliter expensum in amaritudine cordis sui recogitaret, et dona Dei ut ingrata absque fructu consumpsisse rememoraret, dixit ad illam amor : « Ne turberis : ecce ego omnia debita tua recuperabo, et cuncta neglecta pro te supplebo. » Et cum hoc donum magnum sibi videretur, tamen non poterat inde consolari præ nimietate doloris eo quod tanta bona amisisset, et Deum amatorem suum, qui tam innumera bona ipsi contulit, tam ardenter non amasset, et tam infidelis ei exstitisset, qui sibi et omnibus semper fidelissimus est. Cui Dominus : « Si mihi perfecte fidelis es, tunc multo carius tibi sit ut amor meus neglecta tua pro te suppleat, quam tu, ut ipse ex hoc laudem habeat et honorem. »

Melius est animæ ut ejus infidelitates amor suppleat.

## CAPUT XVI.

### QUOD EI DOMINUS AMOREM IN MATREM DONAVIT.

Alia vice, circumdedit eam amor vestimento solaris luminis, et accesserunt ambo, videlicet amor et anima, et stabant in Christi præsentia, tamquam virgines pulcherrimæ. Anima vero multum affectabat propius accedere, quia quamvis illam imperialem faciem contemplaretur, non tamen illi sufficiebat. De quo dum miraretur, essetque in magno

Amor animam ad Cor divinum ducit.

desiderio, innuit ei Dominus manu. Tunc amor assumens animam duxit ad Dominum; illa vero reclinavit se ad vulnus melliflui Cordis Salvatoris sui unici, hauriens inde pocula omnis dulcoris et suavitatis plenissima, ibique omnis amaritudo ejus versa est in dulcedinem, et timor ejus mutatus est in securitatem. Ibi etiam de Corde Christi suavissimo esuxit fructum dulcissimum, quem assumens de Corde Dei in os suum posuit : per quod significabatur illa æterna laus, quæ de corde Dei procedit ; quia omnis laus qua ipse laudatur, effluit ab illo qui est purus etiam fons omnis boni. Deinde alium assumpsit fructum, scilicet gratiarum actionem ; quia nihil potest anima a seipsa nisi præveniatur a Deo.

Omnis laus Dei a Corde divino.

Et Dominus ad eam : « Adhuc præ omnibus unum a te fructum desidero. » Cui anima : « O mi dilectissime Deus, et quis est hic fructus ? » Et Dominus : « Ut omne cordis tui delectamentum in me solum effundas. » Tunc illa : « O amator unice, quomodo hoc possum facere ? » Qui respondit : « Amor meus in te perficiet. » Tunc illa ex nimio affectu gratitudinis dixit : « Eia, eia : Amor, amor, amor ! » Et Dominus : « Tu matrem tuam nominabas MINNE [1], et amor meus erit mater tua ; et sicut filii sugunt matres suas, sic et tu ab ea suges internam consolationem [2], suavitatem inenarrabilem, et illa te cibabit et potabit ac vestiet, et omnibus necessitatibus tuis, velut mater filiam suam unicam, te procurabit. »

Qualiter ad amorem clamat Mechtildis.

1. Quod interpretatur *amor*.

2. Verbum quod magnas quæstiones circa librum *De Imitatione Christi* excitabit.

## CAPUT XVII.

### QUALITER UNUM CUM DILECTO EST EFFECTA, ET DE AMORE.

ITEM cum in oratione, ferventi corde, dilectum animæ suæ desideraret, subito divina virtus animam ejus in tantum sibi attraxit, ut videretur sibi ad latus Domini consedere. Dominus vero animam Cordi suo per dulcem amplexum imprimens, tam abunde sua gratia eam perfudit et replevit, ut sibi videretur de omnibus membris suis tamquam rivulos effluere in omnes Sanctos, ita ut omnes novo et speciali gaudio perfusi, corda sua velut lampades perlucidas in manibus tenerent, repletas dono illo, quod Deus animæ infuderat, et cum magna gratitudine et lætitia Domino pro anima illa gratias referebant.

Deinde vidit in corde Dei quasi virginem pulcherrimam habentem annulum in manu, in quo erat lapis adamas cum quo sine intermissione cor Dei tangebat. Anima vero interrogabat virginem cur sic cor Dei tangeret; quæ respondit: « Ego sum amor divinus, et hic lapis Adæ culpam designat: et sicut adamas absque sanguine frangi non potest, sic Adæ culpa sine humanitate et sanguine Christi dissolvi non poterat. Statim enim ut Adam peccavit, ego me intromisi, et culpam illam totam intercepi; sicque cor Dei incessanter tangendo et ad pietatem movendo, ipsum quiescere non permisi, donec in momento Filium Dei de corde Patris in sinum deposui Virginis Matris. Quæ dum montana conscenderet ut Elizabeth salutaret, beatus Joannes tanto gaudio in utero matris ad Christi præsentiam est repletus, ut nunquam de cætero terreno gaudio posset exultare. Deinde

Statim ut Adam peccavit, amor se intromisit cor Dei tangens.

Filium Dei in præsepio pannis involutum reclinavi; exhinc in Ægyptum deduxi; post hæc ad omnia quæ pro homine fecit et sustinuit, ipsum inclinavi, donec patibulo Crucis eum affixi, ubi omnem iram Patris mitigavi, et hominem Deo amoris fœdere indissolubili copulavi. »

Et anima: « Dic, quæso, quid in omnibus quæ pro nobis pertulit Christus, maxime doluit? » Amor respondit: « Quod in Cruce extentus fuit, ita ut omnia membra ejus divaricari possent. Quicumque pro hoc dolore illi gratias egerit, ita gratum ei obsequium præstat, ac si omnia vulnera ejus unguento suavissimo deliniret. Si quis etiam pro siti qua in Cruce hominum sitiebat salutem gratias egerit, ac si ejus sitim refrigeret acceptabit. Qui vero illi gratias agit, quod clavis confixus in Cruce pependit, tam gratum illi erit ac si eum de Cruce et omnibus pœnis solveret. »

Dolentis in cruce Christi pia recordatio.

Dixitque iterum amor ad animam: « Intra in gaudium Domini tui. » In hoc verbo totaliter in Deum rapta est, ut sicut aquæ stilla infusa vino, tota mutatur in vinum, ita hæc beata in Deum transiens, unus cum eo spiritus est effecta. In hac unione anima in se annihilabatur; sed Deus eam confortans ait illi: « Omnia quæ unquam homo capere potest tibi infundam, et in quantum homini possibile est, dona mea in te multiplicabo. » Et ait amor: « Hic quiesce pausans in Corde dilectoris tui, ne inquieteris in prosperis; ibi quiesce in rememoratione beneficiorum dilecti tui, ne unquam inquieteris adversis. »

Amor animam quiescere jubet in Corde dilectoris.

## CAPUT XVIII.

### QUOD DEUS ANIMAM SUIS VIRTUTIBUS DECORAVIT.

QUADAM die, dum cantaretur Psalmus *Laudate Dominum de cœlis*, in verbo illo : *et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (PSAL. CXLVIII. 4.) dixit ad Dominum : « O Domine, quæ sunt aquæ illæ de quibus hoc canitur ? quia scio te ab omnibus guttis aquarum, in teipso speciali modo laudari? » Cui Dominus: « Omnium lacrymæ Sanctorum, quas unquam ex amore sive devotione, sive compassione, sive contritione effuderunt. » Et statim vidit aquam limpidissimam, designantem lacrymas Beatorum, cujus fundus erat ex auro purissimo, habens pro arena margaritas et gemmas pretiosas, designantes diversas Sanctorum virtutes, in quibus se in terris exercuerant : scilicet in orationibus, vigiliis, jejuniis et aliis operibus virtuosis. Erat etiam multitudo piscium in illa aqua ludentium et se agitantium ; per quod significabantur desideria quæ animam ad Deum agitant, et suspiria, et planctus quibus anima Deum allicit ad se. Sancti enim in cœlo virtutes suas et quælibet bona opera sua in Deo contemplantur, ad augmentum gaudiorum et delectamentum cordis eorum, licet suis virtutibus quilibet in seipso decoretur.

Aquæ cœlorum lacrymæ Sanctorum.

Post hæc Domino conquesta est quod diem desponsationis suæ tam devote non celebrasset, nec tanta fidelitate sibi adhæsisset ut sponsam sponso unico decuisset. Tunc induit eam Dominus veste virtutum suarum perfectissimarum, imponens capiti ejus diadema aureum ; strinxit eam amplexibus intimæ charitatis, et brachio nudo circumdedit eam. Cum

Desponsationis animæ celebratio.

vero anima miraretur cur ita faceret, dixit illi Dominus : « Quia inter me et te nulla est omnino obscuritas, et omnium mysteriorum meorum te nihil celabo. » Vidit etiam millia millium Angelorum cum reverentia stantium ante Regem suum ; et ait Dominus ad animam : « Ecce hos omnes tibi do ut tibi famulentur. » At illa desiderabat ut omne ministerium quod sibi impenderent, ad laudem et gloriam exhiberent sui unici amatoris. Statim ergo vidit de singulis Angelorum cordibus tubas procedere ad Cor Dei, et ita dulcem canticum personare, ut nullus valeat enarrare.

Anima in Cor divinum recipitur.

Post hæc Cor Dei aperiebat se, et ipse intraxit eam, concludens eam in seipso, ita dicens ei : » Superior pars Cordis mei erit tibi suavitas divini Spiritus, qui jugiter in animam tuam stillabit, ad quam anhelanti desiderio oculos eleves et os aperias, attrahendo divinæ dulcedinem gratiæ, sicut dicitur in psalmo : *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (Psal. cxviii. 131.) In inferiori parte, invenies thesaurum omnium bonorum, et desiderabilium copiam supereffluentem. In parte orientali reperies lumen veræ cognitionis, ad intelligendam atque perficiendam omnem meam voluntatem. In australi parte, videbis paradisum æternarum deliciarum, et ibi semper mecum eris in mensa. » Et statim vidit mensam positam, et mensale candidissimum suppositum : per mensam significabatur largitas, per mensale pietas. Ad hanc mensam Dominus sedebat, et anima cum lætitia ministrabat ; et multa fercula, scilicet diversa dona Dei, ipsi proponebat. Quoties enim gratiarum actiones divinæ retulit largitati, pro singulis donis et innumeris beneficiis suis, toties ei fercula apponebat. Dixitque ad Dominum : « Quid, dilecte mi, tibi propino, cum pro amicis tuis oro ? » Qui respondit : Vinum mihi propinas nobilissimum quod lætificet cor meum, sicut scriptum est : *Vinum lætificat cor hominis.* (Ps. ciii. 16.) Et illa : « Quid tibi propino cum pro peccatoribus oravero ? »

Domino assidens anima diversa vina propinat.

Respondit : « Merum mihi propinas dulcissimum, superans mel et favum, cum pro meis oras inimicis, qui sunt in statu damnationis, ut ad me convertantur. » Et anima : « Quid vero tibi propino, cum pro animabus oro? » Respondit: « Vinum quod etiam jucundum facit cor meum, cum oras pro his qui in mea sunt benevolentia, ut citius a pœnis eruantur. »

Tunc anima : « O amantissime, quam ferventi desiderio nunc cor meum tibi offerre cupio. » Qui statim accipiens cor ejus in manus suas, odoratus est ad illud tamquam ad rosam suaviter redolentem. Cui anima: « Quid fragras in eo in quo nil est boni? » Et Dominus : « Cum ego sum in anima tua, meiipsius suavitas redolet in te. » Post hæc dixit ad illam : « In occidentali parte est longitudo dierum, pax æterna, et gaudium sine fine mansurum. In parte aquilonis recipies æternam securitatem contra omnes adversarios tuos, quod nullus adversum te amplius prævalebit. »

Dominus cor animæ tamquam rosam odoratur.

---

## CAPUT XIX.

### QUOD EAM DOMINUS SEIPSO SEPELIVIT IN DIE PARASCEVES.

Item in quodam Parasceve dum sacerdotes Crucem solito sepelirent, devota hæc Virgo ait ad Dominum : « O animæ meæ præcordialis dilecte, utinam nunc anima mea esset eburnea, ut te in ea decentissime sepelirem ! » Cui Dominus versa vice respondit : « Et ego te in me sepeliam ; eroque supra te spes et gaudium, elevans te, intra te vita vivificans et sagina lætificans et impinguans animam tuam. Retro te ero desiderium propellens te ; ante te vero amor alliciens et demulcens animam tuam. A dextris tuis ero laus

Dominus seipso involvit animam.

perficiens omnia opera tua ; a sinistris vero, reclinatorium aureum, sustentans in tribulationibus ; infra te quoque firmamentum, tenens animam tuam. »

QUALITER EI DOMINUS DEDIT COR SUUM IN PIGNUS ÆTERNÆ VITÆ.

FERIA deinde quarta post Pascha, cum imponeret Missam, *Venite benedicti Patris mei*, ineffabili et inusitata quodam replebatur lætitia, dixitque ad Dominum : « O si una essem de his nimium benedictis, qui hanc tuam dulcissimam audituri sunt vocem ! » Ad quam Dominus respondit : « Etiam pro certo scias [1], daboque tibi Cor meum in pignus quod tecum semper habeas, et in die illa cum hoc desiderium tuum complevero, in testimonium mihi illud resignes. Do etiam tibi Cor meum in domum refugii, ut in hora defunctionis tuæ nulla via præterquam in Cor meum perpetuo pausatura declines. »

Hoc donum unum ex primitiis donorum Dei erat ; cœpitque ex hinc nimiam devotionem circa divinum Cor Jesu Christi affici, et fere quotiescumque Dominus sibi apparebat, aliquod speciale donum a Corde ejus accipiebat, sicut in hoc libro multis patet in locis. Sic etiam ipsamet dicere solebat : « Si omnia scribi deberent quæ a benignissimo Dei Corde mihi collata sunt bona, matutinalis libri excederent quantitatem. »

1. Cf. *Legatus*. Lib. V. 4. et hujus *Libri specialis gratiæ* part. VIII.

## CAPUT XX.

### QUALITER CHRISTUS PRO EA LAUDES DEO PATRI PERSOLVIT.

Die quadam cum post susceptionem sacratissimi corporis Christi gratias Deo pangeret, ac ipsum Dei Filium Jesum, amantis animæ sponsum floridum exoraret, ut ipse pro tanto et tam inæstimabili dono in se sibi collato, laudes amatorias Deo Patri persolvere dignaretur, vidit ipsum protinus Patri cœlesti reverenter adstantem, et his verbis illum dignissime extollentem :

*Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis,*
*Et mortalis homo, et cuncta creata simul*[1].

Unde per hæc verba, *cœtus in excelsis*, intellexit Dominum intrahere sibi concordiam universæ laudis cœlestium; per illud vero, *et mortalis homo,* simul in se counire omnium mortalium intentionem; ac per illud, *cuncta creata simul,* totius creaturæ essentiam etiam in seipso ad laudem Dei Patris coadunare, atque sic ex parte omnium cœlestium, terrestrium, et infernorum pro ipsa laudem in conspectu Dei Patris personare.

Omnem creaturam in se Christus concludit.

Dehinc ipsa innixa supra pectus dilecti sui, audivit in intimis divini Cordis quasi tres pulsus sonantes[2]. Quod dum illa multum admirans, scire cuperet quid per tales pulsus notaretur, Dominus respondit : « Tres isti pulsus tria denotant verba quibus animam alloquor amantem : primus itaque, est *veni,* scilicet secedendo ab omnibus creaturis; secundus est,

1. Ex hymno *Gloria laus* in Processione diei Palmarum.
2. Cf. part. I. c. 10. et part. V. cap. ultimum.

Cor divinum thalamus animæ.

*intra*, videlicet fidenter tamquam sponsa; tertius est, *thalamum*, id est, Cor divinum. » Per hæc verba intellexit quod Deus primo evocat quemlibet electum ab omni creatura, ita ut omnibus delectamentis, quæ in aliqua potest invenire creatura, libera et plena voluntate abrenuntians, ipsi soli Domino Deo suo devotione tota vacet. Dehinc Dominus suadet confidentiam, ut scilicet electus, tamquam sponsa quæ nuliam omnino veretur repulsam, fiducialiter semper accedat, et intret thalamum Cordis sui divini, in quo abundat et superbundat copia totius delectationis et beatitudinis, quam nunquam cor poterit humanum exoptare.

Quæ sit vox Filii Dei.

Tunc illa vehementi desiderio desiderabat ut aliquem sonum sive modum mereretur percipere vocis Filii Dei, suavi sono quo intonare solet laudes Deo Patri. Cui Dominus: « Vox mea nihil adhuc est nisi tantum: *fiat;* id est, prævalentia divinæ voluntatis meæ. Nam cœlum, terram, maria et omnia quæ in eis sunt, solo verbo illo creavi, sicut Scriptura testatur, dicens: *Fiat lux, fiat firmamentum*, etc. Quia omnia quæ in cœlo et in terra sunt, sola divina voluntate mea reguntur, et omnis Sanctorum laus, gaudium et beatitudo, solo nutu meo incitantur. »

---

## CAPUT XXI.

### QUOD COR DOMINI IN SIMILITUDINE LAMPADIS SIBI VISUM EST.

In Missa quadam, dum cogitationibus diversis impedientibus, fruitione divina frustraretur, mediatricem Dei et hominum, Virginem Mariam, exorabat ut sibi præsentiam Filii sui dilecti obtineret. Cujus interventu, ut credimus, conspexit Regem gloriæ, Dominum Jesum, in solio subli-

mato ac crystallina, puritate perspicuo residentem. Ex cujus solii anterioribus partibus duo rivuli eximiæ puritatis, aspectu delectabiles, progrediebantur [1]; quos intellexit esse gratiam remissionis peccatorum. ac spiritualis consolationis, quæ in Missa cuilibet, ex virtute divinæ Providentiæ, specialius et facilius largiuntur.

Duo rivi e solio Dei profluentes unus remissionis, alter consolationis.

Circa vero oblationem hostiæ benedictæ, exsurgens Dominus a solio illo, videbatur Cor suum suavissimum, instar lampadis perlucidæ, plenissimæ et superabundantis, propriis manibus elevare. Quæ lampas ex omni parte circaque tanto impetu effluebat, quod magnæ guttæ ex ipsa supereffluxione resaliebant; nec tamen plenitudo lampadis aliquatenus imminui videbatur. Per quod intelligi dabatur quod quamvis de plenitudine Cordis Christi omnibus sufficientissime gratiæ ministrentur, secundum cujuslibet capacitatem, tamen in seipso abundantissime redundat omni beatitudine, nec aliqua unquam parte patitur detrimentum. Vidit insuper corda omnium præsentium, quasi funiculis quibusdam in specie lampadum, Cordi Dominico annexa; quorum quædam erecta et quasi oleo plena videbantur ardere; quædam vero quasi vacua dependebant circumversa. Unde intellexit per lampades ardentes et erectas, illorum designari corda qui cum devotione et desiderio Missæ interessent; et per lampades vero dependentes, eorum corda qui negligebant per devotionem elevari.

Cor Christi ut lampas super-effluens.

Tunc illa magno exoptabat desiderio, ut cor suum divino Cordi totaliter infunderetur. Et statim cognovit illud quasi de medio aliorum elevari, et in similitudine piscis unius immergi Cordi divino. Cumque illa supplici devotione a Domino rogaret edoceri quali modo cor suum sibi immer-

1. His duobus rivulis alludere per flumina duo Lethe et Eunoe *Dante* videtur, *Purgatorio*. c. XXXIII.

Cor Mechtildis in Cor Christi mergitur.

sum disponere deberet, ut semper in unione illa beata quam susceperat, permaneret; vidit protinus Cor divinum quasi mutatum esse in domum magnam aurei coloris, et Dominum in medio Cordis sui ipsius, velut in domo speciosa ac deliciosa deambulantem. Quod illa admirans, et qualiter hoc fieri posset apud se pertractans, intellexit Dominum sibi dicentem: « Nonne recolis illud psalmi: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ?* (Psal. c. 2.) Et quis est qui possit præter me, quia nemo innocens ex seipso nisi ego solus? »

In charitate opera revirescunt.

Conspexit etiam in ipsa domo quatuor virgines pulcherrimas, quas agnovit esse virtutes: scilicet, humilitatem, patientiam, mansuetudinem et charitatem, quæ cæteras elegantia sua præcellens vestitu viridi præfulgebat. Quam illa videns, et recolens etiam cuidam alii personæ beatæ memoriæ charitatem similiter in viridi amictu demonstratam, admirans requisivit a Domino quamobrem charitas crebrius in viridi appareret. Ad quod tale responsum a Domino accepit: « Quoniam charitas multos aridos truncos, scilicet peccatores, virtute sua facit revirescere, et ad fructum bonorum operum reflorescere, ergo justissime in viridi demonstratur. » Et adjecit Dominus: « Harum virginum familiaritatibus te aptare studeas et amicitiis, si desideras in hac domo mecum manere, et præsentiæ meæ fruitionem habere; verbi gratia, cum vanitas cor tuum dissolvit, recole virtutem charitatis illius quæ me de accubitu paterni sinus utero virginali inclinavit, et vilibus panniculis involutum in præsepe reclinavit, multos labores in prædicando perferre coegit, et postremo amarissima et turpissima morte interemit. Talium recordatio omnem vanitatem a corde tuo penitus removebit. Similiter cum te superbia infestat, memorare humilitatis meæ, qua nunquam vel in minimo, cogitatu, verbo seu gestu aut opere superbivi, sed exemplum perfectissimæ humilitatis in omni-

bus factis meis exhibui : et sic vincas superbiam humilitate. Cum vero impatientia te infestat, memento patientiæ meæ, quam habui in paupertate, in fame, in siti, in discurrendo, in injuriis, in contumeliis et maxime in morte. Et similiter cum infestaris ira, recordare mansuetudinis meæ, qua cum his qui oderunt pacem eram pacificus et mansuetus, in tantum quod etiam crucifixoribus meis, qui cum tot crudelitatum genera in me exercuissent quod nihil superaddere amplius possent, adhuc præ nimio furore strindebant super me dentibus, cum tanta cordis dulcedine veniam impetrans, Patrem eis placavi, ac si nunquam mihi contrarii exstitissent. Et sic poteris cuncta vitia virtutibus superare. »

Charitas, humilitas, patientia, mansuetudo Christi.

---

## CAPUT XXII.

### DE RUBO ET VIRGA JUSTITIÆ ET DE IX CHORIS ANGELORUM.

Cum piæ memoriæ Dominus B. Comes junior [1] obiisset, et Congregatio ejus funeri processionaliter obviaret, hæc Dei ancilla videns campi planitiem et amplitudinem, multum sibi complacuit. Postea nocte quadam dum dormire non posset, et tamen surgere ad orationem præ sua infirmitate nequiret, apparuit ei Dominus in veste candida, sedens ante lectum ipsius ; super variis tribulationibus et infirmitatibus suis eam dulciter consolabatur. At illa dixit ad Dominum : « Eia Domine mi, utinam liceret mihi, per talis campi qualis

Campi planities juxta Helftam Mechtildem multum delectat.

1. Cf. Part. V. c. 11. Hic videtur fuisse Burchardus XII de Manseld, qui anno 1294 præmatura morte quidem sublatus fuit, postquam monasterio 29 jugera nemoris legasset. *Franken*, pp. 59 et 223.

nuper transivi planitiem, tecum deambulare! » Cui Dominus respondit : « Nescis quid hoc sit quod vulgariter dicitur : silva habet aures, et campus oculos ? » Et adjecit : « Hoc est silvam habere aures, scilicet si duo sederint in rubo invicem colloquentes, alii circumeuntes audire possunt. » Et statim visus est ei rubus speciosissimus, qui totus creverat ex virgis novellis in altum directis, miræ proceritatis et pulchritudinis. In hoc rubo Dominus cum anima sedebat ; novellæ autem illæ de quibus excreverat rubus, Dei erant virtutes : scilicet, sapientia, benignitas, justitia, misericordia, charitas, et cæteræ virtutes Domini naturales; quæ sicut oliva semper miro modo virent ac florent, et nova producunt.

Silva habet aures et campus oculos.

Anima vero amplexata est virgam justitiæ, dicens ad Dominum : « Hanc virgam me modo complecti cum gratitudine convenit ; quia tribulationibus et pœnis me replens, per ipsam me exerces. » Et ecce vidit quod virga illa ipse Deus erat, quem anima amplexibus suis strictum tenebat. Cœpitque his verbis ipsum laudare : « Laudo te petram justitiæ ; laudo te solem justitiæ ; laudo te decorem justitiæ, » etc. Fluvius autem de Corde Dei egrediebatur, qui animam illam influens, omnia membra ejus penetravit, et ad plenum depurans omnem tristitiam quam ante habuerat ab ea penitus effugavit. Et ait Dominus: « Ecce rubus de quo Scriptura dicit : *Emissiones tuæ Paradisus.* » (Cant. iv. 13.) Circa rubum vero omnes Angeli stabant, ita ut quilibet chorus rubum illum circumgyraret in modum novem circulorum.

Deus est ipse virga justitiæ quam anima complectitur

Et dixit Dominus ad animam : « Ecce quod Scriptura dicit : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant.* » (Cant. viii. 13.) Anima autem divinitus inspirata, intellexit qualiter omnes Angeli homini justo, ad omnia quæ agit bona, sunt ministrantes. Cum ergo homo psalmos, aut aliquam divinam scripturam legerit, seu aliud bonum opus peregerit, Angeli sunt illi servientes. Cum vero in oratione loquitur cum Deo, aut

Dei verbum audit, vel de Deo loquitur, Archangeli ipsi ministrant. Si autem de virtutibus Dei cogitans, extollit eas, scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, longanimitatem et charitatem, et in quantum potest se in virtutibus conformare studet, obsequuntur illi Virtutes. Cum autem homo ex recordatione ineffabilis et excellentissimæ divinitatis, Deum tremit, et in omni humilitate Deo subjicit, ministrant illi Potestates. Sed cum extollit in corde suo nobilitatem et eminentiam deitatis, cogitando qualiter infinita majestas dignata est hominem condere ad imaginem et similitudinem suam, et quanta pro homine fecit et pertulit, et ob reverentiam qua Deus hominem diligit, et reverenter etiam diligit omnem hominem, serviunt illi Principatus. Sed cum homo inclinationibus, genuflexionibus et veniis Deum adorat, Dominationes ei famulantur. Si vero in tranquillitate cordis de Deo meditatur, Throni sunt illi obsequentes. Si autem in cognitione Dei illuminatur, et in contemplatione ad speculanda Dei mysteria elevatur, Cherubim ei famulantur. Sed cum anima de Corde Dei trahens amorem ignitum, et Deum cum suimetipsius amore diligit, et omnem hominem in Deo et propter Deum amat, Seraphim ei ministrant.

Varia Angelorum erga animam ministeria.

Post hæc dixit ei Dominus : « Vis scire quid sit campum habere oculos ? Ubi duo in plano deambulant campo, de longe se intueri possunt. Si enim duo invicem dilecti se mutuo a longe conspexerint in plana via, citius conveniunt. Cum enim cervus et cerva in campo se per longa spatia respexerint, quanto citius concurrunt. Sic anima amans et me desiderans, uno gemitu me dicto citius sibi intrahit. In campo etiam viatores et peregrini refici solent ; sic ego, cum anima illa quæ se in hoc mundo peregrinam facit, et cor spatiosum et exoccupatum a terrenis et omni impedimento habet, hanc sæpius soleo convivare. In campo etiam solent

Pars secunda proverbii explicatur.

homines carpere flores ; ita in anima sancta varia desideria, quibus sicut campus floridus decoratur, ego libens carpo, faciens inde sertum quod capiti meo impono, donec anima per seipsam ad me veniat, et tunc illud sibi reddo. »

Tunc dixit ad Dominum : « Mi Domine, quid in hoc deliqui cum me circumspiciendo, sic in spatiositate campi delectabar? » Respondit : « Contra obedientiam fecisti, et mihi non intendisti ; insuper pro anima defuncti orare neglexisti. » Et illa : « Doce me, amantissime, qualiter de cætero si exire contigit, faciamus? » Qui respondit : « Dum primo a choro exitis, legite illum versum : *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* (Psal. lxxxv. 11.) Sicque in timore meo exeatis, accipientes me in socium itineris, quasi baculum unde sustentemini. Et sic egredientes, domos et ipsam viam omniaque vobis occurrentia, tunc dextera mea benedicatis, eruntque ex hoc benedicta. Cum enim homo vanam habuerit lætitiam, semper cor ejus postmodum aggravatur; qui vero timorem meum habuerit, non contristabitur, sed veram lætitiam obtinebit. Dehinc cum funeri appropinquatis, recolere potestis processionem illam, qua in die judicii omnes resurgendo cum corporibus suis mihi occurrent, egoque cum ineffabili gloria et majestate, stipatus omni Angelorum et Sanctorum multitudine, illis obviabo. Orabitis etiam pro anima defuncti, ut si in pœnis est, citius absolvatur; si autem impedimento aliquo a me removetur, ab hoc liberetur, mihi Sanctisque meis citius conjungatur, et fiat dignus glorificationis futuræ, ut cum lætitia et gloria in die illa tremenda mihi præsentetur. »

Quid sit agendum cum sit necesse e monasterio egredi.

Cum funeri adsumus, judicii conventum rememoremus.

## CAPUT XXIII.

### DE COQUINA DOMINI.

Cum quadam vice donum quoddam permagnificum accepisset ex divina liberalitate Domini, recognoscens vilitatem propriam, dixit cum humili subjectione sui: « O Rex munificentissime, nequaquam hoc tantæ excellentiæ tuæ donum condecet me, quæ indignam me reputo etiam ut immittar coquinæ tuæ ad abluendas scutellas tuas. » Cui Dominus benigne respondit: « Quæ est coquina mea, et quæ sunt scutellæ meæ, quas velles abluere? » Ad quod illa convicta respondere nesciens conticuit. Tunc Dominus, qui nonnunquam quæstionem movere solet, non ut expediatur, sed ut expediat, hoc eam responso simul et visione lætificavit. Ait enim : « Coquina mea est Cor meum deificum, quod in modum coquinæ, quæ domus est communis et pervia omnibus tam servis quam liberis, semper patens est omnibus, et promptum ad cujuslibet delectamentum. Hujus coquinæ coquus est Spiritus Sanctus, cujus inæstimabilis suavitas illud sine intermissione abundantissima liberalitate infundit, et replet, replendoque facit abundare. Scutellæ meæ sunt corda omnium Sanctorum et electorum meorum, quæ ex superaffluentia divini Cordis mei continue mirabili suavitate infunduntur. »

Cor divinum quasi Domini coquina.

Et ecce vidit beatam Virginem proxime Deo adstantem, cum omni multitudine Angelorum et Sanctorum. Qui Angeli corda sua in modum aureorum discorum quasi de pectore suo Domino Regi suo præsentabant ad influendum. Quæ singula torrens deificæ voluptatis egrediens a profluvio

Quid de cordibus Mariæ, Angelorum fiat, atque Sanctorum.

divini Cordis copiosissima videbatur supereffluentia influere, quæ rursus influentia de corde Sanctorum reinfluens cum mira gratitudine Cor Dominicum repetebat. Tunc ait Dominus ad eam : « Accede nunc primo ad Cor purissimum virgineæ Matris meæ, unde abluere studeas, scilicet per gratiarum actionem, in ea extollendo fidelitatem illam dignissimam qua præ omni creatura, in omnibus operibus suis mihi firmissime imo inseparabiliter erat conglutinata. Et ipsam loturam tibi imbibe per desiderium et studium imitationis. Similiter facias de singulorum Sanctorum cordibus, semper eorum virtutes devote extollendo, et pro posse tuo humiliter imitando; sic poteris eorum consortium in gloria feliciter adipisci. »

---

## CAPUT XXIV.

### QUOD ANIMA IN CORDE DOMINI NIDIFICAT.

Alia vice, post Communionem sanctam, dixit ad eam Dominus : « Egoin te et tu in me, in omnipotentia mea sicut piscis in aqua. » Et illa : « O mi Domine, pisces sæpe de aqua trahuntur rete, et quid si mihi ita contigerit ? » Cui Dominus : « Non poteris extrahi a me, sed nidificabis in Corde meo divino. » Et illa : « Quid erit nidus meus ? » Respondit Dominus : « Humilitas in omni dono et gratia tibi a me collata : semper in abyssum veræ humilitatis te immerge. » Et anima : « Pisces in aqua fructificant, et quid erit meus fructus ? » Cui Dominus : « Quando me cœlesti Patri offers in gaudium et gloriam omnibus Sanctis, tunc eorum gaudia et merita sic augmentantur, ac si ipsi

Quando Filius offertur Patri in honorem Sanctorum, eorum crescunt gaudia.

corporaliter me susceperint in terris, et hic est fructus tuus. » Tunc anima cogitare cœpit quomodo hoc in Patriarchis et Prophetis fieri posset, quia in terris corpus Christi non sumpsissent. Et Dominus : « Quod Apostoli habuerunt in re, hoc Patriarchæ et Prophetæ tenuerunt per fidem et spem ; et ideo ipsorum tam veraciter est sicut Apostolorum. »

---

## CAPUT XXV.

### DE CRUCE ET SERICA VESTE DOMINI.

RAPTA quandoque in spiritu, vidit se in domo quadam miræ pulchritudinis existentem, quam bene Cor Christi esse recognovit, eo quod toties illud simili modo intraverat, ut supra scriptum est. Et procidens in terra, invenit crucem magnam in ipso pavimento, supra quam anima corruebat. Et ecce de medio crucis aureum jaculum acutum exibat, et ipsam animam pertransibat [1]. Et audivit Dominum sibi dicentem : « Omnis terrena substantia unam animam lætificare non posset; sed tota ejus salus summaque gloria in pœnis et tribulatione consistit. » Anima vero multum cœpit tristari et anxiari, eo quod unice sibi dilectum licet audiret, minime tamen videret. Cumque magno desiderio ipsum exquireret, apparuit ei continuo, stans ante ipsam, in veste

Transfixio animæ per jaculum e cruce.

1. Quod memoratur de S. Theresia, scilicet illam ab Angelo, qui Christus ipse erat, fuisse cuspide amoris spirituali transfixam, jam in S. Gertrudi factum esse in ejus Libro, lib II. c. 5. et lib. V. c. 25. legimus. Nunc idem occurrit in beata Mechtilde; quod quidem in perfectione illarum quamdam testatur fuisse similitudinem ac cognationem.

serica et rubea; et apprehendens manum ejus ipsam dulcissime est allocutus. Anima autem sentiens nimiam mollitiem et lenitatem vestimenti ejus, cogitare cœpit quid per hoc designari posset. Cui Dominus respondit: « Sicut serica vestis lenis est et mollis, sic omnis pœna et tribulatio animæ Deum vere amanti est suavis. » Et anima: « Hoc in principio pœnæ ita est, cum in affectu nimio animæ ipsam attigerit; sed cum pœna invaluerit, valde gravius illi erit. » Ad quod Dominus: « Verum est; sed sicut serica vestis cum auro et lapidibus pretiosis ornatur, nequaquam propter gravedinem projicitur aut detestatur, sed ex hoc nobilitatur et carior habetur; ita fidelis anima propter pœnæ acerbitatem ipsam non recusabit, quia omnes virtutes ejus ex hoc nobilitantur, et omne meritum ejus exinde in infinitum cumulatur. »

Omnis tribulatio animæ Deum vere amanti est suavis.

Hæc visio erat præsagium futuræ infirmitatis qua postea in brevi fuit correpta; scilicet in Adventu Domini, quem semper cum maxima devotione et desiderii sancti fervore pangere solebat. Tunc acri dolore tenebatur, sed tamen hoc maxime dolebat, quod nec chorum intrare, nec devotioni solitæ poterat intendere.

---

## CAPUT XXVI.

### DE MULTIPLICI EJUS PŒNA.

Secundum multitudinem consolationis et dulcedinis Dei in anima diligentis se, etiam dolores et infirmitates ipsius multiplicat, sicut in hac fideli anima sæpius experimur. Nam vice quadam, amplius quam per mensem, gravissima capitis infirmitate laborabat, ex qua nec somnum nec etiam requiem

aliquam habere poterat. Insuper omnem gratiam et dulcedinem assuetam, Deique visitationem amiserat, ita ut flebiliter sæpe querularetur, quod nec dulcem de Deo habere posset cogitationem, ac per hoc in tantam devenit tristitiam, ut quandoque miserabiliter post Deum amatorem suum clamaret, quod per totam domum sonus audiebatur. Sed cum in hac desolatione plus quam septem dies mansisset, benignissimus Dominus, qui semper juxta est his qui tribulato sunt corde, tam affluenti consolatione et dulcedine ipsam perfudit, ut sæpe a Matutinis usque ad Primam, et a Prima usque ad Nonam, clausis oculis velut mortua, in Dei fruitione jaceret. In quo spatio piissimus Dominus mira secretorum suorum illi revelabat, ac dulcedine suæ præsentiæ in tantum lætificabat, ut velut ebria ultra se continere non valens, internam illam gratiam quam ante tot annos celaverat, etiam hospitibus et alienis effunderet; unde plurimi legationem suam ipsi ad Deum committebant; quibus singulis, prout Dominus sibi dignabatur ostendere, desideria cordis eorum intimabat, ac per hoc plurimum lætificati Deo gratias retulerunt.

In morbo gravi Mechtildis primum sua dona manifestat.

In hac etiam infirmitate sua dulcissimam sororem suam, scilicet venerabilis memoriæ Domnam Abbatissam, Dominus sibi per mortis substractionem abstulit; sed sicut ipsa fatebatur, hanc et omnem desolationem suam, in infinitum ipsi Dominus recompensavit, ita ut quoties vellet, animam ejus videret, et singula ejus merita agnosceret [1]. Sed cum adhuc conquereretur, quod ex dolore capitis somnum amisisset, homines eam ex infirmitate errare dicebant, quia putabant eam nil aliud agere quam dormire. Familiaris autem sua cum eam interrogaret, quid tunc ageret cum sic clausis

Sororem suam Gertrudem abbatissam per mortem amittit.

1. Cf. Lib. VI. integrum. Illum gravem orbum anno 1291 Mechtildis experta est.

oculis immobilis jaceret, illa respondit : « Anima mea in divina fruitione deliciatur , natans in divinitate sicut piscis in aqua aut avis in aere ; nullaque differentia est inter illam, qua Sancti jam Deo fruuntur et animæ meæ unionem, excepto quod illi in gaudio, ego vero in pœnis. »

His diebus igitur infirmitatis suæ cum tempus Quadragesimæ advenisset, et illa cum Domino in deserto manere spiritualiter decrevisset, nocte quadam, cum sibi videretur se cum Domino esse in deserto, interrogabat eum ubi nocte prima vellet manere. Cui Dominus ostendens arborem miræ pulchritudinis, sed cavam, quæ dicebatur arbor humilitatis, dixit : « Hic pernoctabo. » His dictis, Dominus concavum arboris intravit. Tunc illa dixit : « Et ego ubi manebo ? » Cui Dominus : « Nescis advolare ad sinum meum, et ibi requiescere, uti altilia facere solent ? » Et statim vidit seipsam in specie aviculæ in sinum Domini advolantis, et ibi quietissime requievit. Dixitque ad Dominum : « Clementissime Domine, impone digitum capiti meo, ut vel sic obdormiam. » Et Dominus : « Nescis quod aviculæ dum volunt somnum capere, caput pennis supponunt. » Et illa : « Domine, quid sunt pennæ meæ ? » Respondit : « Desiderium tuum est penna rubea, quia semper ardet ; amor tuus est penna viridis, quia semper viget et crescit. Spes vero tua est penna flava, quia incessanter ad me anhelas. »

Tamquam aviculam in sinu Domini se videt susceptam.

Tunc vidit ex Corde Domini stillare guttulas, quas ipsa rostro suo avidissime capiebat, de quibus inexpertam et ineffabilem jucunditatis hausit dulcedinem. Supervenit autem, ut sibi videbatur, sanctus Petrus, admirans valde quod Dominus majestatis tanta dignatione se animæ inclinabat. Cui Dominus respondit : « Quid miraris, Petre ? nescis quia primi et ultimi filii sunt carissimi ? Vos discipuli, primogeniti mei fuistis, quibus omnem benevolentiam

exhibui, et omne quod voluistis secundum desideria vestra in me habuistis. »

Visio Gertrudis Abbatissæ in cœlesti gloria.

Ex tunc igitur spiritus ejus raptus est in cœlum, ubi vidit Dominum in oriente sedentem, et felicis memoriæ Domnam Abbatissam sororem suam, vallatam personis totius Congregationis suæ, tam vivorum quam mortuorum. Quando autem velut levi motu se movebat, statim ab omnibus personis, quas in terris sua rexerat providentia, sonus fiebat tantæ dulcedinis, quod tota cœlestis militia ex hoc nova lætabatur jucunditate, et omnes Congregationis personæ circumvolabant eam, in specie candidarum columbarum. Post hæc sancti Angeli omnia meritoria opera singularum personarum Deo offerebant in cumulum gaudii dictæ Abbatissæ. Illa vero pro Congregatione sic orabat : « Pater sancte, serva eas in nomine tuo quas dedisti mihi. » Cui Dominus respondit : « Voluntas tua, voluntas mea; nam eas in innocentia ab omni malo servabo. » Orabat etiam Filium dicens : « Rogo ut in te unum sint sicut nos unum sumus »; videlicet ut integra voluntate Deo in omnibus Deo uniti essent, sicut Sancti in cœlo Deo per omnia sunt uniti. Cui Filius respondit : « Desiderium tuum, desiderium meum; ego in eis, et ipsi in me, ac per hæc omnia, earum opera in me perficiam et confirmabo ». Post hæc Spiritum Sanctum orabat dicens : « Sanctifica eas in veritate; earum digneris esse consolator. » Cui Spiritus Sanctus respondit : « Gaudium tuum, gaudium meum; ego earum consolator esse volo et conservator. »

Sonus disciplinarum in cœlo fit dulcissimus sonus.

Dehinc audivit sonum dulcissimum in firmamento cœli resonare ex sonitu disciplinarum, quas illa hora Sorores pro communi salute perceperunt; ad cujus clangorem sonitus sancti Angeli plaudentes saltabant, dæmones animas cruciantes procul fugiebant, animæ laxabantur a pœnis, et catenæ reatus earum rumpebantur.

## CAPUT XXVII.

### QUOD EI DOMINUS DE SEIPSO VESTIMENTUM FACERE REPROMISIT.

ALIA quoque nocte, dum ex capitis dolore nullam posset habere requiem, rogabat Dominum ut saltem unum foramen sibi monstraret in quo requiem inveniret. Qui ostendit ei quatuor foramina vulnerum suorum, præcipiens ei eligere in quo horum vellet habitare. At illa nolens eligere, divinæ commisit pietati ut sibi daret quod magis ipse vellet. Tunc ostendit ei vulnus Cordis sui dicens : « Ecce huc intra ut ibi pauses. » Quæ statim cum gaudio intravit Cor Dei. Eratque simile domui pulcherrimæ, in cujus medio jacentem invenit Dominum in lecto, viridi pallio gloriose contectum ; anima autem ad præceptum Domini se juxta eum pausatura cum ingenti lætitia reclinabat, Visumque est sibi tot cervicalia se habere quot ictus dolorum tunc sensit capiti suo advenire ; quæ singula, unum post unum, capiti amatoris sui cum magna gratitudine supponebat dicens : « Amantissime Deus, si dignareris me miseram in festo Paschali talibus adornare vestibus, quale est operimentum lecti tui ? » Cui Dominus respondit : « Etiam mi prædilecta, per memetipsum et ex memetipso volo tibi vestimenta talia præparare. » At illa hæsitabat quid hæc dicta Domini sibi vellent. Et Dominus : « Nescis quia bombyces sericum nent; et cum de me scriptum sit : *Ego sum vermis et non homo*, (PSAL. XXI. 7.) ex visceribus meæ pietatis tibi vestimenta producam, quæ si tibi fuerint importabilia, ego ea tecum feram. Hucusque enim mihi in laboribus devote servivisti ; amodo

Anima in Cor Domini suscipitur.

Bombycibus qui sericum nent se comparat Dominus.

n virtutum exercitiis exemplo meo prolatis, mihi deservire studebis. »

---

## CAPUT XXVIII.

### QUOMODO OMNIBUS SANCTIS DE FONTE MISERICORDIÆ PROPINAVIT.

Alia iterum nocte, requisivit Dominum quo in loco disponeret pernoctare. Qui respondit: « Ad radicem montis hujus deserti. » Adduxitque illam illuc ubi vidit fontem misericordiæ ad radicem montis scaturire, et in eo argenteam scutellam, dicens ad eam: « Hunc fontem omnibus et singulis propina, secundum tuæ beneplacitum voluntatis. » Ad quod illa: « Obsecro, mi Domine, tu vicem meam supple, quia minus idonea sum ad hoc opus, cum sim debilis et infirma. » Tunc sancti Angeli vice ejus accedentes, ex fonte illo propinabant: primo, gloriosæ Virgini Mariæ, in augmentum totius beatitudinis suæ. Quæ dum biberet, singulæ guttulæ tam miræ suavitatis intra guttur ejus dabant resonantiam, quod omnes illius beatæ Jerusalem cives nova exultatione jubilabant. Deinde propinabant Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, conjugatis, et omnibus cœli civibus; qui omnes simili modo ex eo bibebant, et singulæ guttulæ in Dei laudem suavissimum sonum ut prius in Virgine Maria beata clangebant.

E fonte misericordiæ potantur Sancti ad laudem Dei.

Dehinc etiam a præfato fonte misericordiæ militanti Ecclesiæ propinabant; et primo quidem Domno Apostolico, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, et quibuscumque Religiosis. Post hæc Imperatori, Regibus, principibus et omnibus judicibus et rectoribus animarum; postremo vero,

Eodem reficiuntur militantis et patientis Ecclesiæ fideles.

omnibus in terra viventibus. Ad hæc quoque Angeli, vice Christi dilectricis, animabus purgandis etiam misericordiæ fontem propinabant. Omnes quidem ex eo bibebant, sed non omnes eamdem sonoritatem et suavitatem sentiebant, quam triumphans habebat Ecclesia. Post hæc Dominus ex Corde suo prædictis omnibus tam militantis quam triumphantis Ecclesiæ personis, nectareum poculum in parvo vasculo precibus ancillæ suæ benignissime propinabat.

---

## CAPUT XXIX.

### ITERUM DE FONTE MISERICORDIÆ.

Sequenti nocte, iterum in spiritu ad præfatum misericordiæ fontem deducta, vidit ex eodem fonte permaximam venam humilis gratitudinis ebullire, et ipsam venam per Cor Jesu Christi purissime in eumdem fontem refluere. Quod sane ita intelligendum est : Cum varia sint dona Dei, et non omnes homines eamdem habent gratiam, quia divisiones donorum sunt, unusquisque a Deo collato sibi dono sollicite intendat, et cum gratitudine in Deum refundat, æstimans se omni bono et ipsa vita indignum ; et in abjectione sui semper dicat : minor sum cunctis miserationibus tuis. Necquidquam sibi boni amplius desideret, nisi quantum ad Dei laudem, et omnia quæ sibi evenerint, sive læta sive tristia, ex nimia charitate a Deo sibi esse donata certissime sciat, et sic cum gratiarum actione in unione gratitudinis Jesu Christi, quasi per sanctissimum Cor ejus, in suam originem omnia Dei dona refundat.

Dona ex Deo ad originem suam per Cor divinum refluant.

DE CONFESSIONE.

ITEM alia vice, vidit Dominum Jesum ad dexteram majestatis in excelsis residentem, et purgationem peccatorum facientem. Cum enim Sorores contrito corde et humiliato spiritu, accederent ad confessionem, Dominus Jesus singulas dextera sua amplexans, omnia earum peccata in seipso tam plene ac si nunquam fuissent, annihilabat ; sicque purificatas omnes cœlesti Patri præsentabat. Quas ille benignissime intuens singulas alloquebatur dicens : « Suscepit te dextera justi mei in veram reconciliationem. »

Peccata sua confessos Dominus amplexatur.

---

## CAPUT XXX.

QUALITER DOMINUS EAM SANAVIT.

EXPLETIS tandem quadraginta diebus suæ infirmitatis, in quibus continuo capitis laborabat dolore, iterum visum est sibi quasi esset cum Domino in campo quodam florido, dicens ei : « Mi dulcissime amator, da mihi benedictionem tuam, sicut olim servo tuo Jacob fecisti. » Qui manu sua benignissime eam benedixit dicens : « Esto sana in corpore et anima. » Statimque sensit dolorem suum mitigari. Et magno repleta gaudio, orabat beatam Virginem et omnes Sanctos, ut pro impenso sibi beneficio, dilectorem animæ suæ collaudarent. Qui omnes, beata Virgine inchoante, pro anima illa et omnibus bonis sibi factis, in novas Dei laudes proruperunt. Ex hoc melius cœpit habere, licet non ex toto, et hoc pro eo magna ex parte fuit, quia statim ut sensit

Pro Mechtilde B. Virgo et Sancti Deum collaudant.

aliquid se prævalere, in spirituali exercitatione tantum laborabat, quod eam corpore deficere oportebat.

---

## CAPUT XXXI.

### DE POTENTIA AMORIS.

Christus se ut captivum animæ tradit.

Alia deinde vice, cum in gratiarum actione recogitaret potentiam amoris divini, qui Christum de sinu Patris deposuit in uterum Matris, dixit ad eam Dominus : « Ecce me in potestatem animæ tuæ do, ut sim captivus tuus, ut imperes de me omne quodcumque volueris : egoque sicut captivus qui nil prævalet, quam quod dominus suus jusserit, ad omnem voluntatem tuam ero paratus. » At illa mira gratitudine dignationis tantæ verba suscipiens, cogitabat intra se quid a Domini potissimum expeteret pietate. Sed inveniens in corde suo quod nil sanitati præoptaret, eo quod jam Paschalis instaret solemnitas, et ipsa ab Adventu Domini usque ad tempus illud, excepto Vigilia et die Nativitatis Christi, propter continuam infirmitatem suam, chorum non intraverat, tamen in se reversa cogente eam fidelitate quam semper ad Deum habebat, ait ad Dominum : « O dulcissime et amantissime animæ meæ, etiamsi nunc omnem fortitudinem et sanitatem quam unquam habui recuperare possem, nequaquam vellem ; sed hoc solum a te volo, ut nunquam a tua discordem voluntate, sed omne quod tu vis et in me peragis, sive prosperum sive adversum, hoc ego semper tecum velim. » Statimque videbatur sibi quod Dominus eam sinistra amplexaretur, et caput ejus supra pectus suum reclinaret, dicens ei : « Ex quo tu vis omne quod ego volo,

Nihil se velle quam quod voluerit Dominus testatur Mechtildis.

sic anima tua semper erit in amplexu meo, omnemque dolorem capitis tui mihi intrahens in meipso, cum passionibus meis sanctificabo. »

Multo adhuc plura de his scribi possent quæ in hac infirmitate[1] sibi Dominus fecit; sed ideo prætermittimus, quia tam interrupta nunc partim et iterum partim proferendo, sæpissime, ut ipsa fatebatur, optima subtrahebat. Dicebat enim : « Omnia quæ dico vobis quasi ventus sunt respectu eorum quæ verbis nullo modo exprimere possum. » Quandoque etiam tam latenti lingua loquebatur, ut eam bene intelligere non possemus ; unde nihil de his, præter ea quæ diligenter et veraciter audivimus, et conservare potuimus, ad laudem Dei et utilitatem scripsimus proximorum.

---

## CAPUT XXXII.

### DE AMPLEXU DOMINI ET DE CORDE DOMINI.

Propter infirmitatem delectata Mechtildis.

Altera vice cum Deo in infirmitate querularetur, quod chorum intrare et alia bona opera facere non posset, visum est sibi quasi Dominus in lectum juxta eam reclinaret, sinistro eam brachio amplectens, ita ut vulnus Cordis ejus dulcissimi suo Cordi jungeretur. Tunc ait illi : « Cum infirmaris, sinistra te circumcomplector , et cum sanata es, dextera te amplector ; sed hoc scias quod cum sinistra mea amplecteris, multo vicinius tibi Cor meum sociatur. »

1. A fine Adventus anni 1290 usque ad Pascha sequentis, 1291 ; quo quidem intervallo defuncta est Abbatissa Gertrudis.

## CAPUT XXXIII.

### QUALITER HOMO COR SUUM DEO PRÆPONET AD INHABITANDUM.

SABBATO quodam, cum *Salve sancta Parens* cantaretur, dixit ad Dominum: « O si nunc amore tuo, amantissime Deus, reverendissimam Matrem tuam laudibus attollere, et muneribus tuis regiis tantum honorare possem, quantum unquam regina aliqua potuit venerari ! » Mox Dominus innuit duobus Angelis quasi aliquid sibi deferre deberent. Qui euntes quasi album sacculum coram Domino attulerunt, in quo ejus bona opera erant recondita, in quo Dominus inter alia diversa xenia, etiam auream crucem tulit, per quam pœnalitas animæ illius signabatur. Lilium etiam mirificum inde accepit, quod ante pectus suum velut monile ponebat. Anima autem ex hoc delectata dixit ad Dominum : « Eia præcordialis dilecte mi, utinam de corde meo delectabilissimum et tibi decentissimum tibi xenium facere possem ! » Cui Dominus respondit : « Nullum delectabilius atque mihi carius xenium mihi poteris exhibere, quam si domunculam inde mihi facias, in qua sine intermissione habitem et delecter. Hæc domus unam tantum fenestram habeat, per quam hominibus loquar et dona mea distribuam. » Hanc fenestram os suum esse intellexit, per quam verbum Dei ad se venientibus per doctrinam seu consolationem deberet ministrare.

Quale Domino optimum munus.

## CAPUT XXXIV.

### QUALITER DEUS ANIMÆ SENSUS SUOS DONAT UT EIS UTATUR.

ORABAT aliquando Dominum ut sibi aliquid donaret, quod sui memoriam in ea jugiter incitaret; ad quod tale a Domino responsum accepit : « Ecce do tibi oculos meos, ut cum ipsis omnia videas, et aures meas, ut per eas omnia quæ audis intelligas; os etiam meum tibi do, ut omnia quæ loquendo, orando, sive cantando proferre debes, per illud facias. Doque tibi Cor meum, ut per illud omnia cogites, et meipsum et omnia propter me diligas. » In hoc verbo Deus animam illam sibi totaliter intraxit et secum ita univit, ut videretur sibi quod Dei oculis videret, et auribus ejus audiret, et ore ejus loqueretur, nullumque aliud cor quam Dei Cor se habere sentiret. Quod et sæpius postmodum illi datum est sentire.

Cor suum dat animæ Dominus per quod illa cogitet et diligat.

### QUALITER HOMO ELEVETUR AD INATTINGIBILEM MAJESTATIS DOMINI CELSITUDINEM.

INDE dixit ad illam Dominus : « Quanto amplius te ab omni creatura elongando eorum consolationem abjicis, tanto magis ad majestatis meæ inattingibilem celsitudinem elevaris. Quanto etiam ad creaturas per charitatem extenderis, dilatando te per compassionem et misericordiam ad omnes, tanto arctius et dulcius incomprehensam latitudinem meam circumcingis. Quanto autem temetipsam vilipendendo, infra omnem creaturam humiliaveris, eo profundius mihi immer-

geris; eoque dulcius et familiarius torrente meæ divinæ voluptatis inebriaberis. »

---

## CAPUT XXXV.

### QUALITER DEUS ANIMAM AD SE VOCAVIT, ET DE AMORE ET DE PSALTERIO DECEM CHORDARUM.

Cum vice quadam Dilectum animæ suæ præcordialiter affectaret, ille qui pauperis desiderium non solum audire, sed et prævenire dignatur, dulcissima et altissima intonans voce, eam taliter advocavit : « *Veni dilecta mea ad me.* » Eratque vox Domini tantæ sonoritatis ut totum impleret cœlum, et omnes cœli angulos penetrans dulcissime faceret consonare. Intellexitque per angulos omnes quæ in cœlo sunt animas designari quæ voci Domini gratulanter conjubilabant. Anima autem sic advocata statim affuit, stans coram Dilecto residenti in consistorio valde mirabili et eminenti, cujus columnæ anteriores ex electro erant, capitella habentes de smaragdo, et bases de sapphiro. Per smaragdum exprimebatur viror æternitatis; per sapphirum, excellentia divinæ nobilitatis. Amor vero in specie virginis pulcherrimæ consistorium circuibat decantans : *Gyrum cœli circuivi sola* [1]. (Eccli. xxiv. 8.) In quibus verbis agnovit qualiter solus amor divinæ majestatis omnipotentiam sibi subegit, ejusque inscrutabilem sapientiam quasi infatuavit, et dulcissimam bonitatem ejus totam effudit, et illum divinæ justitiæ rigorem omnino devincens et in mansuetudinem convertens, ad nostræ miseriæ exilium

Vox Domini penetrans omnes cœli angulos.

Amor in specie virginis suos triumphos cantat.

1. Responsorium II. Noct. in Dominicis mensis Augusti.

Dominum majestatis inclinavit. In hoc quoque verbo : *et in fluctibus maris ambulavi* intellexit, qualiter omnes qui ante Legem et sub Lege et gratia, in suis tribulationibus Deo per amorem fideliter adhæserunt, cuncta adversantia et vitia per amorem devicerunt.

Dehinc amor iterum decantabat : *Audit eum in gyro sedis*, etc. per quod intellexit qualiter Sancti modo in jubilo decantant omnia quæ Deus in eis fecit magnalia ; scilicet quam investigabili eos sapientia elegit, quam gratuito eos justificavit et sua gratia dignos effecit, quam potenti et forti amore de omni miseria liberavit, et omnia non solum bona, sed etiam eorum mala eis in bonum et salutem convertit ; quam laudem Deus tam gratissime a Sanctis acceptat ac si illi non ab eo, sed a seipsis hæc tanta bona haberent, et tamen illi soli gloriam deferrent.

Deinde iterum visum est ei quasi amor staret a dextris Dei, de cujus Corde procedebat quoddam instrumentum suavisonum, tendens ad cor illius Virginis, psalterium scilicet, habens decem chordas, sicut in psalmo dicitur : *In psalterio decem chordarum psallam tibi.* (Psal. xxxii. 2.) Per novem chordas significabantur novem chori Angelorum, in quibus ordinatus est populus Sanctorum ; per decimam vero chordam ipse Dominus, Rex Angelorum et sanctificator omnium Sanctorum. Tunc anima procidit ante Dominum, et primam chordam leviter tangens, laudabat Dominum dicens : *Te Deum Patrem ingenitum* ; in secunda : *Te Filium unigenitum* ; in tertia : *Te Spiritum sanctum Paraclitum* ; in quarta : *sanctam et individuam Trinitatem* ; in quinta : *toto corde et ore confitemur* ; in sexta : *laudamus* ; in septima : *atque benedicimus* ; in octava : *tibi gloria* ; in nona : *in sæcula* ;

Psalterii decem chordæ.

1. Antiphona ad *Magnificat* in festo SS. Trinitatis.

in decima autem chorda cantare non potuit, quia ad Dei celsitudinem adhuc attingere non poterat.

Post hæc, vidit in pectore Domini perlucidum speculum, in quo erat hominis facies in modum lunæ. Et illa mirari cœpit quid hoc sibi vellet. Cui Dominus : « In hoc edoceris. » Statim per oculos intellexit designari quia ipse solus est æterna sapientia, quæ scit omnia in cœlo et in terra, et seipsum solus perfecte et perlucide agnoscit, quem nulla potest comprehendere creatura. Et Dominus : « Quis te hoc docuit? » Cui illa : « A te omnium bonorum largitore sum edocta, qui doces hominem scientiam, et inspiras ei omnem sapientiam. » Per os cognovit quia Deus est immensus et incomprehensibilis in sua omnipotentia, et omnes in cœlo et in terra ipsum ad plenum laudare non sufficiunt ; sed ipse solus suimetipsius laudis plena est sufficientia, qui solus perfecte novit quanta amoris magnitudine dat se amanti animæ, et quotidie in altari hostiam se offert Deo Patri, pro fidelium salute, quod nec Cherubim nec Seraphim nec omnes cœlicæ Virtutes ad plenum valent investigare. Et Dominus : « Quis hoc te docuit ? » Et illa : « Tu magistrorum optime, totius auctor bonitatis, et lumen verum illuminans omnem hominem in hunc mundum venientem. »

Dominus magister animæ.

Tunc reclinavit se anima illa supra pectus dilectoris sui Domini laudans eam ex omnibus viribus, sensibus ac motibus suis, in seipso, et per seipsum ; et quo plus laudabat adhærens illi, eo plus in seipsa deficiens in nihilum est redacta ; tamquam cera liquescens a facie ignis, in seipsa liquefiebat, et in Deum transibat, unita ei feliciter et adstricta vinculo individuæ unionis. Exhinc desiderabat ut omnes in cœlo et in terra participes Dei gratiæ efficerentur. Et accipiens manum Domini, adeo magnam crucem fecit ut videretur sibi cœlum et terram inde repleri. Et ex hoc gaudium cœlestium augmentabatur, reis venia, tristibus

Anima per dextram Domini benedicit.

solamen, justis fortitudo et perseverantia dabatur, purgandisque animabus absolutio et pœnarum alleviatio reddebatur.

---

## CAPUT XXXVI.

### QUALITER HOMO PŒNAS SUAS COMMITTIT DEO, ET DE BONITATE CORDIS DEI, ET QUALITER DEUS VIRGINES SUSCIPIT.

ALIA vice, cum propter infirmitatem suam inutilem se reputaret, et pœnas suas infructuosas judicaret, dixit ad eam Dominus : « Repone omnes pœnas tuas in Cor meum, et ego eas tam excellenter perficiam, sicut unquam passio alicujus transferri altius potuit. Nam sicut divinitas omnes passiones meæ humanitatis in se trajiciens sibi counivit, sic pœnas tuas in meam divinitatem penitus transferam, et cum mea passione unum faciam, illamque clarificationem quam Deus Pater glorificatæ humanitati meæ pro universis passionibus contulit, tibi participabo. Singulas enim pœnas tuas amori consigna dicens : O amor, ea intentione qua hæc de Corde Dei mihi attulisti, tibi committo, orans ut ea in summa gratitudine perfecta ibidem reconsignes.

In Cor divinum reponantur nostræ pœnæ.

Cum etiam me laudare desideras, et in pœnis tuis non prævales, ora ut ea laude qua in cruce Deum Patrem in pœnis meis laudavi et in ea gratitudine qua ipsi gratias egi, quia me voluit pro mundi salute talia pati, et in amore quo pœnas libens et volens sustinui, ipsum pro tuis pœnis collaudem et benedicam. Et sicut passio mea in cœlo et in terra infinitum attulit fructum, sic pœnæ tuæ, sive quæcumque tribulatio, hoc modo mihi commissa, in unione passionis meæ, tam fructifera erit, ut singulis in cœlo gloriam, justis

Pro non valente, Christus in cruce laudat.

meritum, peccatoribus veniam, et purgandis animabus conferet relevamen. Quid est enim quod divinum Cor meum non possit in melius commutare? Nam omne bonum, quod cœlum et terra continet, de bonitate Cordis mei profluxit. »

Omne bonum a bonitate Cordis divini profluxit.

Ostenditque ei omnium ordines Sanctorum et inæstimabilem gloriam et dignitatem eorum, dicens: « Ecce quanta bonitas Cordis mei in Prophetis et Apostolis, ac singulis Sanctis operata est, quam dignissime omnia opera eorum perfecit, ac supra omne meritum remuneravit. »

Cum autem illa singulorum gloriam mira delectatione contemplaretur, vidit etiam Virgines; et in decore et deliciis earum præ cæteris sibi complacens, dixit ad Dominum: « Eia mi Domine, cum tantum honoris gratuito amore Virginibus contuleris, dic quæso, quid sit maximum gaudium tuum in eis? » Cui Dominus: « Et quomodo maximum scire velles, quæ nec minimum in hac vita attingere vales? Attamen aliquid de his te docebo: Deus Pater meus in tantum quamlibet diligit virginem, et ejus adventum majori expectat gaudio quam unquam rex aliquis ad sui unigeniti sponsam, ex qua magnum habiturum se sperat hæredem. Statim enim ut in cœlo vox illa sonuerit, quod virgo adveniat, tota cœli dignitas in gaudio commovetur, et cum virgo primo ingreditur, ejus vestigia per totum cœlum clangorem reddunt dulcissimum, unde omnes Sancti permoti lætitia, in ejus laudes cum jubilo proclamant: *Quam pulchri sunt gressus tui*, etc. (Cantic. vii. 1.) Ego quoque per memetipsum festinus assurgo, et ei obviam procedo, his advocans eam verbis: *Veni amica mea, veni sponsa mea, veni: coronaberis.* (Ibid. iv. 8.) Quæ vox mea tantæ sonoritatis est, ut totum impleat cœlum, in tantum ut omnium tam Angelorum quam Sanctorum spiritus penetrans velut resonantia organa voci meæ faciat consonare. Assistens autem conspectui meo, se in oculis meis, et ego me in ejus oculis velut in speculum, in

Quantis honoribus Virgines in cœlo excipiuntur.

multa complacentia in invicem contemplamur. Dehinc amantissimo amplexu me illi imprimo, in quo me cum tota divinitate sic illi infundo et pertranseo, ut in omnibus membris ejus, quocumque se vertat, totus esse videar; eamque vicissim mihi sic intraho, ut etiam ipsa intra me in omnibus membris appareat gloriose. Insuper ex me ipso facio ei coronam, unde eam velut sponsam meam legitimam dignissime coronabo. Spiritus etiam Sanctus tota suæ dulcedinis et bonitatis affluentia eam penetrat, atque transfundit velut micam panis mero immissam. Unde omnibus qui in cœlo sunt fit amabilis et persuavis [1]. »

Ex semetipso coronam Virginibus Dominus facit.

---

## CAPUT XXXVII.

### QUÆ SINT VERÆ ET PURÆ VIRGINES.

Alia quoque vice, cum Deo pro impensis sibi bonis gratias ageret, dixit ei Dominus: « Gratias age prius pro omnibus quæ feci Matri meæ et Angelis. » Quod ista statim fecit, gratias agens quod ab æterno eam præ cunctis elegit, et sibi in Matrem dignissimam præparavit, sanctificans eam in utero matris, et quod in infantia et pueritia sic eam gubernavit quod nunquam peccatum fecit, et quod Spiritu Sancto inspirata, prima votum vovit purissimæ castitatis. Tunc respondit Dominus: « Nullam creaturam neque in cœlo neque in terra sic diligo, sicut puritatem virginalem. » Ad quod illa: « Eia Domine, si ita est, dic rogo, quæ sint tam puræ virgines quas præ cunctis diligis? » Respondit: « Illæ quæ nec desiderio nec voluntate amittendi virginitatem unquam

Maria S. Spiritu inspirata prima votum vovit castitatis.

1. Cf. Librum Sororis Mechtildis, part. II. c. 14.

se maculaverunt. » Et illa : « Quid autem facient quæ hoc neglexerunt? » Respondit: « Pœnitentia et confessione se abluant, et in magna delectatione et gaudio cum his quæ puræ Virgines sunt societatem habebunt; sed illas internas et superaffluentes delicias quas torrens meæ divinitatis influit, sentire non possunt. »

---

## CAPUT XXXVIII.

### DE ARRHIS VIRGINUM.

Apparuit etiam ei vice quadam Virginum Regina aureo circumamicta pallio, habens columbas rubeas intertextas, quarum binæ binæque ad invicem erant conversæ, ac intra ora sua viride gestabant lilium. Per aureum amictum intellexit notari amorem ferventissimum Dei, quo beata Virgo Maria super omnes flagrat; per rubeas columbas, invictam et columbinam patientiam quam in omni exhibuit adversitate. Per lilium vero, placitissimum ac nobilissimum fructum virtutum operumque suorum. Habebat etiam ad amictum suum zonam auream, de cujus medio pendebant annuli aurei sigillatim singuli catenis appensi ad invicem, qui omnes habebant gemmas rubeas ad terram versas. Per annulos significabantur arrhæ sponsales omnium Virginum Deo castitatis voto copulatarum. Qui idcirco appensi erant zonæ Matris Domini, quoniam ipsa benignissima Virgo arrhas omnium Virginum sibi devote famulantium, materna conservat diligentia, ob amorem Filii sui; et in hora egressionis earum de hoc sæculo, in conspectu Domini cuilibet arrham suam immaculatam resignat. Per gemmas vero rubeas notabatur, quod ipse Rex gloriæ, Jesus Christus,

Virgines Maria conservat.

sponsus Virginum, sanguine proprio arrhas Virginum sacrarum perornat. Per hoc quod gemmæ ad terram erant versæ, dabatur intelligi quod nulla virtus judicatur meritoria nisi exercitio corporis nobilitetur.

---

## CAPUT XXXIX.

### QUOD CHRISTUS CUM PŒNIS ANIMÆ SE VESTIT, ET EAS SUÆ PASSIONI UNITAS DEO PATRI OFFERT.

LABORANTI aliquando gravi doloris infirmitate, apparuit ei Dominus Jesus Christus alba veste indutus, et cingulo cinctus de viridi serico et aureis scutulis facto, cujus longitudo ad genua ejus tendebat. At illa admirans, cum scire cuperet quid hoc sibi vellet, dixit ad eam Dominus : « En pœnis tuis me vestivi. In cingulo autem innuitur quod pœnis undique cingeris, et usque ad genua tota repleris. Sed ego omnes dolores tuos sic mihi intraham, et in te omnia patiar ; sicque in altissima placentia Deo Patri omnes pœnas tuas meæ passioni unitas offeram, eroque tecum usque ad ultimum flatum tuum, quem nusquam nisi in Cor meum perpetuo pausatura, efflabis. Egoque animam tuam tam inæstimabili amore ad me et in me ipso suscipiam, ut omnis cœlestis militia cum jubilo admiretur. »

Dominus vult in nobis pati.

## CAPUT XL.

### QUALITER DEUS IN ANIMA OPERATUR.

Divinæ personæ in anima operantur quod ipsam excedit.

ITEM cum in infirmitate sua communicasset, dixit ad Dominum : « Heu me ! dulcissime Deus meus, qualiter te modo in animam meam vocavi, quæ nec orationes nec aliquid boni præmisi ? » Cui Dominus respondit : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor ; Pater meus operatur in te sua potentia tale opus, ad quod tuis viribus non sufficis ; egoque in divina sapientia mea operor in te opus quod tuos sensus excedit. Spiritus quoque Sanctus immensa bonitate sua operatur in te opus quod gustu nondum vales sentire. »

## CAPUT XLI.

### QUOD OMNIA BENEFICIA SIBI FACTA CHRISTUS SIBI REPUTABAT.

ITEM cum gravaretur ex eo quod hominum uteretur servitio, timens etiam ne plus commodi accepisset quam necesse haberet, et super hoc querulans Dominum invocaret, tale a Deo responsum accepit : « Ne timeas, neque turberis, quia omnia quæ pateris veraciter in te sustineo, et ideo omnia quæ tibi homines impendunt beneficia mihi fiunt [1] ; egoque eos ac si mihi fecerint, condigna remunerabo

1. Cf. *Legatus* Lib. I. c. 12. in fine.

mercede. Omnes etiam qui tibi in hora mortis pia compassione adstiterint, non minus quam si meæ passioni condolentes interfuerint, gratum ab eis reputabo. Similiter qui exsequiis tuis pia devotione interfuerint, ac si meæ sepulturæ congruum honorem impenderint, acceptum mihi erit. »

Cumque specialiter pro sua servitrice oraret, vidit Dominum coram se, habentem zonam aureis circulis plenam, quam sibi ostendit dicens : « Ecce hæc sunt omnia vestigia ejus quæ in tuo servitio calcavit, quæ etiam coram oculis meis in æterna memoria erunt, cum omnibus quæ tibi unquam ministravit. » Commendavitque eam Dominus amori, ut ejus curam gereret, et in suis infirmitatibus ministraret. In quo intellexit, quod amor tribus modis animæ fructuose deservit. Primus est, quod omnia ejus negotia sibi commissa Deo fidelissime præsentat. Secundus est, quod omnia sibi recommendata in scrinio divini Cordis optime conservat, et in exitu animæ augmentata et nobilitata illi diligentius reconsignat. Tertius est, quod in labore et tribulatione homini bene assistit, coadjuvans in bonis et protegens a malis.

Amor tribus modis animæ inservit.

Igitur cum homo se minus sentit devotum, amore frigidum, et a Deo elongatum, invocet amorem, committens ei legationem suam, orans ut gratiam seu devotionis studium sibi dignetur impetrare. Similiter omnia bona quæ agit, tradat amori custodienda, ut ea postmodum in melius commutata recipiat. In omni quoque tribulatione et labore, amorem in auxilium invitet, quia eo præsente, homo laborem non sentit, nec deficiet in adversis.

Unde omnia nostra commendemus amori.

## CAPUT XLII.

### DE THRONO DEI, ET DE NOVEM CHORIS ANGELORUM, ET DE QUATUOR OSCULIS.

Cum hic liber scriberetur, ignorante penitus illa beata de qua dicimus persona [1], die quadam audivit in Missa vocem nominantem illam personam cui secreta sua revelare consueverat, ac dicentem : « Quid putas meriti accipiet illa pro eo quod scribit. » At illa admirans et stupens, familiarem suam si ea quæ sibi dicere solebat conscriberet requisivit. Illa vero fateri nolens, se prout poterat excusabat, addens ut Dominum interrogaret. Sequenti igitur die, cum beatam Virginem post Officium *Salve sancta Parens* salutaret, dixit ei Dominus : « Tace, et ea quæ tibi do accipe, et eis fruere. » Cum vero ita esset expectans, cœpit eadem verba iterare ; sed cor ejus eam redarguit cogitans illud : *melior est obedientia quam victimæ*, ultra prosequi non audebat. Et ecce duo Angeli venientes eam in sublime elevabant ; anima vero hoc dono Dei se nimium indignam reputabat. Cui Angeli : « *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* » (Psal. xliv. 11.) In his verbis intellexit quod cum Deus animam per intimam contemplationem dignatur extollere, semetipsam et omnia etiam peccata sua debet oblivioni tradere, quatenus expeditius Deo vacans, his quæ sibi revelantur limpidius valeat inhærere. Tunc Angeli assumentes eam ad domum pulcher-

Mira Mechtildis per Angelos ad Deum exaltatio.

1. Cf. Lib. V. c. 27. Quæ persona ex familiaritate quam *Legatus* testatur fuisse inter Gertrudem et Mechtildem, videtur esse sancta Gertrudis.

rimam et miræ magnitudinis deduxerunt. Quam intrans vidit in ea novem choros Angelorum miro et ineffabili modo unum supra alium in modum cujusdam testudinis, dispositas et ordinatas. In summitate autem supra chorum Seraphim, thronus Dei et beatæ Virginis excellentissime eminebat.

Ex Corde Dei novem radii in choros Angelorum.

Vidit etiam de Corde Dei novem radios procedere in singulos choros, et quemlibet chorum radium suum omnibus choris aliis ministrare. Radius enim igniti amoris a Deo immediate procedens, chorum Seraphim illustrabat, et deinde choros alios omnes penetrabat. Sicque singuli lucem sibi a Deo immediate infusam aliis choris communicabant. Tunc anima ad pedes Domini procidens, ipsum intimis præcordiis salutabat. Et ait Dominus : « Ecce do tibi pacem meam, ut nunquam de aliqua re ita graveris, quod a me impediaris. » Fuerat enim nimis contristata, ita ut fere per septimanam ad Dominum per intimam cordis quietem non posset pervenire. Recordata est vero vocis quam hesterna audierat die, et interrogavit Dominum si vere familiaris illa sua scripserit, vel quid sibi vox illa voluisset. Cui Dominus : « Ne timeas neque solliciteris : permitte eam facere quod facit, nam ejus cooperator ero et adjutor. »

Grana quædam e divino Corde colliguntur.

Rogavit igitur Dominum ut eam instrueret qualiter beatam Virginem salutaret. Qui ostendens ei Cor suum : « Hic, inquit, inde accipies quo Matrem meam salutes [1]. » Statimque anima quasi avicula ad latus Domini volitans, grana quædam nivei candoris in modum mannatis de Corde Dei tulit, et Cordi beatæ Virginis imposuit, per quodlibet granum aliquod speciale gaudium ipsius Virginis exprimendo.

Inter Secretum vero cum beatam Virginem admoneret gaudii quod habet ex unione qua Deo supra omnem crea-

1. Cf. *Legatus*, passim, de his quæ cum defuerint in obsequio beatæ Mariæ debito, per divinum Cor supplentur.

turam familiaris vivit, Dominus et beata Virgo in invicem inclinantes, se diutissime sunt osculati. Dixitque Dominus ad animam : « Hoc osculum tuum in perpetuum erit, et omnes qui me aut Matrem meam, in unione illa qua mihi unitur salutant feliciter inseparabili unione mihi adhærebunt [1].

Osculum a Domino Matris erit animæ in perpetuum.

Post hæc anima scire cupiens ubinam anima felicis sororis M. modo esset, vidit eam in choro Seraphim, in modum avis contra faciem Domini directe volitantem ; per quod innuebatur cognitio illa qua in terris præ cæteris illuminata vigebat [2]. Vidit etiam familiaris suæ M. animam, quæ cum sorore M. quasi unus spiritus fuerat in Christo, paulo inferius, et tamen ita vicinam, ut eam manu teneret. In fine autem Missæ Dominus quatuor oscula dabat animæ, pro benedictione, cum ineffabilibus verbis dans ei certitudinem quod nunquam ab eo posset separari.

Soror Mechtildis memoratur.

---

## CAPUT XLIII.

### DE NOMINE ET UTILITATE HUJUS LIBRI.

Sicut jam diximus, hic liber fere totus ita conscriptus est, ut hæc Dei famula ignoraret. Sed dum a quodam didicisset, tantum contristata est, ut omnino consolari non posset. Unde ad Dominum solito ex more confugiens, ipsi tristitiam suam cum fiducia exponebat. Cui Dominus statim apparuit, hunc librum supra Cor suum in dextera sua tenens,

1. Cf. Part. IV. c. 8.

2. Cf. infra. Part. V. c. 3. item *Legatus*, lib. V. c. 7. Videtur pro Seraphim hic ponendum esse Cherubim.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

eam osculatus est, dixitque : « Omnia quæ in hoc libro continentur scripta, a Corde meo divino profluxerunt, et refluent in ipsum. » Accipiensque librum suspendit eum ad collum animæ supra humerum ejus. Per quod intellexit quod curare non deberet de libro, quasi ad se non pertineret, quia Dei providentia et non sua præscientia fuerat conscriptus.

Omnia hujus libri a divino Corde profluxerunt et in ipsum refluent.

Interrogante autem illa Dominum, si adhuc desistere deberet, nec amplius dona Dei hominibus edicere, Dominus respondit : « Da me in liberalitate largiflui Cordis mei, et da me in bonitate mea, et non in tua. » Et illa : « Et quid fiet de libro illo post mortem meam, aut quæ utilitas ex eo proveniet? » Cui Dominus : « Omnes qui me fideli corde exquirunt, in eo lætificabuntur, et qui me diligunt, amplius in amore meo exardescent, et qui mœrentes sunt, in eo consolationem invenient. » Iterum anima Dominum requisivit quod esset vocabulum libri. Qui respondit : « LIBER SPECIALIS GRATIÆ vocabitur. »

Vocatur a Domino *Liber specialis gratiæ.*

Ex tunc illa hunc librum ita bene recognovit, quem nunquam corporeis viderat oculis, ut familiari suæ ostenderet quantitatem libri, et formam corii quo erat opertus ediceret, et zonæ qua circumligatus fuerat. Omnia quæ scripta continentur quasi pauca sunt, respectu omissorum ; nam veraciter præsumo dicere quod multa plura sæpius sibi revelata sunt, quæ nequaquam dicere volebat ; sed hæc in quibus utilitatem et instructionem esse credidit, ad Dei gloriam revelabat, in quibus sæpissime amatoria verba quæ ipsi Dilectus loquebatur, subtrahebat. Aliquando vero tam spirituale erat quod videbat, quod nullo modo verbis potuit explicare.

EXPLICIT PARS SECUNDA.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# PARS TERTIA

## CAPUT PRIMUM.

### DE ANNULO SEPTEM LAPIDIBUS PRETIOSIS INSIGNITO.

VIRGO Christi cum præsentiam Dilecti sui die quadam non sentiret, et multum desideraret, videbatur sibi quasi stare Dominum coram se, et apertum est Cor ejus velut janua, et visum est ei quod illud intraret quasi magnam domum, habentem pavimentum aureum. Et domus erat rotunda, significans æternitatem Dei ; et Dominus stabat in medio domus, et anima cum eo, multa ad invicem colloquentes. Dum ergo cantaretur ad Missam : *et tibi reddetur votum in Jerusalem* [1], cogitabat illa quanta vota Sancti obtulissent Domino in hoc sæculo : Beata Virgo et aliæ Virgines castitatem, Martyres pretiosum sanguinem, et alii Sancti multos labores et devotiones. Doluit se nihil habere quod Domino posset offerre. Et vidit beatam Virginem sibi a dextris stantem, dantem sibi annulum aureum, quem statim Domino obtulit, et Dominus gratanter accipiens digito suo imposuit. Tunc illa intra se desiderans dicebat : « O si fieri posset ut tibi ipse annulum suum daret

Anima in Cor Dei tamquam in domum intrat.

1. In Introitu Missæ pro defunctis.

in signum desponsationis ! » Et videbatur sibi bene sufficere si Dominus dignaretur sibi dare dolorem in digito annulari, quem omnibus diebus vitæ suæ vellet sustinere, in memoriam quod Christo foret desponsata. Ad quam Dominus : « Do tibi annulum septem lapidibus insignitum, quos potes rememorari in septem articulis digiti tui. »

Annulum dat Christus sponsæ suæ septem lapidibus insignitum.

« In primo articulo potes recordari amoris divini, qui me de sinu Patris inclinans, triginta tribus annis multis laboribus te quærendo fecit servire. Et cum tempus instaret nuptiarum, proprio amore Cordis mei venditus in pretium convivii, meipsum in panem et carnem et poculum dedi. In convivio etiam illo, ipse et cithara et organum fui, per verba dulciflua oris mei, et ad lætificandos convivas in similitudine lusorum, humiliatus sum ante pedes discipulorum. In secundo, recorderis qualem ego speciosus juvenis, post convivium illud, choream duxi, cùm tribus vicibus in terram procidens, quasi tres saltus feci tam validos, quod sudore totus madens guttas perfudi sanguineas. In illa chorea, omnes commilitones meos vestivi triplicibus, cum impetravi eis remissionnem peccatorum, animarum satisfactionem, et divinam meam clarificationem. »

Nuptiale Christi in sua Passione convivium.

Saltatio triplex.

« In tertio, memor eris amoris humilitatis meæ ad osculum sponsæ, cum Judas appropinquans osculatus est me ; in hoc osculo Cor meum tantum persensit amorem quod si pœnituisset, animam ejus in sponsam per osculum illud assumpsissem. Tunc enim omnes mihi copulavi, quos ab æterno in sponsas prædestinavi. In quarto, recolas qualia aures meæ amore sponsæ audierunt epithalamia, cum stans coram judice, tot falsa de me testimonia sunt prolata. In quinto, recorderis quam decenter me ob tui amorem ornavi, cum toties vestimenta mea mutavi, alba, purpurea, coccinea, et serto roseo, spinea scilicet corona. In sexto, memor sis qualiter te sum amplexatus, cum ad columnam fui ligatus ; ibi

Epithalamia.

Ornatus vestium.

Amplexus.

pro te omnia inimicorum tuorum in me assumpsi jacula. In septimo, memor eris qualiter thalamum crucis sum ingressus ; et sicut sponsi vestes suas dant histrionibus, ita vestimenta mea dedi militibus, et corpus meum crucifixoribus. Deinde extendi brachia mea per durissimos clavos in tuos amplexus suaves, tibi cantans in thalamo amoris septem cantilenas miræ suavitatis plenas. Post hæc Cor meum ad introeundum tibi aperui, cum somnum amoris tecum moriens in cruce cepi. »

Thalamus.

Amoris cantilenæ septem.

His dictis, videbatur sibi plures personas de Congregatione ad Dominum accedere, offerentes aureos denarios, qui figurabant bonam voluntatem ; et visum est ei quasi flamma ignis eructare de pectore Domini, et conflare cujuslibet denarium in florem aureum, qui flos statim adhærebat pectori offerentis.

---

## CAPUT II.

### DE ROSA QUÆ DE CORDE DOMINI EXIVIT, PER QUAM DEI LAUS SIGNABATUR.

In Missa quadam audivit Dominus sibi dicentem : « Eamus in desertum interiorem. » Statim per longam viam sibi visum est cum Domino ire, quasi ulnis eum complexans, et hæc verba dicens : « Laudo te in tua æternitate, immensitate, pulchritudine, veritate, justitia », etc Deinde pervenientes in magnam solitudinem quæ erat locus magnæ amœnitatis, arboribus ex utraque parte consitus ad modum tecti supernis conclusis. Et pavimentum erat viridissimum, floribus plenum, ubi resedit Dominus. Et anima in specie

Deum in suis perfectionibus laudat anima.

ovis perambulabat pascua illa, habens in collo catenulam aureis et argenteis circulis consitam, quæ processit de Corde Domini, significans amorem Dei et proximi, sine quo nemo Deo poterit adhærere. Tunc anima desiderans laudare Deum dicebat : « O amantissime, doce me laudare te. » Qui Dominus : « Respice Cor meum. » Et ecce rosa pulcherrima habens quinque folia exivit de Corde Dei totum pectus ejus cooperiens. Et ait Dominus : « Lauda me in quinque sensibus meis, qui significantur per hanc rosam. » Et intellexit quod Deum laudare deberet, pro visu amabili quo semper respicit hominem, quasi pater unicum filium, nunquam indignans, sed semper amicum habens intuitum, quasi optans et desiderans ut homo ad eum sæpe recurrat. Secundo, pro auditu quo auris ejus est tenuissima et semper inclinata, ita quod ad minimum sibilum vel gemitum hominis plus delectatur quam ad omnem concentum angelicum [1]. Tertio, pro olfactu, quod semper habet quamdam amatoriam dilectionem erga hominem, qua excitat cor hominis ad delectandum in se, sine qua nemo potest delectari in vero bono, nisi præveniatur a Deo, et hoc est quod scriptum est : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* (Prov. viii. 31.) Quarto, pro gustu suavissimo, qui fit in Missa, ubi ipse cibus est animæ suavissimus, et in isto cibo ita sibi animam quadam blanditate amicissima incorporat, quod anima per unionem Dei fit cibus Dei. Quinto, pro tactu amoroso quo eum amor amarissime tetigit, in cruce figens clavos manibus et pedibus, et lanceam lateri ; et sicut tunc anima infixa illi erat per dolorem incomparabilem, ita nunc impressa remanet manibus et pedibus et Cordi ejus dulcissimo, cum ineffabilis amoris jubilo, ita quod nec ad momentum ejus poterit oblivisci.

Deum laudare docet Cor divinum.

De nimio Dei amore in hominem.

Anima fit cibus Dei.

1. Cf. Lib. *Lux fluens divinitatis*, Lib. II. c. 2. ad calcem.

## CAPUT III.

### DE QUINQUE VERBIS LAUDIS DIVINÆ.

ALIA vice, cum gravi laboraret ægritudine, dixit ad Dominum : « O quam pauper modo sum spiritu, quæ nec laudibus te extollere valeo, nec orare! » Cui Dominus dignanter respondit : « Lauda me his verbis : Gloria tibi, dulcissima, nobilissima, fulgida, semperque tranquilla et ineffabilis Trinitas. Tunc ego hoc verbum, *dulcissima*, unire volo meæ divinæ dulcedini ; et hoc verbum, *nobilissima*, meæ excellentissimæ nobilitati ; hoc verbum, *fulgida*, meæ inaccessibili luci ; et hoc verbum, *tranquilla*, meæ inquietæ requiei ; et hoc verbum, *ineffabilis*, meæ inedicibili apponam bonitati : sicque placitissimo modo venerandæ Trinitati per memetipsum præsentabo. »

SS. Trinitati laus in Christo.

## CAPUT IV.

### QUOD TRIBUS MODIS DOMINUS DEBET LAUDARI.

ITEM, vidit Dominum inenarrabili claritate circumdatum, habentem in pectore folium ex argento perspicuo, in cujus circuitu erant inæstimabiliter decoratæ singulæ passiones Sanctorum, quas pro Domino pertulerunt. Ibi enim in Domino contemplabantur omnia merita et dignitates eorum, quia nunquam adeo parvum pro ejus amore fecerunt, aut

perpessi sunt, cogitatione, verbo vel opere, pro quo æternam mercedem non consequantur, et ipsi sine fine Dominum glorificant pro omnibus donis suis. Dixitque ad Dominum : « O dulcissime et amantissime, in quo maxime complacet tibi ut me exerceam ? » Qui respondit : « In laude. » Et illa : « Eia, doce me ut digne valeam laudare te. » Tunc instruxit eam Dominus tres modos quasi tres ictus, dicens : « Primo, laudabis Patris omnipotentiam, qua in Filio et Spiritu Sancto secundum velle suum operatur, quam nullius creaturæ capit immensitas in cœlo et in terra. Dehinc Filii inscrutabilem sapientiam, quam plene cum Patre et Spiritu Sancto communicat secundum voluntatem suam, omni remoto impedimento, quam nulla creatura ad plenum capere potest. Deinde Spiritus Sancti benignitatem, quam abunde cum Patre et Filio communicat secundum omnem voluntatem suam, quam etiam nulli creaturæ plene participat. »

In laude Deus maxime sibi complacet.

Cumque anima tali modo ad Cor dilecti sui pulsaret, et illum taliter laudaret, repente in ipso ictu totum cœlum insonuit, et ait Dominus : « Secundus modus seu ictus est, quod me laudare debes pro omni gratia et dono, quod effluxit de abundantia meæ bonitatis in meam Virginem Matrem, quæ omni gratia et bonis abundantius erat repleta, quam unquam aliqua creatura ; et etiam pro omni gratia omnibus Sanctis data, qui jam in præsentia meæ divinitatis in jucunditate adstant, et me fontem omnium bonorum cum jubilo intuentur. »

Pulsans ad Cor dilecti sui anima laudem exprimit.

« Tertius est, quod me laudare debes pro omni gratia et dono quod effluit de me in omnes homines : in bonos, quos mea gratia sanctifico et confirmo ; in peccatores, quos ad pœnitendum invito, et cum misericordia ad bonum expecto ; et etiam in omnes animas quas gratia mea quotidie a purgatorio absolvo, et ad cœli gaudia perduco. »

Ad primum videbatur sibi quod legere deberet *Tibi decus et imperium, tibi gloria et potestas, tibi laus et jubilatio in sempiterna sæcula, o Beata Trinitas Deus ;* ad secundum, *Te jure laudant, te adorant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, o beata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio* ; ad tertium, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula, Tibi laus.* Post hæc, secundum desiderium animæ, ornamentum illud, quod erat in pectore dilectoris sui Jesu, divisit se, et anima intravit mellifluum Cor Christi, ibique unus spiritus cum Dilecto effecta, procul dubio gustavit et vidit quæ non licet homini loqui.

---

## CAPUT V.

### DE TRIBUS QUÆ DEBET HOMO REVOLVERE MENTE.

ITEM instructor ejus, omnium optimus magistrorum, dixit ei : « Tria te docebo, quæ quotidie meditando animo revolvas, et multa tibi inde provenient bona. Primo igitur, recole in gratiarum actione quanta tibi bona feci in creatione et redemptione : scilicet, quod te hominem ad imaginem et similitudinem meam creavi, et propter te homo factus, post innumera quæ sustinui tormenta, amarissimam pro amore tui subii mortem. Secundo, cum gratitudine recole quanta tibi beneficia exhibui, ab hora nativitatis tuæ usque ad præsens ; scilicet, quod speciali dilectione de mundo vocavi te, et multoties me animæ tuæ inclinavi, replens et inebrians eam dulcedine meæ divinæ gratiæ, illuminans cognitione, et inflammans dilectione ; et quod quotidie in Missa ad te venio, paratus omnia desideria tua et voluntatem adimplere. Tertio,

Gratiarum actio pro triplicibus Dei beneficiis.

in gratiarum actione laudans, recole quanta tibi in cœlo æternaliter daturus sum, affluentiam omnium bonorum, cum longe supra quam credere aut æstimare possis, omnibus te bonis cumulabo. »

« Et hoc dico tibi vere, quia multum placet mihi ut homines de me confidenter magna præsumant ; nam quisquis mihi crediderit quod post hanc vitam supra meritum suum illi benefaciam, et proinde me laudans gratias egerit in hac vita, in tantum mihi acceptum erit, quod eum in quantumcumque credere aut præsumere potest, tantum et in infinitum amplius supra omne meritum suum remunerabo ; quia impossibile est hominem non percipere ea quæ credidit et speravit. Ideoque utile est homini ut a me magnum sperando, bene mihi credat. » Et anima : « O dulcissime, si tibi ita acceptum est quod homines tibi bene credunt, dic quæso quid credere debeam tuæ ineffabili bonitati. Respondit : « Certa spe credere debes quod te post mortem suscipiam, sicut pater filium suum amantissimum, et quod nunquam aliquis pater tam fideliter cum unico filio suam hæreditatem divisit, sicut ego omnia bona mea, et meipsum tibi communicabo. Secundo, accipiam te, sicut amicus amicum carissimum, et tantam tibi exhibebo amicitiam quantam ullus ab amico suo potuit experiri. Nunquam enim tam fidelis amicus inventus est, qui aliquem fecerit aut facere possit amico suo dolum ; ego autem qui sum fidelis, et ipsa fidelitas sum, nunquam meis fraudem facere possum amicis. Tertio, suscipiam te sicut sponsus sponsam unice sibi dilectam, cum tanta deliciarum affluentia, omnique deliciositatum copia, quod nunquam sponsus tam dulciter sponsam suam allexit, sicut ego te suavissima blanditate delectabo, et torrente meæ divinitatis inebriabo. »

Quantum a Deo speraverit homo, tantum et plus accipiet.

Anima est Dei filia, amica et sponsa.

Et anima : « Quid dabis, inquit, eis qui tibi de his crediderint ? » Respondit : « Dabo eis gratificans cor, quo omnia

dona mea cum gratitudine suscipiant. Daboque eis cor amans, quo me fideliter diligant, et tertio, dabo eis cor, quo me semper in amore laudent more cœlestium, qui me in amore laudantes semper benedicunt. »

Quale cor accipient qui Domino de his crediderint.

---

## CAPUT VI.

### QUALITER CHRISTUS DEBEAT LAUDARI IN SINGULIS MEMBRIS SUIS.

NOCTE quadam, cum se ad sanctam Communionem orationibus et meditationibus præparet, vidit se quasi staret in conspectu Domini, quem dum præcordiali affectu laudare desideraret, dixit ad eam : « Aspice me : in lineamentis corporis mei lauda me. Lauda caput meum, hoc est, divinitatem meam, sicut scriptum est : *Caput Christi Deus.* (I. Cor. xi. 3.) Lauda frontem meam, hoc est imperturbabilem pacem et tranquillitatem meam ; quia in fronte apparet cum homo mente turbatur. Lauda oculos meos, id est, meæ divinitatis claritatem. Lauda aures meas, hoc est, misericordiam meam, quam toties precibus et miseriis hominum inclino, quas etiam nec minimus gemitus, qui non audiatur, valet præterire. Per nasi mei rectitudinem lauda justitiæ meæ rigorem, cui quidquid juste inciderit nunquam auferetur. Per nares meas, lauda delectabilitatis meæ amœnitatem, quia nihil adeo redolet amanti animæ sicut suavitas amoris mei. Per os, intellige sapientiam meam, quæ omnia bene et suaviter ordinavit. Per mentum, humilitatem meam, qua de cœlo in uterum Virginis me reclinavi. Per collum, liberalitatem patientiæ meæ, qua tuli onus peccatorum, non solum eorum qui tunc erant, sed omnium usque in finem sæculi

Minimum audit Deus gemitum hominis.

futurorum. Et per humeros meos, attolle quod crucem meam ipse bajulavi. Per dorsum, lauda me pro acri dolore quem sustinui flagellatus. Per Cor meum, extolle amorem et fidelitatem meam quam hominibus in summo demonstravi. Per manus et brachia mea, accipe opera et labores humanitatis meæ, quæ pro salute hominum aut pertuli aut peregi. Per latera mea, lauda me pro ineffabili dolore quem habui in lateribus, qui unus fuit de præcipuis doloribus meis, cum propter te distentus sum in cruce. Per genua mea, accipe orationis meæ devotionem; et per pedes meos, desideria mea in quibus omnibus diebus vitæ meæ pro salute hominum laboravi, et in siti cucurri. »

Per Cor Christi extollatur amor.

CONFESSIO PECCATORUM SOLI DEO FACIENDA POST CONFESSIONEM AD SACERDOTEM.

Si quis ergo libenter confitetur aut timet quod non bene esset confessus, qui tamen in conscientia sua nihil inconfessum inveniens, hanc confessionem laudis Deo faciat, et in qua parte se deliquisse deprehenderit, hoc Deo confiteatur, ita ut cum divinitatem laudibus extollit, se reum protestetur, quod Dominum in congrua reverentia non habuit, et quod in se imaginem Dei toties maculavit, memoriam suam terrenis et inutilibus occupando, rationem suam ad terrenam sapientiam curiose transferendo, et in caducis et in vilibus delectando. Item cum oculos divinæ claritatis extollit, conqueratur se Dei cognitionem, et sensuum suorum intelligentiam ad terrena vertisse. Similiter cum aures misericordiæ ejus collaudat, se reum proclamet quod verbo Dei nunquam ut debuit intendit, nec aures suas proximi precibus inclinavit. Ore etiam suo multoties peccavit, murmurando, vana et inutilia loquendo, et a verbo Dei et doctrina,

In quibus anima laudat Deum, in his seipsam reprehendat.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

oratione et cantu os suum claudendo. Jugum etiam quod in baptismo suscepit, toties impatientia abjecit, cum quidquid ei adversum evenerit, ferre noluit, aut invitus portavit. Insuper Religionis jugum, quod Deo coram Sanctis professus est, frangendo obedientiam, et non curando quasi dereliquit. Cum vero recolit quam inhumaniter Jesus Christus flagellatus est, culpam suam in hoc agnoscat quod corpus suum non castigavit, sed ei sæpius in pigritia consensit, et delicatius enutrivit. Corde quoque deliquit quod Deum totis præcordiis non amavit, nec legem Domini meditando, magis inutilibus cogitationibus se occupavit. Manibus etiam peccavit, mala faciendo et a bonis operibus vacando, specialiter a communibus misericordiæ et charitatis. Spirituales quoque pedes, hoc est affectus suos, multipliciter infecit, cum eos a Deo avertit, nec ipsum et cœlestia toto corde concupivit.

---

## CAPUT VII.

### QUALITER HOMO OMNES CREATURAS AD DEI LAUDEM INVITET.

Cum vice quadam valde laboriose cantasset, sicut pene frequenter solebat, et jam viribus defecisset, videbatur sibi quod omnem flatum quem spirabat de Corde Dei traheret, et ita non viribus suis, sed quasi divina virtute cantaret. Solita enim erat totis viribus Deo canere, et tam ferventi amore, ut sæpe videretur sibi quod si etiam ex hoc spiritum exhalaret, non tamen a cantu cessaret. Cum ergo tali unione cum Deo et in Deo canere videretur, dixit illi Dominus : « Sicut tu modo flatum tuum ex meo Corde trahere videris, sic omnis qui in amore meo aut me desiderando suspiraverit, non de suo sed ex meo divino Corde spiramentum trahit, sicut follis

Totis viribus solita erat B. Mechtildis Deo canere.

qui in se nullum continet flatum nisi quantum ex aere trahit. »

Cum autem hymnus *Benedicite omnia opera Domini Domino* in choro cantaretur, desiderabat scire quid ex hoc laudis Deus haberet, cum ita creaturæ ad laudem suam invitantur. Ad quod Dominus respondit : « Cum hic hymnus, vel aliud simile canitur, in quo creaturæ ad laudem convocantur divinam, omnes creaturæ spiritualiter, velut personæ quædam in mea præsentia stantes, pro homine illo, vel generaliter pro omnibus, in omnibus quæ feci sibi bonis, me collaudant. »

Quid reddunt creaturæ Deum per ipsas laudanti.

Non est discredendum si creaturæ in similitudine viventium personarum Deo assistant, cum nihil est impossibile ei qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, et cui nulla creatura invisibilis est ; sed hoc magis mirandum, imo venerandum, quod pius Dominus tam benigne annuit votis animæ se diligentis, et omnia desideria sua, etiam supra quod possibile est naturæ, in sua omnipotentia dignatur adimplere.

---

## CAPUT VIII.

### QUALITER HOMO COR DEI SALUTET.

Angelus Domini apparuit aliquando Christi famulæ, stans a dextris ipsius in viridi vestimento. At illa dum interrogaret cur viridi veste fulciretur, respondit Angelus : « Quia semper vireo, et nova quotidie dona tibi defero. » Cui illa : « Si hoc ita est, jam aliquid novi rogo mihi afferas. » Statim Angelus de corde animæ quasi aliquid tollens, Domino illud cum gaudio præsentabat ; anima vero mirabatur

scire cupiens quid Angelus ab ea tulisset, eo quod illa vice nil specialis devotionis aut fervoris sentiret. Et ecce vidit tulisse ab ea quasi chartam, quæ sanguine suo ita erat inscripta : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate ;* et illud : *mallem mori quam criminaliter a te separari.* Mane etenim dum cogitationibus infestata fuisset, illa hæc cogitaverat resistendo. Et ait Angelus ad eam : « Hoc tu hodie cogitaveras ; et hoc scias : quoties homo cogitationibus et desideriis suis resistendo, proponit in corde suo ante mori quam velle peccare, statim coram Deo acceptabitur, ac si homo virtutem illam opere perfecerit. »

Beatus qui vult potius mori quam peccare.

Tunc illa procidens ad pedes Domini, conquesta est quod omne tempus vitæ suæ inutiliter vivendo consumpsisset, proponens de cætero, si possibile esset, quod usque in diem extremi judicii vivere vellet, etiam in maximis pœnis et doloribus, in quibus homo vixit super terram. Cui Dominus : « Pro omnibus quæ neglexisti, ut ea plene recuperes, saluta Cor meum in divina bonitate, quia ipsum est fons et origo totius boni, et unde omne bonum procedit. Secundo, salute Cor meum in affluentia omnis gratiæ quæ effluxit, effluit et effluet in omnes Sanctos et animas salvandorum. Tertio, saluta venam illam dulcifluam benignissimi Cordis mei, quæ toties erumpens infudit et inebriavit animam tuam torrente meæ divinæ voluptatis. »

Cor divinum fons boni, salutis et gaudii.

---

## CAPUT IX.

### DE SALUTATIONE DOMINI, ET EJUS CONSOLATIONE.

Cum vice quadam animæ suæ Dilectum præcordialiter salutasset, ille respondit : « Cum me salutas, resaluto

te; cum me laudas, laudo meipsum in te, et cum gratias agis, ago et ego in te et per te gratias Deo Patri. » Tunc illa dixit : « Mi dilecte, quid est illa salutatio qua animam meam resalutas, cum non sentiam ? » Respondit : « Mea salutatio nil aliud est quam prædulcis affectus meus ad animam. Sicut enim mater filio in sinu suo blanditur, docens eum et proloquens ei quibus eam verbis salutet et alloquatur, quod dum puer nondum ex proprio affectu, sed secundum quod a matre docetur fecerit, ipsa tamen illud materno corde suscipit, et quandoque puero ex hoc osculum infigit ; sic et ego animam per divinam inspirationem et amoris commotionem instruo qualiter me salutet ; quod dum illa pro modulo suo fecerit, ego illud secundum magnitudinem paterni affectus suscipio, et ex hoc animam per gratiam meam resaluto, licet quandoque anima minime sentiat. »

Qualiter animam Deus resalutat.

### QUOD DEO BONA OPERA SAPIUNT, LICET HOMINI NON.

Hominem, licet sensu mobilem, Deus constanter amat.

Sciendum quod eodem modo, cum homo Deum laudat vel orat sive quodcumque facit, etsi ipsi non sapit, Deo tamen cui nec accrescit nec decrescit, sed immutabilis ipse perseverat, ideo minus non sapit, nec propterea minus acceptat ; qui nunquam nisi in semetipso et ex suo amore erga animam commovetur ; qui pro beneplacito suo et secundum quod animæ expedire novit, eam sua dulcedine allicit, et amore suo liquescere facit ; imo tunc quodammodo magis gratanter suscipit, qui nonnunquam animæ amantis erga se fidelitatem cupit experiri.

## CAPUT X.

### QUALITER HOMO COR SUUM AD DEUM ELEVET.

NOCTE quadam dum dormire non posset, dixit ad Dominum : « Eia, quam bonum, et quam aptum in hoc temporis silentio esset tecum fabulari. » Respondit Dominus : « Nunquam in tanta multitudine esse poteris, si toto corde ad me converteris, quin sola mecum sis. » Et ecce vidit quasi coronam in modum ciborii, de cœlo super lectum ejus descendentem, ita ut lectus ejus operiretur ex ea, facta ex albis et rubeis margaritis. Per rubeas margaritas significabatur sanguis Christi, qui ita ubertim effusus est, ac si nullius esset valoris. Per albas vero, innocentissima et sanctissima vitæ ejus conversatio. Dominus quoque in medio coronæ ad animam venit, dulcissimis amplexibus et ineffabilibus eam delicans verbis. Facies autem Domini sicut fulgur ignea ineffabili radiabat claritate : in quo illa intellexit quod animæ omnem pulchritudinem et decorem suum a vultus Domini contrahunt claritate.

Anima ubique cum Deo sola.

Vidit etiam Cor ipsius apertum, et extentum in quantitate duarum palmarum, ut flamma ardens, non tamen ignis speciem prætendens ; sed color ille mirabilis et inedicibilis erat formæ. Et ait Dominus : « Sic volui ut omnium hominum corda in semetipsis igne charitatis arderent. » Verbi gratia, cum homo solus est, cor suum semper ad Deum elevet, dulciter ipsi colloquendo ac medullitus ipsum desirando, et intima suspiria emittendo ; ut ex jugi confabulatione Dei cor ejus amore divino inardescat. Si vero cum hominibus est, Deo tamen semper, prout potest, intendat; de Deo cum ipsis libenter

Dominus vult corda omnium, ut Cor suum, ardere.

loquatur; sicque tam se quam alios accendit ad amorem. Item omnia quæ facit, propter Deum ad ejus laudem faciat; quidquid vero non licet, aut etiam non potest, similiter pro Dei amore libens dimittat. Omnia etiam quæ sibi adversa aut gravia sunt, pro Dei amore voluntarie suscipiens, supportet patienter.

---

## CAPUT XI.

### QUOD OPTIMUM EST GRATIA INFUSA FRUI.

Quæ tibi infunditur gratiam sequere.

ITEM docuit eam Dominus dicens : « Cum aliquam gratiam tibi dedero, omnia prætermittens, te exoccupa, quatenus infusa gratia liberius et expeditius perfruaris ; quia illa hora nihil melius aut utilius facere potes. Cum autem psalmos aut aliquam orationem quam Sancti in terris oraverunt legis, omnes Sancti pro te orant. Cum vero meditaris, vel mecum loqueris, omnes Sancti gaudentes me benedicunt. »

---

## CAPUT XII.

### DE TRIBUS DISPOSITIONIBUS CORDIS HUMANI.

ORANTE Christi ancilla, dixit ad Dominum : « O millies desiderate, utinam de ultimis terræ abyssis ad te gemere possem ! » Cui Dominus respondit : « Et quid hoc ibi proficeret ? ubicumque enim suspiriis tuis me tibi intrahis. Sicut ergo humanum cor absque aere vivere non potest,

sic anima absque meo spiritu minime vivens, velut mortua reputatur. Et sicut cor hominis tres habet meatus, unum aerem unde spirat, alium unde cibo et potu confortatur, tertium unde cæteris membris vires ministrat ; sic et cor animæ tres habet meatus. Per primum spiritum meum divinum intrahit sibi, unde vivat; per secundum vero, verbo Dei, scilicet prædicationibus et aliis scripturis sanctis, velut optimo cibo confortatur ; per tertium, charitatis operibus fortitudinem membris ministrat. Et quia anima membris propriis caret, Ecclesiæ membris, quæ velut sua reputat, ipsa charitatem impendat, scilicet pro justis et bonis laudes et gratiarum actiones Deo offerendo, pro mediocribus orando, ut in melius proficiant; pro malis ut convertantur; pro quolibet tribulato, ut secundum suam indigentiam consoletur ; pro animabus, ut citius purgatæ cœli gaudia adipisci mereantur. »

Dei Spiritu, verbo et opere vivit anima.

---

## CAPUT XIII.

### TRIPLEX INSTRUCTIO BONA ET UTILIS.

Item cum in oratione, Deo pro operibus nostræ redemptionis gratias ageret, pervenissetque ad illum articulum ubi gratias egit quod pro nobis baptizari dignatus est, dixit ei Dominus : « Ego te volo baptizare. » Statimque rivus magnus de Corde Dei cum impetu erumpens, animam ejus abunde perfudit. Et Dominus adjecit : « Ecce ego volo esse commater tua, et sicut commatres instruunt filias suas spirituales, ita et ego te tria docebo. Primum est, ut omnia quæ pateris adversa tam mentis quam corporis, non tibi sed mihi, ac si ego in te omnia sustineam, patiaris. Secundum est, ut omnia bene-

Quidquid sibi evenit anima Christo adscribat.

ficia hominum sive ministeria, cum hilaritate et gratitudine suscipias, ac si non tibi sed mihi ab eis impendantur. Tertium est, ut totaliter mihi vivas, ita ut omnia opera tua non tibi sed mihi adscribas, ac si nihil aliud sis quam vestimentum quo ego opertus, omnia tua opera in te peragam et disponam. »

---

## CAPUT XIV.

### QUALITER HOMO CHRISTI CONVERSATIONEM SIBI USURPET.

Inter Missarum solemnia, dum pigra esset et dormitaret, cum mœrore negligentiam suam Deo est conquesta; cui ille respondit : « Si nil invenires in te quod tibi displiceret, in quo bonitatem meam in te recognosceres ? » Tunc illa recordata est hominis cujusdam, quem sciebat contristatum; pro quo dum orasset, et competens a Domino responsum accepisset, inter alia multa Dominus dixit : « Et quare homo nollet accipere quod tam paratus sum illi offerre ? Omnem denique sanctissimam et innocentissimam conversationem meam qua vixi in terris, libentissime illi do, ut eam sibi assumens, omnia quæ ei desunt, ex meo suppleat. » Cui illa : « Si, inquit, dulcissime Deus, tantum placet tibi ut homo tua usurpet, mihi dic, rogo, qualiter homo hoc faciat. » Respondit : « Ut omnia desideria sua, intentionem atque orationem in unione desideriorum et orationum mearum offerat Deo Patri; tunc in tanta acceptatione ascendit coram Deo, eritque omnino unum, velut si diversa aromata simul accensa, quorum fumus in unum collectus cœlum directe ascendit. Sic oratio illa quæ in unione orationis meæ offertur, in similitudine optimi odoris

Omnia in unione Christi agamus.

ascendens, acceptissima erit Deo. Omnis alia oratio licet cœlum penetret, non tamen unione tali, nec tanta gratitudine acceptabitur coram Deo. Item ut homo omnem laborem et omnia opera sua in unione laborum et operum meorum faciat, a quo ejus opera ita nobilitantur, ac si cuprum cum auro liquatum, penitus a sua transiens vilitate, in auri nobilitatem mutaretur. Et sicut pugillus frumenti magno acervo tritici appositus multiplicatur, sic hominis opera quæ in se nil sunt, ex adjunctione meorum operum augmentantur, et in melius commutantur. Tertio, ut homo omnem vitam suam, scilicet motus, vires, sensus, cogitationes, verba et omnia sua secundum modum conversationis meæ dirigat, a quo ejus vita et conversatio ita renovatur et nobilitatur, ac si nobilis avis de lutoso ac fœtenti aere transmigrans, in optimum aerem se renovaret. Sic homo terrestris a pristina conversatione sua in novitate vitæ meæ totus efficitur cœlestis, et mihi counitur. »

Homo terrestris per Christum cœlestis efficitur.

Igitur, charissimi, hanc dignantissimam divinæ nobilitatis dignationem præcordiali gratitudine suscipientes, usurpemus nobis sanctissimam Christi conversationem in supplementum omnium quæ nobis in meritis defuerint. Studeamus etiam ipsi, in quantum possumus, in virtutibus conformari, quia hæc summa nostra gloria erit in æterna beatitudine. Quæ enim major esse poterit gloria, quam lucis æternæ candori quadam similitudine propinquare !

## CAPUT XV.

### QUALITER CHRISTI MEMBRA NOBIS VELUT SPECULA LUCENT.

Impedimenta tamquam Dei nuntii suscipienda.

Hæc Dei ancilla die quodam compulsa est conqueri beatæ Virgini impedimentum quod in Dei servitio se videbatur habere. Cui beata Virgo : « Vade, inquit, et sta coram Filio meo cum reverentia. » In quo verbo agnovit quod homo omnia impedimenta quæ sibi evenire possunt in divino servitio, sive per hominum mores, sive a semetipso, in visu, vel auditu, vel desiderio, vel per memoriam actarum rerûm, hæc omnia debet suscipere tamquam nuntios Domini sui, et eis cum reverentia obviare, et in Deum dirigere, in ipsum refundendo per laudem et gratiarum actionem.

De Corde Domini profluunt ipsius opera.

Tunc illa procidit ad pedes Domini, et cum se elevaret, visum est sibi videre duo specula ante genua Dei, et vestimentum ejus plenum esse speculis, et in pectore speculum valde perlucidum, a quo videbatur sibi omnia specula effluxisse quæ primò viderat. Per quod cognovit quod omnia Christi membra in operibus suis nobis velut specula lucent, et omnia opera ejus de Corde ejus ex amore processerunt. Pedes enim ejus lucent nobis, id est ejus desideria, in quibus debemus agnoscere quam tepida sunt desideria nostra ad divina, quam inutilia ad humana. Genua Christi sunt nobis specula humilitatis, quæ toties in oratione pro nobis curvata sunt, et in ablutione pedum Apostolorum. Ibi possumus agnoscere superbiam nostram, quæ non sinit nos humiliari, qui pulvis sumus et cinis. Cor Christi est nobis speculum ardentissimi amoris,

in quo perspicere possumus teporem cordis nostri erga Deum et proximum. Os Christi nobis est speculum suaviloquiorum laudis et gratiarum actionis ; in quo agnoscimus inutilitatem verborum nostrorum , et omissionem divinæ laudis et orationis. Oculi Domini sunt nobis specula divinæ veritatis : ibi agnoscere valemus tenebras nostræ infidelitatis, quæ nos impediunt a cognitione veritatis. Aures Domini sunt nobis specula obedientiæ ; qui sicut semper paratus fuit ad obediendum Deo Patri, ita semper est inclinatus ad nostras preces.

---

## CAPUT XVI.

### QUALITER HOMO SECUNDUM PLACITUM DEI VIVAT.

Die quadam post Communionem sanctam , cum scire cuperet quid ab ea Dominus vellet, tale ab eo responsum accepit : « Egrediamur in agrum. » Statimque visum est sibi quasi esset in campo magno , ubi diversæ erant species rosarum, liliorum , violarum et aliorum florum. Per rosas significabantur Martyres ; per lilia , Virgines ; per violas et alios flores, Viduæ et alii Sancti. Visus est etiam ibi ager pulcherrimi frumenti, in quo Dominus sedebat, quasi frumento a quatuor partibus conclusus , ostensumque est illi quasi ager ille significaret omnem fructum qui de humanitate Christi Ecclesiæ provenisset. Philomelæ quoque et alaudæ dulcissimis vocibus concinentes , circa Dominum volitabant : philomelæ designabant animas amantes ; alaudæ vero eos qui bona opera cum hilaritate et suavitate cordis faciunt. Videbatur etiam sibi quod columba sederet in sinu Domini ; quæ significabat sim-

Philomelæ, alaudæ et columbæ in agro Dei, quid significant.

plices, qui dona Dei simplici corde suscipiunt, nec discutiunt opera Dei, nec hominum; in quibus Dominus maxime delectatur. Illa vero desiderans scire quid designarent quatuor partes quæ in specie domunculæ Dominum concluserant, per spiritum intellexit notari conversationem Christi in terris, quæ in quatuor partes erat divisa, secundum quas ipsa deberet regere cor suum. Primo enim fuit Christus semper fervens corde: ita ipsa, cum sola esset, semper intendere soli Deo deberet, sive per considerationem ejus divinitatis vel operum ejus humanitatis, aut meditando de his quæ Deus fecit in Sanctis suis, vel quæ sibi ipsi per misericordiam suam divinam infudit. Secundo, Christus fuit cum omnibus sociabilis et mitis; ita ipsa esse deberet amicabilis et mitis, neminem mordaci lædens verbo; sed verba ejus semper esse deberent de factis Christi, aut exemplis Sanctorum aut utilitate proximorum. Tertio autem fuit Christus utilis in omnibus operibus suis, tam in sanatione corporum quam animarum; sic ipsa deberet intendere ut omnia opera sua studiose faceret cum suavi et hilari corde. Quarto, Christus fuit patientissimus in omnibus persecutionibus et passionibus suis; ita ipsa ad omnes pœnas et injurias esse deberet, benigne tolerando, sicut ovis quæ cum in pascuis est, sæpe balat; cum ad mactandum trahitur, coram carnifice silet: sic anima fidelis, cum nullum sentit gravamen, timere debet; sed cum tribulatur, sive in corde sive in spiritu, maxime secura erit.

Christus fuit humilis, sociabilis, utilis ac patientissimus.

Tunc illa orabat Dominum, ut se instrueret quomodo singulis horis secundum beneplacitum suum vivere posset. Cui Dominus: « Mane cum surgis, cor tuum mihi offeras ad infundendum meum divinum amorem. In Missa, mecum esse debes quasi in convivio, ubi omnes conveniunt, et nullus excipitur, sed omnes suas expensas, id est, orationes,

comportant : ibi ego Dominus liberalitate divinæ meæ majestatis omnia vulnera sano, peccata relaxo, omnium virtutum paupertatem dito, et omnium afflictiones relevo. » Et anima : « Domine, quid agis cum oro, vel psalmos lego ? » Cui Dominus : « Ego ausculto ; cum vero cantas, chordam meam ad tuam trico; cum operaris, ego requiesco ; et cum sollicitius et studiosius laboras, ego dulcius in te quiesco. Cum tu comedis, ego laboro ; quia tu me et ego te pasco ; cum dormis, ego vigilo et te custodio. »

Christus cum anima usque operatur.

---

## CAPUT XVII.

### QUALITER HOMO COR DEI SALUTET, ET COR SUUM DEO OFFERAT, ET SENSUS SUOS COMMENDET.

« MANE cum primo surgis, saluta florens et amans Cor dulcissimi amatoris tui, a quo omne bonum, omne gaudium, et omnis felicitas effluxit in cœlo et in terra, effluit et effluet sine fine[1]; et cor tuum totis viribus ejus Cordi infundere conare, ita dicens : Laudo, benedico, glorifico et saluto dulcissimum et benignissimum Cor Jesu Christi, fidelissimi amatoris mei, gratias agens pro fideli custodia, qua me hac nocte protexisti, et pro me laudes et gratiarum actiones et omnia quæ ego debebam Deo Patri incessanter persolvisti. Et nunc, o unice amator meus, offero tibi cor meum, ut rosam vernantissimam, cujus amœnitas tota die oculos tuos alliciat, et ejus fragrantia divinum Cor tuum delectet. Offero etiam tibi cor meum, ut eo pro scypho utaris, unde tuiipsius dulcedinem bibas, cum omni quod hoc die in me operari dignaris. Insuper offero tibi cor meum, ut optimi saporis malogranatum, et tuo regio con-

Laudes Cordis Jesu.

1. In cor tuum. *Ed. teutonica Lips.* 1503.

decens convivio, quod comedendo sic trajicias in te, ut de cætero se feliciter sentiat intra te : orans etiam ut omnis cogitatio, locutio, operatio et voluntas mea secundum beneplacitum tuæ benignissimæ voluntatis hodie dirigatur. »

Cor Sponsæ in Dilectum transit.

« Deinde signa te crucis signo, dicens : In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Pater sancte, in unione amoris amantissimi Filii tui, commendo tibi spiritum meum. Quod verbum etiam ad singula opera tua cum ea incipis repetas, sive cum intras chorum, vel cum horas inchoas, vel cum vis orare ; et credas Deo, quod opus illud quod tunc agis nunquam valeat deperire. Commenda etiam visum tuum, tam interiorem quam exteriorem, divinæ sapientiæ ; orans ut lumen cognitionis tibi donet, quo voluntatem ejus, et omnia sibi placita agnoscere valeas. Auditum etiam tuum divinæ commenda misericordiæ, orans ut intellectum tibi ad omnia quæ illa die auditurus es, tribuat, et a nocivo visu et auditu te protegat. Os quoque et vocem divinæ commenda fidelitati ; orans ut tibi gustum divini Spiritus sui infundat, quo omnia quæ illa die proferre debes, tibi sapiant, et os tuum in ejus laudes et gratiarum actiones aperiat, et etiam ab omni peccato custodiat. Manus vero tuas divinæ pietati commenda ; orans ut opera tua suis apponat operibus et in ei somnia tua sanctificet et perficiat, et ab omni pravo opere retrahat. Cor etiam tuum divino amori commenda ; orans ut illud divino Cordi suo cum omni delectatione intrahat, et in amore suo ita succendat, ut nunquam terrenum gaudium vel delectationem amplius sentire valeat. Similiter in Missa cor tuum offeras Deo, et ante Secretum depura illud, et ab omnibus terrenis exoccupa, et præpara te suscipere effluxum divini amoris, qui omnium præsentium corda influit et replet incessanter. »

Sensus suos divinis perfectionibus commendat.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

Sic enim hæc ancilla Dei vidit in Missa Cor Jesu Christi dulcissimum in similitudine lampadis, perlucidum ut crystallum, ardens ut flamma ignis, et ex omni parte circumquaque ex abundanti dulcedine supereffluens; omnium corda qui aderant cum devotione, melliflue instillabat. Ignis significabat ardorem divini amoris, quo se Christus pro nobis obtulit Deo Patri in ara crucis; dulcedo vero effluens, abundantiam et copiam omnis boni et felicitatis quam in Corde suo nobis donavit: quia in eo omnia nobis salutaria et necessaria habemus, scilicet in laude et gratiarum actione, in oratione, in amore, in desiderio, et in satisfactione, et omnium negligentiarum nostrarum suppletione.

Cor divinum ut lampas ardens et effluens.

---

## CAPUT XVIII.

### QUID HOMO PRO NEGLIGENTIIS SATISFACIAT, ET QUOD DOMINUS SEPTEM MODIS VENIT IN MISSA.

Alia autem vice, cum pro una persona Dominum oraret, et quid pro ejus negligentiis acceptare vellet, inquireret, tale a Spiritu Sancto responsum accepit: « Ipsa quotidie tria *Laudate Dominum omnes gentes* legat. Mane, unum dicat, accipiatque puerum Jesum in dextera sua, representans ipsum Deo Patri cum omnibus operibus infantiæ et pueritiæ suæ, in suppletionem omnium bonorum quæ in pueritia neglexit. Secundum legat in Missa, accipiendo Dominum Jesum velut sponsum animæ suæ, reddat se culpabilem coram Deo Patre quod tanto et tali sponso vicem amoris et fidelitatis, nec debitam reverentiam unquam exhibuit, recolens etiam quanta bona ab eo gratis accepit; quia pauper et vilis erat,

sed ipse eam bonis omnibus abundare fecit; offerens Deo Patri ferventissimum amorem quo Christus floruit et omni virtute viruit in sua juventute.

Tunc illa suæ paupertatis memor effecta, dixit ad Dominum : « Eia, quam pauper et vilis sum sponsa, quæ nec annulum habui, quo tibi fidem meam consignarem, nisi a te acciperem ! » Statim ostendit ei Dominus annulum tantæ amplitudinis, ut Dominum et animam insimul circumcingeret, habens septem gemmas speciosas. Per has gemmas, septem modos designari intellexit, quibus Dominus venire dignatur in Missa. Primus est quod Dominus cum tanta humilitate illuc venit, quod nullus tam vilis ibi adest, quin ad ipsum humiliter se inclinet, et ad ipsum veniat, si tantum homo ipsum velit. Secundus est quod cum tanta patientia venit, quod nullus peccator aut ejus inimicus ibi est, quin ipsum illic sustineat patienter, et si ei reconciliari velit, lætissime omnia debita sua ipsi dimittat. Tertius est quod tanto amore illuc venit, quod nullus adeo frigidus et obstinatus ibi est, quin ipsum si tantum velit, in amore suo valeat inflammare, et cor ejus emollire. Quartus est quod tam largiflua liberalitate venit, quod nullus adeo pauper est, quem non possit copiose ditare. Quintus est quod se tam dulcissimum et deliciosissimum, et sufficientissimum cibum omnibus præbet, quod nullus tam æger, aut tam famelicus illic est, quin ab eo valeat refici et abunde satiari. Sextus est quod tanta claritate venit, quod nullius cor tam cæcum et tenebrosum est, quod sua præsentia non valeat illustrari et mundari. Septimus est quod tam plenus sanctitate et gratia illuc venit, quod nullus adeo segnis et indevotus ibi adest, quin a suo torpore valeat excitari et ad devotionem incitari. »

Annulus Dominum et animam simul circumcingit.

« Tertium *Laudate Dominum* legat in vespere, accipiendo Dominum Jesum cum conversatione tota perfectissima sua ; repræsentet eum Deo Patri pro omnibus quæ

Vita Christi nostram supplet.

neglexit in vita sua : orans per ipsum omnia imperfecta sua plene suppleri. Insuper si omnia deperdita, depravata sive neglecta sua sufficienter recuperare voluerit, sæpius accedat ad illud prænobile et dignissimum sacramentum corporis Christi, quod omnia in se continet bona, omnisque gratiæ est inventivum.

---

## CAPUT XIX.

### QUOD BONUM SIT MISSÆ INTERESSE.

Die quadam cum præ debilitate longius ire non valens, Missam in ambitu audiret, ingemuit, conquerendo se Deo esse remotam. Cui Dominus statim respondit : « Ubicumque tu es, ego sum. » Tunc illa requisivit si aliquid obesset quod homines de longe Missam audirent. Cui Dominus : « Bonum est ut homo præsens sit ; quod dum nullo modo potest, sic tamen prope sit, ut verba valeat audire ; quia secundum quod Apostolus dicit : *Sermo Dei vivus est et efficax et penetrabilis*. (Heb. iv. 12.) Verbum enim Dei animam vivificat, infundens ei spirituale gaudium, sicut etiam apparet in hominibus laicis et idiotis, qui licet non intelligant quæ leguntur, sentiunt tamen gaudium Spiritus, et inde ad pœnitentiam animantur. Verbum etiam Dei efficacem reddit animam ad virtutes, et quæque bona, et penetrat eam, omnia ejus interiora illustrando. Sed cum infirmitate vel obedientia, vel alia rationabili de causa præpeditur, ubicumque tunc homo est, ibi eidem præsens et cum illo sum. »

Verbum Dei etiam simplices penetrat.

Tunc illa : « Eia mi Domine, modo mihi aliquid ex præsentibus Missæ verbis dona, unde anima mea spiritualiter

consoletur. Cui Dominus : « Ecce jam mihi canitur ter *Agnus Dei* : in primo me offero Deo Patri cum omni humilitate et patientia mea pro vobis ; ad secundum, offero me cum omni amaritudine passionis meæ in plenam reconciliationem. Ad tertium, cum toto amore divini Cordis, in supplementum omnium quæ homini desunt bonorum. » Dixit etiam Dominus : « Dico tibi : qui Missam devote et studiose audierit, in extremis ejus tot nobiles Sanctorum meorum personas in ejus consolationem et defensionem, ad animam ejus cum honore deducendam, sibi transmittam, quot Missas in terris audivit. »

Se Christus ter offert cum canitur *Agnus Dei*.

Item cum vice quadam ad Missam iret, vidit Dominum de cœlo in candidissima veste descendentem et dicentem : « Cum homines ad ecclesiam properant, pœnitentia, pectoris tunsione et confessione se deberent præparare ; sic meæ divinæ claritati possent obviare, et eam in se recipere, quæ per hujus vestis candorem declaratur. »

Homines ad ecclesiam contriti accedant.

---

## CAPUT XX.

### QUALITER HOMO TORPOREM DEPELLAT, ET SOMNUM.

Pia hæc et devota Virgo, miro modo anhelans cœlestia, cum tempore æstivo Sorores quasdam in Missa pigritantes et dormitantes videret, zelo accensa justitiæ, simul et pietatis ducta affectu, dixit ad Dominum : « Eia Domine Deus, quid est quod miser homo tam fragilis est, ut nec cum divinis interest, a somno valeat abstinere ? » Ad quod Dominus respondit : « Si cogitarent cœlestia, aut etiam inferni pœnam, somnus ab eis bene fugaretur ? Et

illa : « Quibus datum non est ut hoc facere sciant, quid facient ? » Respondit : « Si quis habet amicum sibi valde dilectum, doleret si ab ejus familiaritate semotus esset. Quisquis igitur cogitat qualiter ego fidelissimus et amicissimus amicus ejus sim , cum ad me pervenerit, omnia secreta mea ipsi pandam, in tantum ut ultra nil cupiat aut velit scire, juste cor ejus excitaretur ad delectandum in me. Qui etiam cogitaret qualiter ego omnis suavitatis dulcor ero ei, et sapor secundum omne cordis sui delectamentum, et quam potens et liber in mea libertate fiet, etiam mei potens effectus, cum omnia quæ voluerit, in me plenissime poterit : hæc recogitata merito ab homine somnum fugarent. »

Memor sit homo cœli et inferni.

Post dulcia ergo Dei et animæ colloquia , dixit Dominus ad eam : « Ecce tuus et in tua potestate sum ; duc ergo me quo volueris. » At illa eum deduxit per chorum ad Sorores, ubi singulis dulcem exhibuit affectum, quasi unicuique aliquid daret. Interrogante autem illa quid eis dedisset, ait : « Afflatum Spiritus mei. » Cui illa : « Et quid hoc eis proderit ? » Respondit : « Ex afflatu Spiritus mei divini anima quamdam sentit dulcedinem in qua me sapit ; cui si homo consenserit, et cor suum ad magis recipiendum habilitaverit, nascitur exinde gratitudo. Quam si homo exercuerit, sicut omnia dona Dei cum gratitudine suscipiens, pro singulis gratias agat, prorumpit exinde in opus bonum : sicque fit homo de die in diem proficiens in virtutes, donec omnibus bonis abundet.

Per chorum Dominus sorores afflat.

## CAPUT XXI.

### QUALITER HOMO FACIEM ANIMÆ SUÆ CONTEMPLETUR, SPECIALITER DUM VULT COMMUNICARE.

COMMUNICATURA vice quadam, cum se indignam et imparatam reputaret, dixit ei Dominus : « Ecce me ipsum totum tibi ad omnem præparationem dabo. » Et posuit Cor suum ad cor animæ, et caput suum super caput ejus reclinabat. Tunc illa dixit : « Mi Domine, ex claritate vultus tui illumina faciem animæ meæ. » Cui Dominus : « Quid est animæ tuæ facies ? » Ad quod illa cum reticeret, ait Dominus : « Facies animæ tuæ est imago sanctæ Trinitatis. Hanc imaginem anima in mea facie velut in speculo jugiter contempletur, ne forte macula reprehensibilis inveniatur. »

Facies animæ est imago SS. Trinitatis.

In quibus verbis illa intellexit, quod cum homo memoriam suam terrenis et cogitationibus inutilibus occupat, hanc imaginem in se maculat. Similiter cum rationem suam, sive intellectum ad terrenam sapientiam et curiositatem convertit, animæ suæ faciem inficit. Cum autem etiam a voluntate Dei discordat et aliquid præter Deum amat et delectatur in transitoriis, imaginem Dei in se vitiat. Quia ergo anima, quamdiu in corpore est, frequentius a terrenis maculas contrahit, oportet ut in speculo, hoc est in Dei facie, ubi similitudinem suam indepravatam lucidissime conspicit, vultum suum sæpius speculetur, specialiter cum voluerit Dominicum percipere sacramentum. Et sicut candor et rubor sponsæ faciem multum exornant, studeat anima frequentius se confessione abluere, et jugi recordatione

Christi passionis, quasi colore roseo, vultum suum decorare.

---

## CAPUT XXII.

### QUALITER SE HOMO AD SANCTAM COMMUNIONEM PRÆPARET.

ALIA vice cum esset communicatura, dixit ad Dominum: « Eia dulcissime Deus, doce me qualiter me præparem ad tui venerandi corporis et sanguinis imperiale convivium. » Ad quod Dominus respondit: « Quid fecerunt discipuli mei, quos misi ante faciem meam præparare Pascha, cum ante passionem cum ipsis eram cœnaturus? » Statimque visum est sibi quasi esset in domo miræ magnitudinis, in qua mensa erat aurea, et mensale desuper positum, eratque referta diversis vasorum generibus. Et ait Dominus: « Hæc domus amplitudinem immensæ largitatis meæ designat, quæ omnes ad se venientes liberaliter suscipit et ovanter. Qui igitur voluerit communicare, ad largitatis meæ confugiat clementiam, et ipsa eum velut mater benignissime suscipiens, a malis proteget universis. Mensa est amor, ad quem communicaturus securum debet habere accessum, qui omnem animæ inopiam ex participatione et communione omnium bonorum copiose ditabit. Mensale est pietas mea, quæ sicut mensale tractabilis est et lenis, et valde ad hominem inclinata. Ad hanc etiam homo securum habebit confugium, quia recordatio suavitatis meæ et pietatis homini ad obtinendum omnia saluti suæ necessaria reddet ausum. »

Ad Dei pietatem confugiat communicaturus.

Supra mensam visus est agnus nive candidior, qui ut pede suo tetigit vasa, mox diversis cibis et poculis replebantur. Hic agnus Christus erat, qui solus animæ cibus est et refec-

Misericordia et charitas ad mensam Christi ministrant.

tio vera. In hac domo erant duæ virgines pulcherrimæ ministrantes, misericordia videlicet et charitas. Misericordia erat janitrix, quæ omnes advenientes benigne intromittens, ad mensam illam ponebat. Charitas vero discumbentibus ministrabat, eratque omnium illuc venientium largiflua propinatrix.

---

## CAPUT XXIII.

### QUALI DESIDERIO HOMO AD SANCTAM COMMUNIONEM DOMINI ACCEDAT.

Item cum signum poneret communicatura, dixit ad Dominum : « Scribe, dulcissime Domine, nomen meum in Cor tuum, nomenque tuum mellifluum cordi meo per jugem memoriam inscribe. » Ad quam Dominus dixit : « Dum vis communicare, tali intentione me suscipias ac si omne desiderium et omnem amorem quo unquam humanum cor flagravit haberes, sicque in altissimo amore, quo possibile est humanum cor affici, ad me accedas, egoque amorem illum in te suscipiam, non prout est in te, sed velut si talis ac tantus esset, quantus tu eum esse volebas. »

### DE SEPTEM GEMMIS PRETIOSIS.

Alia vice cum idem signum poneret, dixit : « Scribe, Domine, nomen meum in Cor tuum. » Statim visus est ei Dominus quasi habere litteras aureas, septem gemmis ornatas in pectore suo ; viditque litteram primam nominis sui, et agnovit ejus significationem. Deinde requirens nomina

quarumdam quæ se orationibus suis commendaverant, invenit etiam primas litteras nominum earum septem gemmis adornatas. Prima designat cordis munditiam; secunda, assiduam memoriam conversationis et verborum Christi ; tertia humilitatem ; quarta, incrementum bonorum operum ; quinta, patientiam in adversis ; sexta, spem ; septima, cœlestium amorem. His enim communicans esse debet insignitus.

Mechtildis nomen in Corde Domini inscribitur.

---

## CAPUT XXIV.

### QUALITER HOMO AD COMMUNIONEM ACCEDAT.

ANCILLÆ Christi moris erat, ut dum communicare vellet, Christi passionem diligentius recogitaret ; et si quando hoc negligebat, graviter se deliquisse timebat, eo quod Dominus dixerat : *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. xxii. 19.) Unde cum Dominum orasset ut hujus verbi sibi sensum exponeret, sic intelligendum per Spiritum Sanctum est edocta :

*Hoc facite in meam commemorationem* : Tria sunt nobis memoranda tempore sanctissimæ communionis corporis Christi. Primum est æternus ille amor quo nos Deus, cum non essemus, amavit, prævidens omnem defectum nostrum et perfidiam ; et tamen nos creare dignatus est ad imaginem et similitudinem suam ; pro quo merito gratias referamus. Secundum est amor ille inæstimabilis quo Filius Dei, cum esset plenus deliciis in Patris gloria, inclinavit se cum sua infinita majestate ad omnem nostram miseriam, quam patimur in vinculis Adæ : famem, frigus, æstum, lassitudinem, tristitiam, opprobria, pœnam et mortem turpissimam. Quæ

Tria memoranda tempore Communionis.

omnia sustinuit ineffabili patientia, ut nos ab omni liberaret miseria. Tertium est amor ille inscrutabilis, quo nos singulis momentis respicit, et fovet cura piissimæ paternitatis, ita quod ille, qui est creator noster et Dominus redemptor, et frater dulcissimus semper adstans Patri pro nobis, cuncta nostra disponit, et promovet negotia, tamquam advocatus et minister fidelissimus. Hæc tria singulis merito horis sunt habenda in memoria, sed specialiter tunc cum intersumus cœlesti convivio, quod nobis donavit amator noster amantissimus, pro inæstimabilis amoris testamento merito semper recolendo.

---

## CAPUT XXV.

### DE TRIPLICI UNGUENTO ANIMÆ.

Cum pro quadam orasset, quæ sibi conquesta fuit quod minus devotionis sentiret dum communicaret, hanc doctrinam ex Deo sibi dedit: « Quando volueris communicare, si cor tuum sentis tepidum ad orationem, nec habens tale desiderium et amorem prout dignum est, clama toto corde ad Deum, et dic: *Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.* (Cant. i. 3.) In hoc verbo *trahe*, cogita quam potens et immensus fuit amor, qui omnipotentem et æternum Deum ad tam ignominiosum crucis traxit supplicium; desiderans ut ipse qui dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (Joann. xii. 32), cor tuum trahat cum omnibus viribus animæ tuæ in seipsum, et faciat te currere cum amore et desiderio in odore trium unguentorum illorum, quæ de sui dulcissimi Cordis nobilis-

sima apotheca tam large profluxerunt, quod cœlum et terram impleverunt. Primum est aqua illa rosacea quam amor divinus ex rosa illa nobilissima, Dominico scilicet pectore, in camino decoxit charitatis: hoc unguento utaris pro ablutione faciei animæ tuæ, recogitans diligenter, si aliquam invenies peccati maculam, quam ores ablui hoc fonte misericordiæ quo latronem lavit in cruce. Secundum unguentum est vinum illud rubeum, sanguinis scilicet sanctissimi, quod torcular expressit in cruce, et cum aqua eduxit de Cordis ejus roseo vulnere; ex quo petas animæ tuæ faciem colorari, ut tanto convivio possis digne aptari. Tertium est superéminens et superaffluens divini Cordis inæstimabilis dulcedo, quam nec mortis potuit minuere amaritudo; et dicitur unguentum balsamiticum, omnem vincens odorem aromaticum, et valet ad omnem animæ languorem. Hoc unguentum petas infundi cordi animæ tuæ, ut gustet et sentiat quam suavis est Dominus, et gustata ejus suavitate impingueris, dilateris, et incorporeris ei qui se tibi talem dedit per amorem. Et cum nullam ex omnibus prædictis sentis suavitatem, petas ut in dulcissimo et fidelissimo amatore tuo perficiatur, et ut ipsi sapiat tua insipiditas, ac in ipso fervescat omnis tua tepiditas; ipseque solus glorificetur in omnibus operibus tuis, hic et in futuro. »

Cordis divini aqua lavat, sanguis ornat, dulcedo fovet animam.

---

## CAPUT XXVI.

### QUAM BONUM EST HOMINEM SÆPIUS COMMUNICARE.

Cum etiam oraret pro quadam quæ sæpius communicare trepidabat, Dominus respondit: « Quo sæpius homo communicat, eo purior anima efficitur, sicut quo frequentius

quis aqua abluitur, eo mundior redditur. Quo etiam sæpius communicat, eo amplius ego in eo et ipse in me operatur, et ejus opera magis sanctificantur. Et quo studiosius homo communicat, eo profundius mihi immergitur, et quanto plus divinitatis penetrat abyssum, tanto amplius anima ejus dilatatur, et capax divinitatis efficitur. Sicut quo sæpius aqua in unum defluit locum, eo profundius ipsum cavat, et ad magis influendum reddit aptiorem. »

Per communionem anima Deo immersa ac dilatata.

---

## CAPUT XXVII.

### QUALITER COR HOMINIS CORDI DEI SIT UNITUM.

Dum vice quadam sacratissimi corporis Christi percepisset sacramentum, post dulcia cum ipso colloquia, visum est ei quasi Dominus acciperet cor animæ et comprimeret illud Cordi suo, ita ut in unam redigerentur massam. Et ait : « Sic volui ut hominum corda mihi per desideria essent unita sic, ut homo nihil sibi desideraret, sed omnia desideria sua secundum Cor meum disponeret, sicut duo venti insimul flantes unum aerem spirant. Secundo, uniri mihi debet in omni operatione sua, ut verbi gratia, cum dormire sive comedere debet, dicat in corde suo : Domine, in unione amoris quo istud commodum mihi creasti, et ipse in terris tali commodo uti voluisti, tibi in æternam laudem, et corporis mei suscipio necessitatem. Similiter in injuncto sibi opere faciat, dicens : Domine, in unione amoris quo te in laboribus exercere dignatus es, et adhuc in anima sine intermissione operaris, et nunc mihi hoc opus injunxisti, tibi ad laudem pro utilitate universitatis illud facio, quia dixisti :

Cor hominis divino unitur per desiderium opera, et voluntatem.

*Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv. 5), orans cum tua perfectissima operatione uniri et perfici, sicut stilla aquæ magno immissa fluvio, omnia quæ flumen illud agit, etiam insimul operatur. Tertio, per voluntatum concordiam, sic ut omnia quæ ego volo, etiam ipse velit, tam in adversis quam prosperis : sicut electrum igne conflatum amplius non dividitur, sic homo ille unus per amorem mecum spiritus efficitur, quod maximæ perfectionis sive virtutis est in hac vita.

---

## CAPUT XXVIII.

### DE SCRINIO TRIPARTITO COR HOMINIS SIGNIFICANTE.

Item post Dominici corporis perceptionem, vidit coram se stare scrinium auro et gemmis mirabiliter ornatum, interius vero candidissimum et tricameratum. In superiori parte erant contenta vasa aurea; infra, vestimenta pretiosa ; in inferiori autem parte, cibus delicatissimus. Per scrinium significatum est cor hominis, amore virtutum et bonis operibus redimitum. Per vasa aurea in superiori cella reposita, Sanctorum corda, quæ parata fuerant recipere Spiritus Sancti gratiam ; quæ semper imitari debemus, habilitando corda nostra ejusdem Spiritus Sancti gratiæ. Per candorem autem interiorem, signatur quod anima volens Deo placere, cor mundum et ab omnibus terrenis liberum debet habere, non dijudicans facta hominum. Per vestes quæ in secunda erant cella designantur humanitatis Christi opera ; et hæc vestimenta erant quadruplicia : prima erant purpurea, aureis trifoliis ornata ; secunda erant viridia , aureis rosis intexta ; tertia aerei coloris, aureis stellis inserta ; quarta vero rubea, aureis liliis redimita.

Corda Sanctorum, vasa gratiæ.

Et cum miraretur quid hæc designarent vestimenta, responsum accepit a Domino : « Qualem me vis habere in corde tuo, tali me indues vestimento. Cum enim meam laudas infantiam, totius Trinitatis majestatem in se continentem, vestimento me induis purpureo trifoliis aureis insignito. Cum vero rememoras adolescentiam, veste me induis viridi aureis rosis ornata, designans delicias divinitatis meæ, quas homini communicare adveni, secundum illud : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (Prov. viii. 31). Ego enim Filius Dei in omni plenitudine divinitatis exstiti filius virginis et hominis, et illi soli Virgini matri plene communicavi delicias meæ divinitatis. » Tunc illa : « Cur, amantissime Domine, te vivente de his deliciis tam parum homines perceperunt ? » Et ille : « Nondum poterant quousque passione mea et morte eis illa comparavi. » Et illa : « Quid, Domine, per rubea vestimenta signatur ? » Cui Dominus : « Passio mea rubricata sanguine ; et mors innocentissima expressa est per aurea lilia, quæ tu, cum rememoras, tali vestimento meinduis. » Et illa : « Quid autem notatur per cibum in inferiori parte contentum ? » Respondit : « Omnis gratiæ sapor, et delectamentum, quod anima recipere potest in hoc sæculo per Eucharistiæ sacramentum, quod est omnis gratiæ et suavitatis contentivum. Et omnis communicans hoc sacramentum cibat me, et ego eum. » Et anima : « Cur, Domine, hic cibus est in inferiori parte ? » Cui Dominus : « Quia sum inferior (*a*) omni intimo tuo. »

Christi vestes, ipsius opera.

Qui communicat cibat Christum et ab eo cibatur.

(*a*) interior. *Cod. Guelferbyt.*

## CAPUT XXIX.

### DE SEPTEM HORIS CANONICIS.

Ancilla Christi cum aliquando audiret prædicare de nuptiis, dixit ad Dominum : « Eia, dulcissime mi sponse, quam infidelis sponsa tibi omnibus diebus exstiti ; quia sponsalem amorem tibi, vero sponso meo, prout debui nunquam exhibui. » Cui Dominus statim cum ineffabili gloria et deliciis apparuit, dicens : « Contingere quandoque assolet, cum sponsi properant in regionem longinquam, ut in reditu sponsæ nuptias renovent. Sic et me facere oportet, quia amanti animæ una hora elongari a me gravior apparet, quam terrenæ sponsæ post amatorem suum mille anni. » Apposuitque Cor suum divinum ad cor animæ, dicens ei : « Nunc Cor meum tuum est, et cor tuum meum est. » Dulcissimoque amplexu et tota virtute sua divina sic animam illam sibi intraxit, ut unus cum eo spiritus effici videretur.

Cor meum tuum est et cor tuum meum.

Post hæc anima dixit ad Dominum : « Sponsa solet fructificare sponso suo ; quem ergo fructum, o floride sponse, tibi proferam ? » Cui Dominus : « Quotidie, inquit, septem mihi filios generabis. Cum igitur primo nocte, surrexeris, ob reverentiam illius amoris, quo me vinctum tradidi in manus impiorum, et quo factus sum obediens usque ad mortem, disponas in corde tuo obedire te velle ad omnia quæ tibi injunguntur, etiamsi die illo obedientiam opere perficere posses quam aliquis Sanctorum adimplevit. Circa Primam, ob reverentiam humilitatis qua coram indignissimo judice, velut agnus mansuetissimus, judicandus steti, subjicias te omni creaturæ propter me, et ad quæque vilia opera et humilia sis

parata. Ad Tertiam, ob amorem quo ego contemptus, conspu-tus et omni opprobrio saturatus, temetipsam contemnas et vilipendas. Ad Sextam, crucifigas tibi mundum, teque mundo; cogitans qualiter ego amator tuus pro amore cruci sum affixus, et ideo omnia mundi delectabilia et suavia, tibi velut crux sint amara. Ad Nonam, moriaris mundo et omni creaturæ, videlicet ut amarosa mors mea intimo cordi tuo dulcescat, et omnis creatura tibi desipiat et vilescat. Circa Vesperas, hora videlicet qua de cruce sum depositus, recoles in gaudio qualiter post mortem et omnes labores tuos felici requie in sinu meo pausabis. Ad Completorium quoque, memor sis unionis illius beatissimæ, qua unus spiritus mecum effecta, meipso in summa experientia perfrueris : quæ unio incipiet per voluntatis meæ et tuæ concordiam, in omnibus tam adversis quam prosperis, et in futuro complebitur per gloriam sine fine mansuram. »

Ad Horas memoria Passionis Christi.

---

## CAPUT XXX.

### DE TRIBUS QUIBUS HOMO INTER HORAS INTENDAT.

Si quis etiam Horas canonicas devote cantare voluerit, his tribus intendere studeat. Ab exordio Horarum usque ad psalmos laudans extollat abyssum humilitatis, quo illa excellentissima divinitatis majestas a summo cœlorum se inclinans, in vallem miseriæ nostræ humiliter se dejecit. In qua humilitate, Deus Angelorum factus est hominum frater et socius, imo et humilis servus, secundum quod ipse dicit : *Non veni ministrari, sed ministrare* (Matth. xx. 28), et ob reverentiam illius humiliationis inclinet se devote. Inter psalmos

vero, extollat inscrutabilem Dei sapientiam, quæ tam dignanter cum hominibus conversata, per semetipsam dignata est hominem salutaribus instruere verbis et monitis, gratias agens ei, dum inclinat, pro omni doctrina et verbis mellifluis, quæ unquam de Corde et ore ejus dulcissimo profluxerunt. Item gratias agat pro omnibus verbis Prophetarum, prædicationibus et dictis Sanctorum; quia et illa veraciter Spiritu Sancto instigante protulerunt. Item pro omni gratia et spirituali influxione, quam per semetipsum Deus homini secundum beneplacitum suæ voluntatis inspirare dignatur. Post psalmos usque ad finem Horarum, extollat dulcissimam benignitatem, in qua se exercuit in omnibus quæ fecit aut passus est; gratias agendo pro omnibus desideriis, orationibus et omnibus quæ fecit aut pertulit pro nobis; specialiter quidquid illa hora sustinuit ipsi gratias referamus.

Humilitas, sapientia et benignitas Domini.

---

## CAPUT XXXI.

### QUALITER HOMO HORAS SUAS INCHOET, ET QUID SIT MINIMUM BONUM QUOD HOMO FACERE POTEST.

Apparuit aliquando Dominus famulæ suæ in somnis, quem inter alia requisivit, si quemadmodum legitur de vitiis, quod nullum peccatum adeo leve sit, si veniat in usum, quin fiat mortale[1], etiam virtutes ex consuetudine factæ majoris meriti coram Deo reputentur. Cui Dominus: « Etiam nullum bonum adeo parvum est, quin ipsa consuetudine magnum appareat coram Deo. » Tunc illa: « Quid est minimum bonum in quo se homo utiliter et frequentius valeat exercere? » Cui Dominus: « Ut homo devote et

1. Quod non est intelligendum sensu theologico, sed moraliter tantum.

intente Horas suas legat; non quod hoc bonum minimum sit, sed quia minus esse non potest, quam ut homo debita sua persolvat. Cum ergo Horas inchoat, dicat in corde suo vel etiam ore : Domine, in unione qua ipse in terris Horas canonicas ad honorem Dei Patris tenuisti, hanc tibi Horam persolvo; et sic Deo in quantum potest intendat. Quod dum homo ex frequenti studio in usum portaverit, in tantum nobilitatur et magnificatur coram Deo Patre, ut quasi unum cum meo exercitio reputetur. »

In unione Christi Horæ persolvantur.

Post hæc cum die alio Dominus in oratione sibi appareret, interrogavit eum si revera Horas suas in terris tenuisset. Cui ille dignanter respondit : « More vestro eas legendo non tenui; attamen in ipsis laudes Deo Patri persolvi. Omnem ergo Christianorum observantiam in memetipso, sicut et Baptismum inchoavi, et pro eis tenui et complevi, sanctificans per hoc et perficiens omnia in me credentium opera. Unde et dixi ad Patrem : *Pro eis sanctifico meipsum ut ipsi sancti sint in me.* (Joan. xvii. 19.) Sicut etiam vos in septem Horis recolitis quæ passus sum in eisdem horis ; ita ego omnia quæ passurus eram, in mea præscivi sapientia, sicut testatur Evangelista dicens : *Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum.* » (Joan. xviii. 4.)

Omnem Christianorum observantiam Christus in terris tenuit.

---

## CAPUT XXXII.

### QUOMODO HOMO NEGLIGENTIAS SUAS SUPPLEAT.

Dum oraret pro quodam, qui sibi conquestus fuerat quod Horas indevote et alia cogitando frequentius diceret, tale a Deo responsum accepit : « Semper post finem Horarum hoc

1. Sic habet Evangelista : *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

adjungat : *Deus, propitius esto mihi peccatori ;* sive hoc : O Agne mitissime, miserere mei ; quatenus per hoc ejus negligentia suppleatur. » Tunc illa dixit : « Et quid si hoc facere neglexerit, ut scilicet hoc ad omnes Horas non dicat ? » Cui Dominus : « Si post Horas legere neglexerit, dicat illud saltem in die septies, hora qua voluerit pro sua negligentia. Si enim hoc verbum, *Deus propitius esto mihi peccatori* (Luc. XVIII. 13), in publicano tantum prævaluit, ut de omnibus peccatis suis justificari meruerit, cur non alius de negligentia sua veniam impetrabit ? Nam misericordia mea modo tantæ clementiæ est quantæ tunc fuit. »

---

## CAPUT XXXIII.

### QUALITER HOMO FIDEM SUAM DEO RECOMMENDET.

Si quis fidem suam Deo hoc modo recommendaverit, hanc gratiam ab eo consequetur, ut in fine vitæ suæ nunquam in vera fide tentetur. Primo igitur, homo fidem suam Patris omnipotentiæ recommendet, orans ipsam in virtute divinitatis sic firmari, ut nunquam a recta fide valeat declinare. Secundo, committat eam Filii Dei inscrutabili sapientiæ, orans quatenus ipsam luce divinæ agnitionis illustret, ut nunquam erroris spiritu seducatur. Tertio, benevolentiæ Spiritus Sancti eam reconsignet, supplicans ut fides sua per dilectionem omnia in eo sic operetur, ut perfecte consummatus in hora mortis inveniri mereatur.

## CAPUT XXXIV.

### DE QUINQUE SUSPIRIIS IN QUIBUS HOMO OBDORMIAT.

VIDIT aliquando animam suam in similitudine lepusculi in sinu Domini, apertis oculis dormire, et ait ad Dominum : « Mi Domine Deus, da ut more animalis hujus, cum dormio corpore, vigilem ad te mente. » Cui Dominus respondit : « Sicut lepus ruminare et apertis oculis dicitur dormire, sic homo cum vadit dormitum, ruminet versum illum :

*Oculi somnum capiant,*
*Cor ad te semper vigilet* (1), *etc.*

Homo sicut lepus dormiat oculo aperto ad Deum.

aut aliud quid de Deo meditetur, vel cum Deo loquatur, et sic obdormiens, cor ejus ad me vigilabit. Et si quid homini illi per somnum mali advenerit, si sentit sibi molestum et grave, signum est quod nunquam a me separetur. Item cum homo dormire vult, trahat suspirium quasi ex divino Corde meo, in unione laudis illius quæ profluit ex me in omnes Sanctos, in suppletionem laudis qua me tenetur laudare omnis creatura. Secundo, iterum suspiret in unione illius gratitudinis, quam Sancti a Corde meo trahentes gratias mihi referant pro impensis sibi donis. Tertio, suspiret pro peccatis suis, et peccatis universorum, in unione compassionis illius qua ego omnium tuli delicta. Quarto vero suspiret in affectu et desiderio omnis boni, quo indigent homines ad laudem

1. Ex quarta stropha Hymni ad Completorium tunc usitati.

Dei et utilitatem sui, in unione divini desiderii mei quod habui in terris pro salute humana. Quinto, ingemiscat in unione omnis orationis quæ ex divino Corde meo profluxit, et Sanctorum meorum, pro salute omnium, tam mortuorum quam vivorum ; desiderans ut omnem flatum quem dormiens illa nocte trahit, suscipiam ac si tali intentione incessanter ad me ingemiscat : tunc ego qui votis animæ amantis negare nil possum, in mea divina sic compleam veritate. »

---

## CAPUT XXXV.

### QUOMODO CHRISTUS AD GEMITUM PAUPERIS SURGIT.

Die quodam sancto, dum Conventus communicaret, et hæc Christi ancilla in lecto jacens infirma, in paupertate spiritus ad Dominum intimo corde altius ingemisceret, vidit Dominum de throno festine surgentem et dicentem : « *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam* » (Psal. xi. 6). Surgente autem eo, omnes Sancti pariter surrexerunt, offerentes Deo in consolationem animæ illius omne servitium quod Deo in terris exhibuerant, et quæ passi fuerant, in laudem æternam. Insuper Dominus Jesus etiam omnia sua Deo Patri obtulit dicens : « *Ponam in salutari.* (Psal. xi, 6), hoc est, in meipso et per meipsum desideria ejus compleam. » Sicque laudes [pro ea] Deo Patri condignas persolvit.

Intellexitque divinitus quod quoties anima in paupertate spiritus ad Deum ingemiscit, desiderans eum laudare, sive gratiam habere, statim omnes Sancti surgentes, Deum pro anima insimul laudant, aut gratiam eidem impetrant. Si vero pro peccatis dolens ingemiscit, veniam implorant ; nec in

hoc Christo sufficit ; sed per semetipsum surgens dicit : *Ponam in salutari*, id est, per memetipsum desiderio ejus satisfaciam ; offerens Deo Patri pro anima illa laudes, vel quidquid desiderat, dignissime pro ea supplet. Post hæc Dominus ait : « O si unus gemitus ita excellenter est acceptatus, quomodo jam ulla tristitia in anima pauperis remanebit ? »

Gemitus animæ ad se Deum intrahit

Alia vice cum etiam Dominum desiderans ad ipsum ingemisceret, dixit ad eam Dominus : « Quid modo habes ? Ecce quotiescumque post me ingemiscis, me tibi intrahis ; omnibus enim rebus me communiorem feci. Nulla denique res tam parva aut tam vilis est, nec etiam filum, aut una festuca, quæ voluntate tantum acquiri possit ; me autem homo sola voluntate, aut uno gemitu habere potest. »

---

## CAPUT XXXVI.

### QUALITER CHRISTUS ARDOREM CORDIS DIVINI SUI IN ANIMA REFRIGERAVIT.

Item cum vice quadam contristata, ingemisceret eo quod sibi videretur se inutilem esse, quia infirmitate præpedita Ordinem tenere non valebat, audivit sibi Dominum dicentem : « Eia, fave mihi, ut ardorem divini mei Cordis in te refrigerem. » In hoc verbo intellexit quod omnis qui dolores et infirmitates cordis, tristitiam, dejectionem, sive quamcumque tribulationem in unione amoris, quo Christus in terris afflictiones et gravamina multa, et tandem ignominiosam pertulit mortem, libens et volens sustinuerit, in eo quodam modo ardorem divini Cordis sui temperabit, qui tam inæstimabili desiderio hominis quærit salutem. Quia cum modo in se tales

passiones amplius perferre non possit, in suis dilectoribus, qui ei amore fideli adhærent, dignatur supplere. Et sicut ejus passio toti profuit mundo, non solum sui temporis hominibus, sed usque in finem sæculi in eum credituris ; sic diligentium se passiones et tribulationes justis cedent in meritum, reis ad veniam, defunctis ad gaudium sempiternum. Et cum anima illa, quæ sic in terris divini Cordis refrigeratio fuit, in cœlum pervenerit, mox supra Cor Dei advolans, divinitate ac si oleo optimi liquoris peruncta, tota in ardore ferventissimi Cordis Dei, cum omni quod hic pro Christo sustinuit, concremabitur ; et sicut thymiama fragrantissimum seu balsamum, odoris sui suavitate totum cœlum respergit, quo omnes Sancti nova jucunditate et delectatione perfunduntur ; et hoc est quod dicitur in psalmo : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (Psal. xliv. 8.)

Animá sicut thymiama cœlum delectat.

---

## CAPUT XXXVII.

### QUOD HOMINES DEI PIGNUS SUNT.

Audiens aliquando cantari Versum illum : *Dulcem vocem audient justi*, etc. recordata est pignoris sui quod Deus sibi olim dederat, et dulci affectu Deo perinde gratias referebat. Cui Dominus : « Ego pignus tuum sum, et tu meum. » At illa dum cogitaret quomodo Dei posset esse pignus, quæ nullius meriti esset, Dominus respondit : « Omnes homines pignus meum sunt, et tenentur mihi rependere mortem meam, secundum quod Apostolus dicit : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* (Coloss.

Pignus tuum sum, et tu meum.

1. Cf. Part. I. c. 20. II. 19. VII. 11. item *Legatus*. Lib. v. c. 4.

III. 5.) Quilibet enim omne quod in se vitiosum est mortificet, ut ante mortem, vel saltem in morte, liber a peccato, pignus meum, quod ipse est, lætus mihi reddat. Specialiter autem spirituales homines pignus meum sunt, quos ad tam singularem et præcipuam vocavi gloriam; qui quoties voluntatem suam in aliquo sibi difficili mihi offerunt, toties pignus meum magis adornatum mihi repræsentant; sicut qui amici sui pignus penes se haberet, et quoties illud respiceret, toties aurum vel gemmas ipsi adderet speciosas. »

---

## CAPUT XXXVIII.

### DE VESTE NUPTIALI.

Audiens etiam in Evangelio legi: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (Matt. xxii. 12.) dixit ad Dominum: « Mi dilecte, quæ est vestis sine qua nullus ad tuas nuptias poterit pervenire? » Mox ostendit illi Dominus vestem purpureo, candido et aureo colore mirifice intextam, dicens: « Hæc est vestis nuptialis, facta ex candore mundi cordis, et purpura humilitatis, et auro divini amoris. Quicumque hanc vestem habere voluerit, oportet cor mundum habere, ut sponte sua nullam malam cogitationem cordi suo inhærere permittat, et quidquid videt vel audit, non ad malum, sed ad bonum dijudicet et convertat; humiliter etiam et dulci corde prælatis suis, imo omni creaturæ, se propter Deum subjiciat; Deum tota mente etiam diligat; et omnem creaturam respectu Dei vilipendat, nec aliquid sic diligat, si ipsum a Deo elongat, quin illud omnino abjiciat et fugiat. »

Cor mundum, humile et amans Deum.

## CAPUT XXXIX.

### IN QUO ANIMA DOMINO VALEAT SIMILARI.

Cum cantaretur Missa : *Dicit Dominus : ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* [1], etc. dixit ad eam Dominus : « Si mihi carissima et simillima filia esse volueris, in his me verbis imitare. Sicut enim ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis, sic et tu semper studeas habere quietum cor et pacificas cogitationes, cum nullo contendens, sed patienter et humiliter cedens. Sicut etiam invocantes me exaudio, sic et tu exorabilem et benevolam te omnibus exhibeas. Studeas etiam educere captivitatem omnium; hoc est, ut omnibus tribulatis et tentatis auxilium et solamen impendas. »

Pacifica et exorabilis anima.

## CAPUT XL.

### QUOD DEUS COR NOSTRUM DESIDERAT.

Item in Missa vidit Dominum in altari in specie aquilæ aureæ, et agnovit quod sicut aquila habet volatum altissimum, ita et visum profundissimum, scilicet ad cor humile. Et videbatur sibi aquilam illam habere rostrum curvum et linguam nimis dulcem. Per rostrum significabantur eloquia Domini, quæ per devotionem pungunt cor animæ; per

Dominus ut aquila cor appetit.

1. Introitus in Dominica ultima post Pentecosten.

linguam vero, dulcedo figurabatur, quod sicut aquila semper quærit dulcissimum in præda, scilicet cor, ita Deus semper desiderat cor nostrum, ut illud in dulcedinem sibi offeramus.

---

## CAPUT XLI.

### QUALITER HOMO MEMORIAM SUAM EXERCEAT.

Hæc pia Virgo orabat aliquando Dominum, quatenus hoc donum sibi conferre dignaretur, ut sui memoria cordi ejus jugiter inhæreret. Et ecce ostendit ei Dominus Cor suum in similitudine cujusdam domus, per cujus januam anima illa, velut columba volitans, invenit in ea tritici acervum; et ait Dominus : « Columba, cum ad tritici acervum venerit, non eum totum deportat, sed eligit inde quod sibi magis placuerit : sic et tu facias. Cum verbum Dei audis vel legis, non omnia capere per intellectum poteris, sed tamen aliqua tibi colligas, in quibus memoriam tuam exerceas, cogitans apud te : Eia, quid nunc amator tuus in hac lectione loquitur tibi aut mandat ? »

Anima ut columba e divinoCorde grana colligit.

Cum autem ipsa die in Missa audiret legi Evangelium : *Simile est regnum cœlorum thesauro*, etc. (Matt. xiii. 44.) dixit ad Dominum : « Mi dulcissime instructor, quid in hoc Evangelio secundum præceptum tuum eligam ? » Cui Dominus ita respondit : « Quid est thesaurus ? Thesaurus est auri et argenti, et lapidum pretiosorum congeries. Per aurum vero amor, per argentum bona opera, per gemmas virtutes designantur. Et sicut argentum valde sonorum est metallum, ita bona opera in auribus meis dulcissimum reddunt sonum. Quisquis ergo tali intentione opera bona facit, ut cogitet :

Deus tuus, humilis factus, dignatus est ad humilia opera et servitia inclinari; quanto magis te, vilem homuncionem, decet humiliari et subditum esse! Similiter de patientia et aliis virtutibus cogitet, et semper quidquid agit in mei memoriam faciat, hujus ego memoriam cordi meo inscribam, ut inde nunquam possit deleri. »

---

## CAPUT XLII.

### QUOD DEUM IN OMNIBUS FACTIS SUIS CONSULUIT.

Die quadam dum vidit columbam in nido sedentem, ait ad Dominum: « Mi dilecte, quod erit ovum meum, cui meditando supersedebo? » Et Dominus: « Ovum est dictio dissyllaba[1]. O significat altitudinem meæ excellentissimæ divinitatis, et VUM extremitatem tuæ vilitatis designat. Hæc duo simul in unum jungens, quasi ovo supersedebis, recolendo scilicet qualiter altitudinem divinæ majestatis inclinans, tuæ vilitati condescendi, cum per divinæ gratiæ infusionem, omnes animæ tuæ medullas penetrans, felici te copula mihi sociavi. Hoc ergo erit ovum tuum. » Simili modo in omnibus agendis suis Dominum consulere solebat, etiam parvis et vilibus, in cunctis placitum suæ voluntatis inquirens.

Altitudo Dei et animæ vilitas.

1. Ex hac verbi *ovum* partitione concludendum est latino sermone nostræ Mechtildis revelationes sæpius acceptas atque scriptas fuisse.

## CAPUT XLIII.

### QUIDQUID TIBI DISPLICET IN DEO VINCAS.

VIDIT aliquando cujusdam hominis gestum in quo scandalizata est. Et statim agnoscens culpam suam, Deo confitebatur. Ad quam Dominus : « Cum videris aliquem gestum qui te scandalizat, laudare me debes in nobilitate et reverentia divini mei gestus. Cum ergo videris aliquem superbire, lauda me in fundo humilitatis meæ, qua cum essem Dominus omnium, omnibus me subjeci. Cum autem aliquem videris irascentem, lauda me in mansuetudine qua tamquam agnus steti coram judice. Cum videris impatientem, lauda me in patientia quam habui ad omnia sufferenda. Sicque omnia quæ tibi displicent potes vincere in me, in quo tibi cuncta summe complacebunt. »

## CAPUT XLIV.

### QUOMODO DEUM IN QUINQUE SENSIBUS TUIS QUÆRAS.

ALIA vice dixit ad eam Dominus : Quære me in quinque sensibus tuis, faciendo more hospitis, qui amici sibi valde dilecti adventum præ foribus et per fenestras respiciendo, si uspiam desideratum suum videt semper quærit. Sic et anima fidelis in quinque sensibus, qui fenestræ ejus sunt, me semper quærat, ut si viderit pulchra et amabilia, cogitet quam pulcher et amabilis, et quam bonus est qui hæc

fecit, tendens statim in ipsum qui omnia fecit. Cum autem suavem audit melodiam seu aliquid in quo delectatur, cogitet : eia, quam prædulcis erit vox illa te vocantis, unde omnis dulcedo et sonoritas vocum processit! Item cum audit homines loqui aut legi aliquid, semper ad hoc intendat audire, si aliquid audiat in quo Dilectum valeat invenire. Similiter in omnibus quæ loquitur, Dei gloriam et proximorum quærat salutem. Cum vero legit vel cantat, cogitet : eia, quid modo in hoc versu, vel hac lectione Dilectus tuus tibi loquitur aut mandat? quærens eum in omnibus, donec divinæ dulcedinis aliquem persentiat gustum. In olfactu et in tactu similiter faciat, rememorando quam suavis sit Spiritus Dei bonus, et quam prædulcia oscula et amplexus ejus erunt; et in quacumque creatura delectatur, semper deliciarum Dei memoratur, qui omnia hæc pulchra, delectabilia et suavia nobis ad hoc creavit, ut ad ipsius bonitatis cognitionem, et ad amorem omnes alliciat et perducat. Faciat etiam more matrisfamilias quæ dilectum suum in omnibus operibus adjuvat, nec sinit ipsum in aliquo solum laborare. Sic et Dei fidelis sponsa proponat in corde suo Ecclesiam Dei, in qua usquemodo operatur Deus, coadjuvare; ut si possibile esset, omnem Deo laudem, gratiarum actionem et orationem, secundum quod a quolibet vellet laudari, vel pro singulis orari, libentissime persolveret, et omne ministerium exhiberet, quod quilibet ei offerre tenetur. Similiter omnem pœnam, tribulationem et laborem, quem aliquis pro Dei amore pertulit, sufferre sit parata.

In Ecclesia usquemodo operatur Deus.

## CAPUT XLV.

### DE OBEDIENTIA ET TIMORE, ET QUALITER HOMO SUSCIPIAT SIBI MINISTRANTIUM LABOREM.

Dum in quadam Missa Portariam videret gravatam ex supervenientibus hospitibus, mota compassione, pro ea Dominum exorabat. Cui Dominus : « Omnia vestigia quæ homo propter obedientiam ambulat. ac si denarios singulos in mea manu congreget, ita ejus meritum augmentant. » Tunc illa dixit : « Dulcissime Deus, licet valde grave mihi sit quod infirmitate detenta Conventum sequi non valeo, multum tamen et magnas tibi refero gratias, quod a multis occupationibus me liberasti. » Ad quod Dominus : « Cum in necessariis claustri utiliter occupabaris, semper timebas impediri in spirituali exercitio, et in dono tibi dato; modo in tuis infirmitatibus times ne plus commodi accipias, quam necessitas requirat. Sic justus homo semper timet in cunctis operibus suis, sicut de Job legitur, cui testimonium perhibui, quod non fuerit ei similis in terra, timens Deum et recedens ab omni malo, qui tamen de se dixit : *Verebar omnia opera mea.* » (Job. ix. 28.)

In operibus timeatur ne amittatur Dei gratia.

« Homo enim necessaria, et corporis commoda suscipere deberet in unione amoris illius, quo ipsi omnia ad utilitatem creavi. Secundo, in unione amoris, quo ipse in terris ad honorem Patris et hominum salutem creaturis utebar. Tertio, labores et servitia sibi ministrantium accipiat in unione amoris, quo ipsi in honorem Dei servitur, et ut servientes inde sanctificentur et remunerentur. »

## CAPUT XLVI.

### DE CHRISTI DESIDERIO.

ITEM cum vice alia regratiaretur Deo pro desiderio quod habuit, cum dixit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (Luc. xxii. 15), responsum accepit a Domino: « Vellem ut omnes recordarentur quod tanto tempore fuit protractum desiderium meum; et non deficerent, cum eorum desideria dispensatione divina protrahuntur. »

## CAPUT XLVII.

### DE QUADRUPLICI ORATIONE.

ITEM audiens cantari Responsorium: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem ornatam, et compositam de orationibus Sanctorum*, cogitabat quomodo civitas orationibus componi posset, et ornari. Ad quod Dominus respondit: « Quatuor orationum generibus hæc civitas, velut auro et gemmis, decentissime decoratur. Primum est cum Electi pro peccatis suis humili et contrito corde in oratione veniam sibi poscunt; secundum est cum homines in tribulationibus per orationem ad Deum confugiunt et quærunt relevari. Tertium est cum quis, fraternæ charitatis affectu, pro necessitate et miseria alterius intercedit. Hæc oratio multum accepta est Deo, et cœlestis Jerusalem ab inde non modicum insignitur. Quartum est cum puro ex amore, quo Deum quis diligit, pro

Oratio multum Deo accepta et Ecclesiæ proficiens.

universali Ecclesia et pro singulis, velut pro seipso, intercedit. Hæc oratio supernam Jerusalem velut novi solis ortu perlustrat. »

---

## CAPUT XLVIII.

### QUID SIT MAXIMUM BONUM QUOD HOMO FACERE POTEST CUM OMNI CORPORE SUO.

Alia vice dixit ad eam Dominus : « Maximum bonum et utilissimum quod homo ore suo facere potest, est laus Dei et confabulatio frequens cum Deo, scilicet in oratione. Laudabilissimum etiam Deo quod oculis facere potest, sunt amoris lacrymæ, et sacræ Scripturæ jugis lectio. Aurium vero est, libenter audire verbum Dei, et ad obediendum inclinatos esse et paratos. Fructuosissimum etiam quod manibus potest peragi, est elevatio manuum in pura oratione, et scribere. Optimum quoque cordis est Deum toto corde ferventer amare et desiderare, et meditatione de ipso dulciter cogitare. Totius corporis exercitatio, perutilis est genuflexio, veniæ et opera charitatis. »

---

## CAPUT XLIX.

### DE NOBILITATE ET PRETIOSITATE ANIMÆ, ET QUID SIT CORPUS HOMINIS.

Apparuit illi aliquando Rex gloriæ Christus in eminenti loco, ineffabili gloria circumdatus, plenus deliciis, aurea

indutus fibula, in qua erant columbæ intextæ, et desubtus rubeo pallio cooperta. Hæc vestis ex utraque parte erat aperta ; quo figurabatur quod animæ ad Deum undique patet accessus. Per rubeum pallium notabatur Christi passio, quæ ejus Cordi semper exstitit intima, quam adhuc Patri repræsentat, pro homine incessanter interpellans. Columbæ intextæ exprimebant simplicitatem divini Cordis, quæ semper erga hominem immutabilis perseverat, licet homo multoties a sua fide discedat. Anima autem cum se de longe sentiret, intra se illud prophetæ cogitabat : *Heu ! longe apparuit mihi Dominus* (Jerem. xxxi. 3). Cui ille respondit : « Quid ideo ? ubicumque tu es, illic cœlum meum est ; sive comedas, sive dormias, sive aliud quid facias, semper habitatio mea est in te. » Tunc illa cogitabat quid vere suum corpus esset ; ad quod Dominus respondit : « Corpus tuum nihil aliud est quam vilis saccus, in quo reposita est crystallus liquorem continens pretiosum. Et sicut magna cautela saccus ille servaretur, ne huc et illuc projiceretur, forte crystallus frangeretur, et unguenti liquor effunderetur ; sic homo propter animam suam continentem in se divinæ gratiæ liquorem et Spiritus Sancti unctionem, corpori suo parcere debet, et quinque sensus custodire, ne quidquam videat aut audiat, vel loquatur, per quod gratiæ meæ spiritualem unctionem possit effundere, vel Spiritum meum in se regnantem profugare. »

Ubicumque tu es, illic cœlum meum est.

## CAPUT L.

### DE HORTO ET ARBORIBUS VIRTUTUM.

QUADAM vice, post confessionem et injunctam tibi pœnitentiam peractam, rogabat Virginem gloriosam ut Dominum pro se oraret. Et visum est ei quod ipsa Virgo Maria duceret eam in hortum amœnissimum, in quo erant arbores pulcherrimæ et perspicuæ, nitentes ut sol fulgens per crystallum. Quæ rogabat se duci ad arborem misericordiæ, de quo Adam frustratus fuerat tanto tempore. Erat autem arbor illa magna valde, et miræ altitudinis, stans in auro fundata, habens folia et fructum aureum, et ex ipsa manabant tres rivuli. Primus erat lavans, secundus clarificans, tertius influens et potans. Sub hac arbore jacebat beata Maria Magdalena prostrata, et Zachæus genu flexo adorans; inter quos et illa procidit adorans, et veniam quærens. Visa est etiam ibi arbor longissima et pulcherrima, per quam significabatur Dei patientia, cujus folia erant argentea et fructus rubeus, exterius in cortice aliquantulum durus et amarus, sed interius in nucleo dulcissimus. Erat etiam ibi arbor humilis, ad tangendum omnibus habilis, quæ austro flante suaviter omnibus inclinata erat, per quam figurabatur mansuetudo Domini. Folia ejus erant viridissima, omnem virorem superantia; fructus autem nullus erat in ea, eo quod omnia folia virtutem etiam fructuum haberent.

Arbor misericordiæ.

Arbor patientiæ.

Arbor mansuetudinis.

Visa est sibi arbor aspectu desiderabilis, plena deliciis, tamquam crystallus purissima, cujus folia erant aurea, et singulis foliis annuli aurei intexti, fructusque ejus nivei can-

doris, dulcissimus et lenissimus : per quam designata est lucidissima et naturalis Dei puritas, quam omnibus communicare desiderat. Hæc arbor aperiebat se, et Dominus intrans in eam, animam sibi tali unione copulavit, ut ibi videretur impletum quod Psalmus dixit : *Ego dixi : dii estis*. (Psalm. lxxxi. 6.) Sub arbore erant rosæ, violæ, flores crocei, et herba quæ dicitur benedicta ; et in his floribus delectabatur Dominus, scilicet in charitate, in humilitate, in depressione et in gratiarum actione, et quod in omnibus sibi accidentibus homo sæpe dicat : Sit nomen Domini benedictum, et Deo gratias agat, et in omni tempore Dominum benedicat.

Arbor puritatis.

---

## CAPUT LI.

### QUALITER SE HOMO ANTE CONFESSIONEM DISCUTIAT.

Ante confessionem denudare se homo debet per proprii status discussionem, sicut Christus se denudavit ante flagellationem et crucem. Et quia Christus exspoliavit se ad verbera, jure denudat se homo ad verba [1]. Item ante confessionem oportet hominem contemplari animæ suæ faciem in speculo virtutum Christi. In speculo itaque humilitatis Christi, consideret homo diligenter humilitatem suam, si in aliquo violaverit faciem suam superbia seu elevatione. In speculo vero patientiæ Christi, probet homo patientiam suam, si maculam ullam in se impatientiæ deprehendat. In

In speculo Christi homo se inspiciat.

1. Ex vocibus *verba* et *verbera* quoad sonum hic inter se collatis iterum colligitur ista primitus fuisse dicta atque scripta latine.

speculo etiam obedientiæ Christi, attendat vultum suum, ne culpam inobedientiæ in eo inveniat. In speculo vero Christi amoris, probet quam amorosus sit ad majores, scilicet ad prælatos, quam pacificus ad æquales, quam mansuetus ad minores. Et si quid in his vel similibus, in facie animæ suæ reprehensione dignum invenerit, studeat suaviter abstergere leni panno humanitatis Christi, recolendo dulciter quod Christus est frater noster, qui ita pius est, ut cum homo peccatum suum agnoscit, ipse misericorditer ignoscat. Caveat ergo homo ne acriter nimis maculas suas diluat, scilicet sine consideratione bonitatis divinæ ; quia eas durius tergendo, plus laceraret quam sanaret.

Maculas suas durius tergens plus lacerat quam sanat.

---

## CAPUT LII.

### DE CASTITATE GLORIOSÆ MARIÆ VIRGINIS, ET QUALITER VESTIS INNOCENTIÆ DEBEAT CUSTODIRI.

Dum audiret in prædicatione multum commendari beatæ Virginis castitatem, orare cœpit ipsam virgineam Matrem, ut sibi castitatem veram mentis et corporis obtineret. Tunc videbatur sibi quod beata Virgo staret coram Domino, trahens de Corde Domini candidam vestem, et sibi daret : quam cum induere vellet, videbatur sibi caterva dæmonum a dextris et sinistris sibi stare, impediens ne illam vestem indueret. Ipsa autem inclamans beatam Virginem orabat ut se juvaret. Quæ statim opposuit se dæmonibus obumbrans ei, et amplius non comparuerunt.

Illa vero induta veste orabat gloriosam Virginem, ut se doceret qualiter hanc vestem impollutam servaret. Cui illa : « Cave ne quid effluat de oculis, de naribus, aut de ore cadat

super vestem, neque etiam manibus contractes vilia, quæ possint inficere illam. » In his verbis agnovit quod oculos cavere deberet ab omni vanitate, specialiter de viris, ne diligenter eos aspiceret. De naribus intellexit, quod omne delectamentum, quod Deus non est, fugere deberet. Similiter de ore, quod omnia verba vana, specialiter detrectatoria, murmurosa et mendacia, multum inquinant animam. Per manus vero, omnia opera et labores quæ propter Deum et necessitatem non fiunt.

Per custodiam sensuum castitas servatur.

EXPLICIT PARS TERTIA.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# PARS QUARTA

IN QUA AGITUR DE HOMINIBUS : PRIMUM , DE IPSIS IN GENERALI, POSTEA IN SPECIALI.

## CAPUT PRIMUM.

DE COLLATIONE DOMINI, ET DE TRIBUS DISPOSITIONIBUS CORDIS EJUS, ET QUALITER OMNES SANCTI ET CONGREGATIO DE CORDE DOMINI BIBERINT.

Pia hæc et Deo devota ancilla die quadam post sanctam communionem audivit Dominum dicentem : « Habere volumus collationem ad invicem. » Et statim visus est Dominus sedere in solio ante altare, et visæ sunt omnes animæ Congregationis quasi de corporibus suis exire, in specie virginum, niveis indutæ cycladibus; et euntes ad pedes Domini consederunt. Prælati vero sederunt contra faciem Domini in sedibus ; et Dominus dixit ad eos : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat : Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus , regnum : ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* (Luc. xxii. 28. 29. 30.)

Per hoc quod dixit, *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat*, intellexit quod Dominus triplici modo habitaret in Congregatione : in quibusdam per saporem gratiæ ;

in quibusdam, per intellectum Scripturæ ; in quibusdam, per receptionem doctrinæ. Tunc ista requisivit quid notaret per verbum illud, *sicut qui ministrat*. Cui Dominus : « Ego ministro vobis Cor meum. » Et statim Dominus habuit Cor suum in sinu suo quasi calicem cum tribus fistulis, quæ significabant tres dispositiones divini Cordis, secundum quas se habuit in terris, et secundum has tres dispositiones voluit ut omnes Cor suum disponerent. Primo enim Cor Christi habuit se ad Patrem in reverentia et amore ; secundo, habuit se ad omnes homines, in misericordia et charitate ; tertio, ad seipsum in humilitate et dejectione.

Cor suum Dominus animabus ministrat.

In illo autem verbo : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*, videbatur Dominus conqueri quod tam multipliciter infestatur ab Ecclesia, et specialiter in his tribus : videlicet quod Clerus non intendit divinæ Scripturæ, sed convertit eam ad vanitatem ; Spiritales negligerent interiora, transferendo se ad exteriora ; et populus communis non curaret de verbo Dei et Ecclesiæ sacramentis. In hoc verbo *Ego dispono vobis regnum*, cognovit quod Dominus specialiter in hoc delectaretur, quod Congregatio sæpius accederet ad mensam corporis et sanguinis sui.

Clerus, Religiosi et fideles reprehenduntur.

Deinde visum est ei quod omnibus accedentibus Dominus præberet bibere de tribus fistulis Cordis sui, simul dicens : *Bibite et inebriamini carissimi*. (Cantic. v. 1.) Tunc illa desiderabat ut omnes, in cœlo et in terra et in purgatorio, participes fierent illius gratiæ. Et statim vidit beatam Virginem residentem ad dexteram Filii ; et cum magna reverentia se inclinantem ad fistulas illas, et tam miram et ineffabilem dulcedinem trahentem, quæ ex ore ejus quasi odor suavissimus fragrabat, et omnes præsentes replebat. Dehinc omnes ordines Sanctorum accedentes cum justa reverentia bibebant. Quo facto, Dominus ait : « Omnes qui biberunt de Corde meo, eorum corda ego bibam. »

Qui biberunt de Corde meo, eorum corda bibam.

## CAPUT II.

### DE CANDIDA VESTE ET CORONA REGNI.

ALIO tempore, dum Conventus communicaret, vidit Dominum stantem et vestem candidam in manu habentem, quam singulæ accedentes accipiebant ; quæ significabat Christi innocentiam, quam omnibus vere pœnitentibus donat, cum ad sui corporis sacramentum accedunt. Deinde circumdedit eas pallio mira varietate contexto, in quo omnia opera beatissimæ humanitatis suæ lucebant ; in hoc enim cognovit quod omnia opera humanitatis suæ et passionem suam animæ se percipienti dat in hoc sacramento. Coronam insuper decoram valde, imposuit capitibus singularum, quæ dicebatur corona regni ; quæ inter alia ornamenta præcipue quatuor capitella habebat, in modum purissimorum speculorum. Primum capitellum in anteriori parte significabat amorem illum æternum et inæstimabilem, quem divinum Cor habet ad unamquamque animam, quem in cœlis ita plene sentiet anima, quod omnes medullas et interiora ejus pentransiet. Secundum in dextera parte coronæ, significabat illam divinam fruitionem amoris, quæ sine intermissione, omni remoto impedimento, fruetur Deo omnibusque bonis. Tertium notabat unionem illam inseparabilem, quæ nos Deo penitus conformabit. Ultimum capitellum in occipite exprimebat cognitionem illam inevitabilem, qua incircumscriptum lumen illud et speculum lucidissimum venerandæ Trinitatis sine impedimento continue aspiciemus. His vestimentis ornat Dominus animam contritam et humiliatam cum desiderio ad se venientem.

Corona regni quatuor capitellis exornata.

## CAPUT III.

### QUALITER VIRTUTES IN CORONA DOMINI LUCENT.

Item visus est ei Dominus in Missa quadam, dum cantaretur Offertorium. *Domine Jesu Christe Rex gloriæ* [1], quasi staret a dextris altaris coronatus et regio cultu amictus. Et illa admirata est, scire cupiens quid designarent columbæ et aquilæ, et lapides pretiosi qui erant in corona Domini. Ad quam Dominus : « Omnium humilitas, omnium fides, omnium patientia, omnium spes lucet more gemmarum in mea corona. Per columbas vero et aquilas supereminentes coronæ, significantur simplices et amantes. »

Inter Secretum vero vidit quasi aureum gradum pertingentem ad altare, super quem ascendens Dominus stetit in altari, habens ante mantellum suum quasi longissimum tabellum usque ad genua ; quod illa admirata, dictum est ei hoc designare quod omnes crines hominum, bestiarum et herbarum fulgerent per humanitatem Christi in sancta Trinitate ; eo quod Filius Dei humanitatem assumpsit de terra de qua provenissent. Omnium vero hominum animæ lucebant in illo mantello mirabili valde ornatu. Dominus autem stans in altari, mantello suo texit sacerdotem ; et hostia a sacerdote consecrata, assumpta in Corde Domini, mutata est in ipsum. Tunc procidit illa ad pedes, et osculata est vulnera ejus ; ad quam se Dominus amanter inclinans dicebat : « Desideria mea inclinata sunt vobis, et omnia quæ cinme sunt bona. »

Humanitas Christi omnem continet creaturam.

1. In Missa pro defunctis.

## CAPUT IV.

### QUALITER CONGREGATIO VISA EST ACCEDERE AD COMMUNIONEM.

Quadam vice dum Congregatio ad Agni cœnam accederet, vidit Regem gloriæ, Dominum Jesum Christum in solio magnificentiæ, stipatum Angelorum multitudine, et Sanctorum circumdatum exercitu gloriose. Adesse etiam vidit Reginam, Regis Angelorum Matrem, habentem in vestimento suo mirabili varietate intextam sanctissimam conversationem Filii sui dilecti. Congregatio vero stabat coram Rege, ut virgines pulcherrimæ valde ornatæ. Virgo autem Maria processit de throno, et agnum nive candidiorem omnibus tribuit osculandum. Cum vero de throno procederet, multitudo Sanctorum cum tripudio clamabant dicentes: « Honor Matris et gaudium! » etc.

Maria agnum tradit osculandum

## CAPUT V.

### QUID MAXIME HOMINEM IN RELIGIONE PROMOVEAT.

Feria quadam sexta, vidit Dominum Jesum expansis manibus in altari stantem, et vulnera ejus sanctissima velut recentia ubertim sanguinem fundentia, dicentem ad eam: « Ecce rupta sunt omnia vulnera mea ad placandum Deum Patrem pro vobis. » Gloriosa etiam Virgo stabat a dextris Filii, habens coronam miræ magnitudinis, in qua omnes

virtutes et merita ipsius, et omnia quæ per eam Deus operatus est magnalia, miro modo apparebant. Anima vero accedens ad eam, rogabat pro se et Congregatione orari ; at illa cum multa reverentia coram Filio genua flectens, ipsius vulnera devotissime salutavit, præcipiens animæ, ut et ipsa similiter faceret, dicens : « Accede et tu, et saluta vulnus dilectissimi Cordis Filii mei, quod pertulit omnia corporis sui vulnera. » Quod dum gratanter fecisset, orabat Dominum ut sibi revelaret quid maxime ab eis observari vellet, per quod et Religio posset augeri. Qui respondit : « Qui vere Religiosus effici desiderat, oculos suos custodiat ab omni illicito et etiam inutili intuitu ; similiter et aures suas abstineat, ne unquam audiat, quo cor ejus maculam contrahat; prohibeat quoque os suum ab omni inutili verbo, et si quid vidit vel audivit, nunquam os suum inde loqui permittat. Cor etiam suum maxime custodiat, ne unquam in malis cogitationibus delectetur, aut sponte immoretur. Homo enim cogitationes cordi advenire prohibere non potest ; sed ne ipsis consentiat aut sponte admittat, faciliter dimittere potest. Observet etiam diligenter omnia facta sua, et quotiescumque in aliquo deliquerit, nunquam cor suum quiescat, donec sibi veniam a Deo postulet, et cum primo potest illud confiteri proponat. »

Religiosus verba, sensus et cor maxime custodiat.

---

## CAPUT VI.

### QUID HOMINEM IN RELIGIONE CONSERVET.

Alia deinde vice, cum attentius pro Congregatione orasset, quatenus eam Deus in suo servitio omni tempore custodiret, et suam gratiam in eis augendo, omnibus virtutibus florere et bonis faceret prosperari, tale a Deo accepit

responsum: « Quamdiu in eis humilem invenio subjectionem, virginalis castitatis amorem, dulcem gratitudinem, et amicabilem amorem, oculos meæ paternæ protectionis ab eis nunquam avertam, nec eas in suis necessitatibus derelinquam. Humilem subjectionem, ut scilicet prælatis suis et in invicem humiliter et simpliciter obediant; virginitatis amorem, hoc est ut non solum teneant virginitatem, sed etiam amore quo ipsam diligunt castitatem, ab omni quod eis maculam inferre possit, cor et sensus suos custodiant, sicut qui xenium sibi valde carum et perutile haberet, omni diligentia caveret ne illud perderet aut depravaret; dulcem gratitudinem, ut non solum dona Dei spiritualia, sed etiam corporis necessaria, victum et vestitum, dulci corde et hilari sufficientia cum gratiarum actione suscipiant, nequaquam eisdem se dignas reputantes; amicabilem amorem, ut non solum Deum sincero diligant corde, sed etiam in invicem in Deo se diligant, et opera charitatis in omnibus sibi certatim exhibeant. »

Subjectio castitatis amor, gratitudo et dilectio.

---

## CAPUT VII.

### DE TRIBUS DEO VALDE ACCEPTIS.

« Si quis etiam acceptabile mihi munus offerre voluerit, in his tribus se studeat exercere. Primum est, ut proximo suo fidelis sit in omni sua necessitate et angustia, omnesque defectus ejus et peccata in quantum potest, minuat et excuset. Quod qui fecerit, ei ero fidelis in omnibus quibus et ipse indiget, omnia peccata ejus et negligentias tegendo, apud Patrem meum excusabo. Secundum est, ut homo in omni

Fideliter subvenire proximo.

Confugere ad Deum in propria tribulatione.

tribulatione sua ad me solum habeat confugium, nullique molestiam suam conqueratur, sed mihi soli omne gravamen cordis sui cum fiducia pandat : hunc ego in suis necessitatibus nunquam derelinquam. Tertium est ut mecum in veritate ambulet, quem ego in extremis suis, velut mater amantissimum filium suum, inter paternos amplexus suscipiam perpetuo pausaturum. Qui primum fecerit, tam acceptabile munus mihi obtulit ac si quidquid proximo suo debet, perfecerit. Qui vero secundum, velut quod sibi debet, implevit ; qui et tertium, reputabo ac si quæ Deo debet, compleverit universa. »

Ambulare cum Deo in veritate.

---

## CAPUT VIII.

### QUALITER SANCTI PRO CONGREGATIONE ORABANT.

Dum vice quadam Deum per assuetam gratiam minime sentiret, cum magno cordis dolore ipsum quærere nitebatur. Et ecce vidit quasi portam argenteam et splendidam, et in porta Dominum stantem sibique dicentem : « *Intra in gaudium Domini tui.* » (Matt. xxi. 23.) Post hæc Dominus secessit in quemdam locum amœnum, ubi mensa parata erat, et panis superpositus, ad quam Dominus sedebat, et juxta eum Mater sua, deinde Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores et Virgines ; qui omnes calices aureos in manibus habebant. Inter quos beata Virgo pulcherrimum gemmis mirabilibus ornatum tenebat. Congregatio etiam ibi visa est prope Dominum sedere in terra ; qui accipiens panem fregit, et dabat omnibus illis. Quem quædam cum

magna dulcedine et delectatione comedebant ; quædam vero tepide. Quæ cum dulcedine comedebant, erant quæ cum desiderio et fervore Domino serviebant ; quæ autem tepide, illæ quæ sine devotione.

Anima vero illa stabat coram Domino. Cui Dominus : « Quare modo, ut desideras, hos omnes pro vestra tribulatione non oras ? » Et anima : « O Domine, doce me qualiter beatissimam Matrem tuam debeam exorare. » Et Dominus : « Orabis eam per lumen quod ei præ omnibus cæteris creaturis est infusum, ut obtineat tibi animam luminosam angulo peccati carentem. Orabis etiam eam per unionem divinitatis, qua præ omnibus creaturis mecum erat unita, ut impetret tibi veram cum mea voluntate unionem. Item, orabis pro cognitione et fruitione, qua præ omnibus fruitur mea divinitate, ut obtineat tibi fruitionem omnium donorum et gratiarum, secundum meam voluntatem. » Qua oratione completa ad beatam Mariam Virginem, anima convertit se ad Patriarchas et Prophetas deprecans eos. Qui conversis vultibus, et expansis ad Deum manibus dicebant : « Sancte Deus, Sancte Fortis, miserere eis. » Deinde ad Apostolos accessit, admirans cur inferiorem ab his locum tenerent. qui uxores et mundana habuerunt, conferens de hoc cum sancto Joanne Evangelista. Cui ille : « Non ideo remotiores Deo sumus, quia ipse habitat in nobis, sicut ego scripsi : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* » Et adjecit : « Et quid te, quod hic stas, Deo remotiorem facit ? » (a) Tunc Apostoli etiam expansis manibus Dominum orabant dicentes : « Pater et frater, Magister et Domine, miserere eis. » Post hæc orabat Martyres, inter quos specialiter sanctum Stephanum vidit habentem aureolam gemmis ornatam, quia lapides torrentis pertulit gaudens

Qualiter B. Virginem anima orare debet.

Oratio ad singulos Sanctorum ordines.

(a) Et quid te hic a Deo remotiorem facit. *Cod. S. Gall.* Et quid hoc te facit, quod tu hic stas remotior a Deo. *Juxta editionem teutonicam Lipsiensem* 1503.

pro Christi nomine. Et hi conversi ad Dominum dixerunt : « O Domine, sanguis tuus innocentissimus qui nostrum sanguinem sanctificavit, subveniat eis. » Dehinc accessit ad Confessores, inter quos vidit sanctum Benedictum [1] cum baculo pastorali, qui de calice suo propinabat omnibus de suo Ordine illic existentibus ; et ipsi Confessores omnes orabant dicentes : « Domine, labores nostros tibi pro eis offerimus in supplementum. » Postremo deprecabatur sanctas Virgines, admirans cur ultimo loco sederent. Cui Virgines : « Videre debes nos Deo non esse remotiores. » Tunc Virgines orabant dicentes : « Rogamus te, sponsum, Regem et Agnum mansuetissimum, pro cœtu Virginum. »

S. Benedictus filiis suis de calice suo propinat.

Et mensa illa amota, surrexerunt Virgines stantes ante Dominum, quibus Dominus assurgens choream jucundissimam cum eis duxit, carmina nova canentes dulcissime, et in his carminibus mentio de Congregatione facta est. Visa etiam est soror M. [2] stare coram Domino, et de Corde Domini radius quidam ibat in cor ejus, propter speciale donum quod habebat amoris.

---

## CAPUT IX.

### QUOD FELICISSIMI SUNT QUI AD HOC VIVUNT QUOD DEO SERVIRE POSSUNT.

Alia vice, dum Conventus communicaret, et hæc Dei famula propter infirmitatem simul accedere non posset, orabat Dominum quatenus de micis mensæ suæ aliquid

1. Sic filialis erga beatum Patrem Benedictum affectu in ipsis revelationibus declaratur. Cf. Part. I. c. 28.

2. Verisimiliter illa est soror Mechtildis de qua in Part. II. c. 42. Part. V. c. 4. et in *Legat.* Lib. V, c. 7. etc. cujus est *Liber fluens divinitatis*.

sibi daret. Mox videbatur sibi quod Dominus ad mensam magnam cum omnibus Sanctis sederet, porrigens ei micas, in similitudine aureorum nodulorum et gemmarum, gaudium scilicet et beatitudinem suam illi feliciter communicando. Post hæc Regina, Mater Domini, manus ambas replens, animæ dedit. Deinde omnes similiter cum magno gaudio faciebant. In mensa autem illa, Virgines ob singularem prærogativam, versus Dominum erant sedentes, utpote faciem et decorem Sponsi sui dulcius contemplantes, et ejus delicias familiarius haurientes. Cum ergo anima eas rogatura accessisset, illæ dixerunt : « Eia, felicissimi vos estis qui adhuc vivitis in terra, et multa promereri potestis : quia si homo sciret quanta etiam una die promereri posset, mox ut a somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur pro eo quod illa dies illuxisset, in quo Deo vivere et ejus meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur. »

In consessu Sanctorum Virgines versus Dominum sedent.

---

## CAPUT X.

### QUOD DEUS EJUS PRECIBUS PLUVIAM DEDIT [1].

Dum totam terram siccitas magna perturbaret, eo quod jam longo tempore non pluisset, orabat Dominum ut fructuosa pluvia terræ faciem irrigaret. Cui Dominus : « Hodie dabo vobis pluviam. » At illa cum nimiam videret serenitatem et solis stabilitatem, dubitare cœpit. Cum vero dies pervenisset ad vesperam, secundum promissum Domini pluvia descendit fructuosa.

1. Cf. *Legatus* Lib. I. c. 13.

## CAPUT XI.

### QUOD DEUS EJUS MERITIS CLAUSTRO PEPERCIT.

ALIO tempore, cum plurimum timeremus a facie regis, eo quod non longe nostro esset cœnobio [1], orabat Dominum ut ipse Rex omnium regum Dominus nos dignaretur defendere sua paterna benignitate, ne aliquod damnum a regis exercitu pateremur. Cui Dominus : « Tu nullum de suo exercitu unquam videbis. » At illa cogitabat quia si ipsos non videret, tamen claustrum ab eis lædi posset. Cui Dominus : « Nullus eorum cœnobio vestro appropinquabit; sed ego ab his omnibus pie defendam vos. » Quod et contigit ; nam adeo misericorditer nos Dominus custodivit, quod nullum omnino ab eis sumpsimus damnum, cum tamen multa monasteria ab eis plurima incurrissent damna.

Claustrum ab exercitu Deus protegit.

## CAPUT XII.

### QUOD DOMINUS PACEM REDDIDIT PROPTER EAM.

ITEM cum inter Barones nostros magna orta fuisset werra, et cœnobium ex hoc non modicum affligeretur, deprecata est Dominum quatenus hæc omnia sedaret, et in melius commutaret. Ad quam Dominus : « Omnia hæc in bonum commutabo. » Quod et factum est, nam pace in brevi reddita, omnis illa tribulatio Domino largiente quievit.

1. Hic videtur fuisse Adolphus qui contra filios Alberti Notni exercitum cuncta vastantem (Septemb. 1294) in terra Islebii congregaverat.

## CAPUT XIII.

### QUALITER EAM DEUS VOCAVIT.

Dominica quadam, cum propter infirmitatem non posset communicare, et ex hoc non modicum tristaretur, dixit ad Dominum : « Mi Domine, quid me nunc vis facere ? » Qui respondit : « Veni, veni, veni. » At illa non intellexit quid per hoc notaretur. Cui Dominus : « Veni, inquit, corde ad cor per amorem ; veni ore ad os per osculum ; veni spiritu ad spiritum per unionem. » Illa vero cogitare cœpit quid esset spiritu ad spiritum venire ; et Dominus : « Quisquis omni voluntati suæ renuntiaverit, et omnibus tam adversis quam prosperis voluntatem meam voluntati suæ præelegerit, hic spiritu ad spiritum per unionem venit, et in eo complebitur quod scriptum est : *Adhærens Deo unus spiritus fit cum eo.* (I. Cor. vi. 17.)

Qui voluntatem Dei suæ præfert cum ipso unus spiritus est.

Tunc illa rogabat Dominum pro quodam gravamine quod timebat claustro evenire, quatenus hoc per suam clementiam dignaretur amovere. Cui Dominus respondit : « Tu es gaudium meum, et ego tuum, et quandiu vixeris et delectamentum cordis mei in te habuero, talia nunquam supervenient claustro. » Et anima : « Eia amantissime, cur ita mihi loqueris, cum nil bonum sit in me ? » Qui respondit : « Mel si aceto misceatur, suam perdet suavitatem ; dulcedo autem mea nunquam miscebitur ut suam amittat suavitatem. »

Attendite, dilectissimi, quam valeat oratio justi assidua, quantam Dominus per suos dilectores hominibus impen-

dat gratiam. Vere nimis honorificandi sunt amici tui, Deus, nimis studiose perquirendi, nimis amandi et reverendi; qui et iram tuam nobis toties mitigant, insuper multis bonis nos cumulant. *Quis dabit capiti nostro aquas, et oculis nostris fontem lacrymarum* (Jer. ix. 1.) ut digne defleamus, cum talem interventricem amiserimus, cujus amore toties nobis pepercit omnipotens Deus; cujus orationis fructum toties efficaciter in nobis experti sumus? Ipsa etiam flagrans igne divini amoris, velut carbo igneus alios accendebat, et exemplo suo ad amandum Deum plurimos incitabat. Heu! ubi talem reperiemus, cum ipsa introierit potentias Domini, cum introducta fuerit in thalamum Regis summi, pausatura sub umbra Dilecti sui?

De Mechtilde nuper amissa amentatio.

---

## CAPUT XIV.

### QUALITER ABBATISSA ELIGATUR.

Factum est cum senuisset Abbatissa cœnobii [1], homo vere secundum cor Dei, pia hæc et fidelis virgo orabat Deum quatenus aliam sibi placitam monasterio provideret. Et ait Dominus: « Illa die cum Abbatissam vultis eligere, facite cantare Missam de Spiritu Sancto, et tota Congregatio in oratione sit, nulla excepta, orentque Deum ut ipse, qui omnia novit antequam fiant, illam eis inspiret eligendam, quam ipse ad hoc ordinaverit ab æterno. Una autem sapiens et

1. De abbatissa Sophia juniore hic agitur, filia Burchardi II. de Mansfeld, quæ propter gravem infirmitatem et senium officio se abdicare voluit, et circa annum 1303 decessit.

timens Deum persona ad hoc ponatur, cui post orationem factam singulæ dicant quam elegerint, quas ipsa præscribat diligenter. Sorores invicem non affirment quam velint, nec pro singulari amicitia non valentem eligant, sed secundum Dei placitum in quantum agnoscere possunt, eligant. Post hæc, septem personæ Deum timentes et sapientes ad hoc constituantur, ut de omnibus electis unam eligant, totusque Conventus sit interim devote orans, quatenus in unam, secundum Dei beneplacitum concordent. Quod si septem illæ non possunt in unam concordare, referatur ad Præpositum, qui tunc loco et vice Dei præsideat ; et quamcumque ille tunc eis præfecerit, ac si a Deo data sit, suscipiatur et confirmetur. Simili modo majores officiales, scilicet Præpositus et Priorissa eligi possunt. »

---

## CAPUT XV.

### QUALITER HOMO DESPONSATIONEM RENOVET.

Dum vice quadam Deo in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitaret, quam negligenter vixisset, et quam multa bona a Deo gratis accepta, etiam quod Deo in sponsam consecrata, prærogativam illam peccatis suis maculaverit, dixit ad eam Dominus : « Si tibi daretur optio, quid magis eligeres, an ut omnia quæ tibi contuli bona, operibus et virtutibus per temetipsam obtinueris, an ut tibi gratis omnia contulerim? » Quæ respondit : « Etiam, mi Domine, minimum donum a te mihi concessum plus accepto, quam si omnium merita Sanctorum, etiam maximis virtutibus et laboribus, promereri possem. » Cui

Donum Dei omni merito anteferendum.

Dominus : « Ex hoc, inquit, in æternum sis benedicta. » Et addidit : « Si tuam vis renovare desponsationem, accede ad pedes meos, gratias agens pro veste innocentiæ quam tibi gratis contuli, quia nullo eam merito deservisti ; orans ut mea perfectissima innocentia quidquid in te vitiatum est emendetur. Dehinc ad manus meas gratias agas, pro omnibus operibus meis, quæ tibi promerui, et etiam pro tuis quæ in te sum operatus. Exinde in camino divini Cordis mei annulum fidei et amoris tui, velut aurum in fornace probatum, reforma, ejusque gemmam in aqua et sanguine Cordis mei lava, ut inde valorem suum recipiat et decorem. »

Annulus sponsalis in Corde divino renovetur.

Anima autem ineffabiliter Deum laudare desiderans, orabat Deum Patrem, quatenus suimet altissima laus effici dignaretur, secundum quod beatissima Trinitas seipsam dignissime in invicem laudat et laudatur. Dominus autem volens satisfacere ejus desiderio, accepit cor animæ in similitudine crystallini vitri, triangulati, auro gemmisque optime distincti, per quod illa venerandæ Trinitatis laus ineffabilis designabatur; et inde cum jucunditate suimetipsius laudem bibebat. Dehinc omnibus Sanctis suis obtulit etiam inde bibendum. Tunc illa pro animabus fidelium orare cœpit, quatenus et ipsæ huic dono participarentur. Statimque vidit multitudinem ipsarum venientium, et de vitro illo cum gaudio bibentium. Viditque inter eas quasdam bibere quæ nondum plene erant purgatæ. Super quod dum illa miraretur, ait Dominus : « Quod modo vides, in vero cœlo non est ; sed quia me vides, qui sum contentivus omnis creaturæ, etiam cuncta velut præsentia tibi vides. »

Ex corde animæ laus Dei bibitur.

Deum videnti præsentia sunt omnia.

Vidit etiam ibi animam cujusdam Religiosi; de quo dum interrogaret cur in cœlo non esset, Dominus respondit : « Sapientiorem se prælato suo æstimabat, et quidquid prælatus suus faciebat, non sibi placebat, sed se melius

Pœna superbientis

facturum putabat. Hoc maximum post mortem ejus impedimentum fuit. Religiosus enim nunquam adeo sapiens esse potest, quin se prælato suo in humilitate omni subjicere, et ejus voluntati in omnibus bonis oporteat consentire. Post hæc, cum iterum pro anima ejusdem Conversi Dominum exoraret, vidit animam ipsius in magna claritate, cæterosque Conversos tanta excellere gloria, quanta sacerdotes communem populum præcellunt dignitate. Et hanc prærogativam ex eo promeruit, quod speciali devotione et diligenti studio, ubicumque poterat, ad altare serviebat et sacerdotes tam cantu quam ministerio promovebat.

Gloria sacerdotibus devote servientis.

---

## CAPUT XVI.

### QUALITER SE PUELLULÆ NOVITIÆ HABEANT.

Benigna charitate qua omnium semper memor fuerat, etiam pro Novitiis Dominum exorabat, quatenus eas in Religionis et veræ sanctitatis professione confirmaret ; pro quibus tale a Deo responsum accepit : « *Inambulabo in eis et inhabitabo, et ipsi populus meus erunt.* (II. Cor. vi. 16.) *Inambulabo in eis,* per sancta desideria, et bonam voluntatem earum. *Et inhabitabo in eis,* per amoris unionem. *Et ipsi populus meus erunt*, per bonam et laudabilem conversationem suam, et Ecclesiæ sanctæ profectum et augmentum. Omnes enim quos suo bono exemplo, virtutibus, aut doctrina attraxerint, et quos suis orationibus lucratæ fuerint, pro Ecclesia orantes ut in melius proficiat, pro peccatoribus ut convertantur, et omnes animæ quæ precibus earum a pœnis liberabuntur, in numerum populi sui computabuntur. »

Quid Dominus Novitiis pollicetur.

Quibus studere debeant Novitiæ.

« In his quoque specialiter se studeant exercere : sæpius et devote orent ; divinam Scripturam libenter legant et audiant ; studiose laborent ; obedientiam et regulam cum omnibus sibi statutis diligentius teneant, et perfectam in omnibus humilitatem habeant, nulli se comparantes, et nullum omnino spernentes. Sicque dum orant, meam divinam voluntatem et quæcumque indigent eas docebo, et in lectione meam eas degustare faciam suavitatem. In laboribus quoque eas sanctificabo ; in obedientiæ et regulæ observatione eis compati et eas roborare atque coadjuvare volo ; et in humilitate earum in eis requiescere volo. »

---

## CAPUT XVII.

### QUALITER CHRISTUS PROFITENTES IN SUOS SUSCIPIT AMPLEXUS.

Virtutes in Religiosa professione impetrandæ.

In die autem professionis earum, cum iterum pro eisdem orasset, dixit ei Dominus : « Orare me debent ut dem ipsis oculos intelligentiæ, quibus me et omnia illis salutaria videant, et vere agnoscant ; aures obedientiæ, ad omne imperium et prælati sui voluntatem paratas ; os quoque sapientiæ, quo laudem meam semper proferre, et quæ proximis congruunt, docere et loqui sciant. Postulent etiam cor amans sibi dari, quo me et omnia in me et propter me pure diligant ; manus autem bonæ operationis, ut omnia quæ agunt, intente faciant et studiose. »

Cum vero Litania pro ipsis fieret, vidit beatam Virginem et deinde singulos Sanctos, qui ibi nominabantur, flexis cum reverentia genibus pro ipsis Dominum exorare.

Et dum professionem facerent; Dominus Jesus eas in amplexus amantissime suscepit, porrigens singulis dexteram suam in adjutorium voti sui, et protectionem a malis. Accedentibus etiam ad Communionem dulcissimum osculum singulis infixit, in quo unum cum ipso felici unione sunt effectæ.

---

## CAPUT XVIII.

### DE AMPLEXU DOMINI.

COMPATIENS quandoque cuidam personæ, quæ in causa quadam non plene consentiebat voluntati magistratus sui, orabat Dominum, quatenus mentem ejusdem personæ gratia sua dignaretur illuminare, et ad obedientiam inclinare. Et ecce vidit Dominum Jesum stantem, et ipsam pro qua orabat personam dextro brachio circumplectentem, ac dicentem: « Ex hora illa qua voluntatem propriam in manus prælatorum suorum mihi consignavit, ego eam in amplexum suscepi, nec unquam dexteram meam relaxabo ut eam dimittam, nisi forte ipsa sponte sua retrorsum se subtrahat mihi; et hoc si fecerit, de cætero non poterit in priorem locum redire, nisi se inclinet. » Ex quibus verbis illa intellexit quod Deus in die professionis cujuslibet Religiosi, ipsum in paternum suscipit amplexum, a quo nunquam eum dimittit, donec homo, quod absit, voluntaria deliberatione obedientiæ contradicat. Tunc quasi subtrahit se dexteræ Dei; cui non poterit de cætero implicari, donec per veram pœnitentiam ac dignam satisfactionem se humiliter Deo prosternat, votum deinceps libenter obediendi pollicendo.

Obedientiæ mancipatum Dominus stringit amplexu.

## CAPUT XIX.

### QUAM UTILE SIT HOMINEM FRANGERE PROPRIAM VOLUNTATEM.

Voluntas divina quasi virgo e sacra pixide videtur exsurgere.

ROGATA aliquando ab una persona, ut Deo offerret difficilem rem quam pro Dei amore perfecerat voluntati suæ resistendo ; quod dum faceret, in Missa videbatur sibi quasi de pixide in qua continebatur Christi corpus, egredi puerum valde parvulum, qui in momento crevit in virginem speciosissimam, per quam significabatur voluntas Dei ; ad quam quædam accedentes, dulcissimo visu eam intuebantur et amplexabantur, confabulantes secum ; per quas videbatur sibi significari eas qui voluntatem suam in omnibus voluntati divinæ student conformare, tam in adversis quam in prosperis, et præceptis majorum obedire. Deinde in alia parte visus est stare servus coquinarius, nigerrimis indutus vestibus ; per quem figurabatur propria voluntas et sensus singularis. Hic despicabilis servus conabatur prædictas personas avellere ab illa pulcherrima virgine, et ad se respicere ; quod quædam pro nihilo ducentes, statim iterum ad virginem respexerunt ; quædam vero convertentes se ad illum, alludebant ei secum confabulantes et susurrantes. Per has significabantur hæ quæ interdum a Dei voluntate se avertentes, propriam sequuntur voluntatem, magis proprium sequentes sensum quam monita prælatorum implentes. Hæ nisi convertantur per pœnitentiam ad prædictam virginem, scilicet Dei voluntatem, oportet ut perpetua inopia cum eodem servo crucientur ; quia nihil parit propria voluntas in spiritualibus nisi perpetuam egestatem.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## CAPUT XX.

### DE LIBERO ARBITRIO HOMINIS.

VIDIT aliquando Dominum Jesum et hominem quemdam coram ipso stantem, et in Corde Dei rotam quæ continue volvebatur, funem vero longum de Corde Dei tendentem ad cor hominis, in quo etiam erat rota quæ volvebatur [1]. Per hominem illum designantur omnes homines; per rotam vero, intelligitur quod Deus ex suo libero arbitrio homini dedit liberum arbitrium convertendi se ad bonum sive ad malum. Per funem vero voluntas Dei quæ hominem semper trahit ad bonum et non ad malum. Funis igitur tendit de Corde Dei ad cor hominis, et quanto plus rota volvitur, tanto plus homo Deo approximatur. Si vero malum eligit, rota circumvolvitur, et homo a Deo alienatur. Si autem homo in malo perseveraverit usque ad mortem, tunc funis frangitur, et homo in æternam cadit damnationem. Quod si per pœnitentiam surrexerit, Deus qui semper ad indulgentiam est paratus, hominem iterum in suam recipit gratiam, et rota ut prius volvitur, et homo per gratiam Deo approximatur.

Rota liberi arbitrii.

1. Hic juvat conferre quæ poeta *Dante* concinit, *il Paradiso* c. 33. ad calcem :

*Ma già volgeva il mio disiro e'l velle,*
*Si come ruota, che igualmente è mossa,*
*L'amor, che muove'l Sole e l'altre stelle.*

## CAPUT XXI.

### QUOD UTILE SIT HOMINI SENSUS A NOXIIS REFRENARE.

Dum vice quadam in affectu mentis Deo inter alia diceret : « Quod ejus captiva libenter esse vellem ! » Dominus ita respondit : « Qui meus captivus esse voluerit in terris, oportet ut oculos suos ab omni illicito et inutili visum retrahat, et vinciat. Hujus ego oculos in cœlesti gloria vultus mei claritate et manifestatione gloriæ meæ revelabo, ac in tantis deliciis meipsum illi ostendam, ut tota cœlorum militia cum jubilo admiretur. Similiter qui aures suas captivat, inutili et nocivo auditu eas avertendo, huic ego dulcisonæ vocis meæ modulatione suavissimum melos in æternitate singulari gloria decantabo. Qui etiam os suum ab otiosis et nocivis refrenat verbis, hujus ego os mea laude tam excellenter aperiam, ut speciali dignitate præ cæteris laudem meam depromat. Qui etiam cor suum a vanis et malis cogitationibus et nocivis desideriis cohibet, hunc ego tanta liberalitate dotabo, ut mei et omnium quæ voluerit potens sit ; ejusque cor in meo divino Corde singulari libertate et deliciis perpetuo exultabit. Et qui manus suas alligat ne opus peccati faciat, hunc ab omni labore tam gloriose absolvam, et æterna requie donare, ejusque bona opera meis operibus unita, tanto honore extollere volo, ut tota cœlestis curia novo gaudio cumuletur. »

Christi captivus.

## CAPUT XXII.

### QUAM BONA SIT COMMUNIS ORATIO.

In quadam necessitate claustri, dum Conventus psalterium quod legerat, Christi famulæ Deo offerendum committeret, dixit Angelo suo : « Eia, dilecte Angele, tu qui cognoscis sicut et cognitus es, ego autem cognosco ex parte, hanc rogo orationem Regi tuo, cui in decore et deliciis assistis, repræsenta. » Cui Angelus : « Nequaquam cognosco sicut cognitus sum ; quia qui me fecit, cognoscit me, sicut summa potentia, sicut summa sapientia, sicut summus amor ; ego vero eo tantum agnosco modo, sicut creatus sum. Ego quoque plus gaudeo quod tuam legationem Deo meo habeo præsentare, quam unquam aliqua matrum de honore et divitiis unici filii sui potuit exultare ». Tunc Angelus orationem illam in specie alaudarum viventium, velut in linteolo candido Deo cum multa reverentia et gaudio præsentabat. Quædam vero alaudæ de linteo, velut evolare volentes, se elevabant, sed iterum resederunt. Quædam autem evolantes, supra pectus Domini consederunt ; aliæ vero ad os Domini evolantes, ipsum osculabantur. Et ait Dominus : « Quot personæ hanc orationem persolverunt, toties oculis misericordiæ meæ eas respicere volo, et aures clementiæ meæ eis inclinare. »

Angelus custos orationem Deo præsentat.

## CAPUT XXIII.

### QUALITER CHRISTUS PRO HOMINE QUOD EI DEEST PER SEIPSUM SUPPLET.

ORABAT hæc Dei famula pro quadam persona, quæ mœrorem cordis sibi conquesta fuerat, quem pro eo habebat quod Deum minus diligeret, eique minus devote serviret. Unde et ipsa in magnam incidit tristitiam, reputans se per omnia inutilem, quæ Deum pro tantis sibi collatis beneficiis, nequaquam ut dignum foret, diligeret. Cui Dominus respondit : « Eia dilecta mea, noli mœrere ; omnia enim mea tua sunt. » Ad quod illa : « Si vere omnia tua mea sunt, ergo et amor tuus meus est, qui tu es, sicut Joannes dicit : *Deus charitas est*. (I. JOAN. IV. 16.) Hunc igitur amorem tibi offero, ut per ipsum omne quod mihi deest suppleatur. » Quod Dominus gratanter acceptans ait : « Optime sic facies, et cum me laudare sive amare cupis, nec perpetuo desiderio illud implere vales, ita dicas : Jesu bone, laudo te, et quidquid minus est in me, rogo ut tu suppleas pro me. Cum vero amare delectat te, dicas : Jesu bone, amo te, et quidquid minus est in me, rogo ut Cordis tui amorem Patri offeras pro me. Et hæc dices personæ pro qua oras, ut ipsa similiter faciat, et si millies in die replicando, me taliter rogaverit, ego toties pro ea me Patri offeram ; quia non possum lassari nec tædiari. »

Amorem suum sibi oblatum Christus acceptat.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## CAPUT XXIV.

### QUID HOMO IN TRISTITIA FACIAT.

ITEM cum pro alia oraret, hoc a Deo responsum accepit: « Sæpius legat hunc versum: *Benedictus es, Adonai, in firmamento cœli, laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula; qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et superlaudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula, alleluia.* Et si quando inciderit menti ejus ut cogitet se non pertinere ad electos, faciat more hominis qui esset in valle tenebrosa: hic si libenter aspiceret solem, de valle in montem ascenderet, et sic tenebras evaderet. Sic et ipsa, cum involvitur tenebris tristitiæ, ascendat in montem spei, et oculis fidei aspiciat me, cœleste firmamentum, cui omnium electorum animæ velut stellæ sunt infixæ. Quæ stellæ, licet peccatorum nube et nebulis ignorantiæ obtenebrentur, in firmamento tamen suo, hoc est in mea divina claritate offuscari non possunt; quia electi, licet magnis quandoque involvantur peccatis, semper tamen eos in ea respicio charitate, in qua eos elegi, et in illa ad quam perventuri sunt claritatem. Unde bonum est homini, ut sæpe recogitet quam gratuita bonitate ipsum elegi, quam miris et occultis judiciis in peccatis existentem pro justo homine respexi, et quam amanter de ipso cogitans, omnia etiam mala ipsi in bonum commutavi, et benedicat me, æternam firmitatem electorum. In hoc autem verbo: *Benedicant te omnes Angeli et Sancti tui*, desideret omnes Angelos et Sanctos me secum pariter collaudare. »

Ex valle tristitiæ ad montem spei anima ascendat.

## CAPUT XXV.

### QUALITER HOMO SUA GRAVAMINA DEO COMMITTAT.

ITEM cum pro alia oraret, hoc a Deo responsum audivit: « Cum homo in aliquo gravatur, ad pedes meos se prosternat, ibique omne onus suum mihi committendo, deponat, legatque Orationem : *Respice, Domine, super me famulam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum :* orans ut oculis misericordiæ ipsam respiciam, illuminando animam ejus, ut agnoscere valeat ad quid et ex quanto amore, hoc ipsi evenire permiserim, quatenus ad laudem meam hæc et omnia sibi adversantia sufferat patienter. Deinde ad manus meas veniat legendo Responsorium [1] : *Emitte, Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ ut mecum sit et mecum laboret; ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. ℣. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. Ut sciam. Gloria. Ut sciam.* orans ut divina sapientia cooperatrix et adjutrix ejus sit, quatenus hoc gravamen ad Dei gloriam sibi utiliter ad fructum universitatis valeat tolerare. Tertio ad Cor meum accedat, legendo: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio; o inæstimabilis dilectio charitatis ut servum redimeres, filium tradidisti* [2] : et : *O admirabile pretium, cujus pondere captivitas redempta est mundi, tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta*

1. Ex Historia Sapientiæ, in mense Augusti.
2. Ex præconio paschali in Sabbato Sancto.

*est nobis janua vitæ* [1], orans ut per amorem divini Cordis mei, quo omnium hominum onera portavi, faciam eam onus tristitiæ suæ cum gratitudine amanter supportare. »

---

## CAPUT XXVI.

### QUALITER HOMO COR SUUM DE OMNI TRIBULATIONE DEO OFFERAT.

ALIA vice cum pro una oraret, quæ certificari desiderabat si cum Deo permansura esset, vidit animam ejusdem coram Domino flexis genibus, cor suum ei propinantem, in modum calicis duas aures habentis, voluntatem et desiderium figurantes, quibus illa Deo cor suum offerebat. Dominus autem calicem illum gratanter accipiens, posuit in sinum suum. Habuitque duas amphoras, unam auream a dextris, et a sinistris argenteam, nunc de una, nunc de altera infundens pariter commiscebat : in aurea amphora dulcedo divinitatis, in argentea vero labor humanitatis ejus erat ; quod insimul in cor hominis infundit, cum illi in tribulatione suæ divinæ consolationis dulcedinem dat sentire et labores suæ humanitatis tribuit in solamen.

Duplicia per Christum homini solatia.

Et ait Dominus : « Cum homo gravatur, si in ipso initio mihi illud propinaret, ego cum inde biberem, ex ore meo tantum dulcedinis infunderem ; unde sic nobilitaretur, ut nunquam de cætero posset perire. Sed cum homo prior inde bibit, inficit illud, et quo plus bibit, eo magis amaricatur, ut jam me inde bibere non deceat, nisi pœnitentia et confessione purgetur. » *Glosa*. Cum homo tristatur, statim omne gravamen suum Deo offerre deberet ; tunc ipse dulce-

1. Antiphona vetus ad Crucis adorationem in Parasceve.

Quantocius ad Deum gravatus confugiat.

dinem suæ consolationis ipsi immitteret, et ad patientiam animaret, nec unquam permitteret gravamen illud absque fructu deperire; ita si contingeret hominem postmodum ex sua fragilitate illud resumere, inde scilicet cogitando vel loquendo, hoc quam citius pœnitentia deleretur. Sed cum homo gravamen suum ipse vult portare, labitur in impatientiam, et quo plus tractat, nunc inde loquendo, nunc cogitando, eo gravius et amarius sibi erit; et cum postmodum ad se redit, jam illud Deo offerre non audet, quia nec illum decet. Attamen adhuc non diffidat, sed confessione et pœnitudine illud purgatum, Deo humili spiritu et corde contrito studeat propinare.

Post hæc Dominus personam illam benigne amplexatus est dicens: « Nemo tollet a me animam tuam. » Benedicens etiam eam, signum crucis impressit ei dicens: « Divinitas mea benedicat te, humanitas mea confortet te, pietas mea foveat te, amor meus conservet te. »

---

## CAPUT XXVII.

### QUALITER ANIMA CHRISTO COLLUDAT, ET DE DECIIS.

Altera vice cum pro eadem persona Virginem gloriosam exoraret, visum est ei quod beata Virgo daret ei tres decios dicens: « Hos da ei ex parte mei, ut cum his Filio meo colludat; assolet enim sponsus sponsæ colludenti, annulos, monilia, et si quid habet delectabile quod manibus operata est, sibi per ludum auferre; similiter et ipsa quidquid sponsus habuerit, sibimet vindicare. » Tunc illa divinitus inspirata, intellexit per unicum punctum decii designari hominis vilitatem et dejectionem, quam tunc

Christo quasi in ludo exponit, cum omni abjectione et quælibet adversa Christo libens offert, eligens sponte subjici omni creaturæ; ipsa vero Christo sua aufert, cum Christus suam exaltationem et condignum honorem, quem Deus Pater sibi dedit, pro dejectione qua pro homine in terris seipsum humiliavit dicens: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis*, (Ps. XXI.) e contra animæ donat.

Hominis vilitas per Christi dignitatem compensatur.

Duo puncta significant corpus et animam quæ tunc anima exponit, cum omnia opera sua tam spiritualia quam corporalia, ex amore, Christo in laudem facit; pro quibus et illi vicissim omnia opera divinitatis et humanitatis suæ rependit. Tria puncta sunt tres animæ virtutes, scilicet memoria, intellectus et voluntas, quas tunc anima in ludo jactat, cum in his secundum Dei beneplacitum se regit; ipsa vero quæ sponsi sunt, acquirit, cum sanctæ Trinitatis imaginem ad quam facta est, in se irreprehensibilem Christi gratia repræsentat. Quatuor vero puncta tunc anima jactat, cum se totam Deo in prosperis et adversis, in præsentibus et futuris committit: cui Christus sua e contra jactat, cum quatuor mundi partes cum omnibus quæ in eis sunt, quæ sua sapientia (*a*) potenter regit, animæ subjicit et servire facit. Quinque puncta sunt quinque sensus animæ, quæ tunc jactat cum sensuum suorum secundum Dei placitum fruitur: cui Christus sua quinque vulnera quæ pro ejus amore et salute pertulit, cum effectu passionis suæ impendit. Sex puncta sunt sex hominis ætates, quas tunc homo jactat cum se omnibus diebus vitæ suæ male et negligenter vixisse confitetur: cui Christus e contra suam sanctissimam conversationem et totam vitam suam cum omni perfectione virtutum suarum in hoc ludo benigne objectat.

Sua quæque cum singulis Christi commutat anima.

(*a*) potentia. *Cod. Guelferbyt.*

## CAPUT XXVIII.

### QUOD QUIDQUID ANIMA DESIDERAT IN DEI CORDE REQUIRAT.

Rogata orabat pro una persona Dominum, ut purum, humile, desiderans, amans et spirituale cor sibi donaret. Pro qua tale responsum audivit : « Omnia quæ vult et quibus indiget, in Corde meo requirat, et a me sibi dari postulet, more pueri qui a patre omnia quæ desiderat petit. Cum enim puritatem desiderat, ad meam recurrat innocentiam ; cum vult humilitatem, de meo eam accipiat. Desiderium etiam suum de meo suppleat, et amorem meum cum religiosa et tota divina conversatione mea sibi fidenter usurpet. »

Tunc illa : « Mi Domine, rogo ut in extremis ejus misericorditer cum illa agas, donans ei certitudinem tecum manendi. » Ad quod Dominus : « Quis sapiens thesaurum cum labore acquisitum et sibi dilectum projiceret et perderet ? Ego omnia humana ejus in mea humanitate sanctificavi, et omnia spiritualia ejus in meo spiritu in baptismo vivificavi. Ergo in his duobus mihi adhæreat, omnia humana sua, scilicet tentationes, et quælibet adversa, meis humanis unita mihi committat ; et spiritualia sua, scilicet spem, gaudium et amorem suum in me solum tendat : sic eam in æternum non derelinquam. »

Animam quasi thesaurum sibi Deus custodit.

## CAPUT XXIX.

### QUALITER NEGLIGENTIAS CUM LAUDE SUPPLEAS.

ITEM, cum pro quodam tribulato oraret, vidit ipsum pro quo orabat, stantem coram Domino, et Dominum dicentem : « Ecce huic omnia peccata sua dimitto ; ipse vero omnia peccata et negligentias suas cum laude supplebit. Inter Præfationem enim ad hoc verbum : *Per quem majestatem tuam laudant Angeli*, laudet me in unione illius supercœlestis laudis, qua veneranda Trinitas in invicem se laudat et laudatur, et effluit in beatam Virginem ac deinde in omnes Angelos et Sanctos ; legatque unum *Pater noster*, quod offerat in unione laudis qua cœlum et terra, et omnis creatura me laudat et benedicit : orans per me, Jesum Christum Filium Dei, orationem acceptari, per quem omne quod Deo Patri offertur, in summa ascendit placentia. Sicque omnia peccata illius et negligentiæ per me supplebuntur. »

Deo Patri placet quod per Filium offertur.

Si quis idem fecerit, pie credat eamdem se gratiam percepturum, quia, ut supra ait Dominus, impossibile est hominem non consequi quæ credidit et speravit.

## CAPUT XXX.

### QUALITER SE DEUS CUM ANIMA VESTIT, ET DE EFFECTU GEMITUUM.

SOROR quædam dum in festo quodam ægrotaret, hæc Christi virgo, pietatis affectu, Dominum pro infirma orabat, piis querelis Domino opponens, cur dilectricem suam

quam tam ferventer sibi in choro assistere sciret, fecerit infirmari. Cui Dominus : « Et quare non licet mihi cum dilecta mea cum voluero, tripudiare ? Cum homo enim infirmatur, induo me anima ejus, velut vestimento decoris, et sic in jucunditate Cordis mei assisto Patri meo, gratias agens et laudans pro omnibus pœnis quas sustinet homo ille. » Et adjecit : « Quicumque desiderat ut ejus anima me vestiam, mane cum surgit, ad me toto quo potest corde suspiret, desiderans ut omnia opera sua die illa in eo operer. Sicque per gemitum me sibi intrahens, erit vestis mea ; et sicut corpus vivit et regitur ex anima, sic anima ex me vivens omnia per me operatur. »

Bonum infirmitatis.

Dixitque iterum Dominus : « Magni effectus sunt gemitus, ita ut nunquam homo ad Deum ingemiscat, quin ei proximior quam antea fiat. Gemitus enim qui ex amore aut desiderio mei, sive gratiæ meæ, provenit, tria in anima operatur bona. Primo, animam fortificat, sicut bonus et suavis odor qui hominem reficit et confortat. Secundo, ipsum illuminat, sicut sol domum antea tenebrosam ; tertio, eam dulcificat, ut omne quod agit sive patitur, magis sibi sapiat. Gemitus vero qui ex contritione peccatorum provenerit, velut bonus legatus, animam Deo reconciliat, gratiam reo impetrat, et conscientiam turbatam serenat. »

Gemitus ex amore reficit, illuminat, et acuit mentem.

Tunc illa intra se cogitabat quomodo fieri posset quod dicitur : *Peccator in quacumque hora ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, (Ezechiel. xviii. 23.) cum adhuc tamen homo peccata sua confiteri oporteat, nisi vera necessitas confessionem excludat. Ad quod Dominus respondit : « Cum aliquis pro reo intercedit, non tamen servus ille statim ante faciem domini sui præsumit accedere, nisi prius a sordibus se emundet, et vestibus se mundis induat. Sic peccator, licet

eum in gratiam meam susceperim, decet tamen eum sordes suas detergere, et decore virtutum se vestire. »

---

## CAPUT XXXI.

### QUALITER HOMO SECUNDUM PLACITUM DEI VIVAT.

EXORATA rogabat Dominum pro quadam persona, ut se instrueret quomodo secundum placitum suæ voluntatis vivere posset; pro qua tale responsum a Deo accepit: « Ipsa more sponsæ caput suum, manus, brachia et pectus suum adornet, et mantello se circumdet. Caput ejus divinitas mea est, quam laude et reverentia velut diademate adornet. Manus quoque et brachia annulis et armillis aliisque ornamentis decoret: hæc enim omnia opera sua et labores, in unione et intentione operum et laborum meorum faciat. Habeat quoque annulum sapientiæ, hoc est, Scripturam sanctam frequenter legat, et memoriter teneat, quia sponsam sapientiæ decet esse in divinis eruditam. Habeat etiam annulum amoris, Deum scilicet toto corde, totisque viribus unice diligendo; annulum insuper fidei teneat, hoc est, fidem quam mihi professa est, omni diligentia servet; annulum quoque nobilitatis habeat, hoc est, exempla virtutum mearum imitetur: humilitatem videlicet, obedientiam, patientiam, voluntariam paupertatem, et cæteras virtutes meas, ex quibus anima nobilitata amplexibus meis digne perfruatur. Pectus vero suum adornet: suaves scilicet, et amatorias de me cogitando cogitationes, recolligens sibi in fasciculum omnia verba, opera, et passiones meas, quæ per jugem memoriam a corde ejus non recedant. Circumdet

Sit Christi. Sponsa in divinis erudita.

se etiam pallio; hoc est diversarum decore virtutum se cunctis præbeat in exemplar. »

Alia vice cum pro eadem oraret, videbatur sibi Dominum extendere manum suam ad illam pro qua orabat, et illam singulos digitorum ejus osculari; per quod divinitus intellexit designari: per extremum scilicet digitum, quod omnia opera humanitatis Christi, quæ fecit aut passus est, venerari et amare deberet; per annularem notabatur familiaris amor et fidelitas quam ad Sponsum Christum habere deberet; per medium digitum, eminentia cognitionis et contemplationis; per indicem, sapientia et doctrina quam indigentibus deberet impertiri; per pollicem, fortitudo et perseverantia divini amoris omniumque bonorum. Per hoc quod osculabatur digitos Domini, innuebatur quod has virtutes non solum habere deberet, verum etiam diligere; quia quantumcumque virtutis possidet homo, in amore ejusdem virtutis etiam delectatur.

Singulos Christi digitos osculatur anima.

---

## CAPUT XXXII.

### QUALITER HOMO SE DEBEAT AD DEUM TENERE.

Aliâ quoque vice, pro quadam orabat scire cupienti quid Deus ab ea maxime vellet. Pro qua tale responsum audivit: « Ipsa, inquit, habeat se ad me sicut puer qui tenere patrem suum diligit, et semper ad ipsum ut aliquid sibi det recurrit; cui quidquid pater dederit, ex affectu quo ipsum diligit, pro magno et caro habebit. Sic et illa semper ad gratiam meam anhelet, et omnia quæ sibi dedero, nunquam parva reputet, sed ex amore cum magna gratitudine susci-

Homo se ad Deum habeat sicut puer ad patrem.

piens, pro singulis gratias agat. Secundo, habeat se sicut sponsa quæ nec pro divitiis, aut pulchritudine, aut nobilitate, sed ex amore solo eligitur et adamatur, et ad regnum decoris promovetur. Hæc sponsa magis gratifera, et fidelior, et amplius amans jure invenitur; et si quid a sponso, vel propter ipsum sustinere oportuerit, majori patientia supportabit. Sic et illa semper in gratitudine memoretur quam gratuite eam elegi ante mundi constitutionem, quam caro pretio mei sanguinis eam redemi, insuper ad specialem amorem et familiaritatem meam vocavi. Tertio, sicut amicus ad amicum, qui omnia quæ amici sui sunt ad se pertinere putet; sic et ipsa in omnibus Dei gloriam quærat, et in quantum potest promoveat, et quæ contra Deum sunt, æquo animo nullo modo fieri patiatur. In omnibus autem his, si quando aliquid eorum quod desiderat, non consequitur, aut gratia assueta, seu consolatio divina sibi subtrahitur, non continuo contristetur, nec pro indignatione aliqua illud fieri, aut se a Deo derelictam æstimet; quia fidelis pater nequaquam filio, si ea petit quæ sibi non conveniunt, tribuit, et sponsus quandoque serium quoddam sponsæ exhibet, non ex indignatione, sed pro ejus instructione. Sic et Deus animæ fidelitatem cupit experiri, non ut ipse nesciat, *qui omnia novit antequam fiant* (Sap. viii. 8.), sed ut eam coram omnibus Sanctis commendabilem reddat. »

Sicut sponsa ad sponsum.

Ut amicus ad amicum.

QUOD HOMO TRIBUS MODIS DEBET SE AD DEUM HABERE, CUM EST INTER HOMINES.

Item de alia Dominus ait: « Tribus modis se ad me habeat inter homines habeat se ad me sicut catellus, qui ex fidelitate sua, etiam sæpius expulsus, iterum dominum suum sequitur. Sic et ipsa, cum inter homines est, si aliquo verbo læditur, non statim per impatientiam effugetur; quod

Inter homines anima sit ut catellus.

si quandoque fit, mox per pœnitentiam redeat, confidens de mea misericordia quod etiam per unicum gemitum omnia ei remittam. In choro et in oratione, habeat se ad me sicut sponsa ad sponsum, per amorem et dulcem familiaritatis exhibitionem. Cum vero communicatura est, habeat se sicut regina ad regem suum : regina enim in convivio regis sui liberalis est, largitur dona, et eleemosynas erogat. Sic ipsa bona sui Regis sibi donata omnibus liberaliter tribuat, et suis orationibus subveniat. »

In choro, tamquam sponsa

Ad mensam Domini, ut regina.

---

## CAPUT XXXIII.

### QUALITER ANIMA DEBEAT CHRISTO SOCIARI.

Item cum hæc ancilla Christi aliquando se gloriosæ Virgini Mariæ recommendaret, visum est ei quasi sub pallio suo eam protegeret, dicens : « Anima desiderans Filio meo sociari, habeat se velut sponsa nobilis, longe super dignitatem suam sponsum habens, quæ pro honore sponsi sui in magna reverentia et disciplina se custodit, ne unquam tale committat quod sponsum suum dedeceat, aut oculis ejus displiceat. Sic anima illa nunquam sponte sua ad peccatum etiam quantumcumque parvum se inclinet. »

« Secundo, in omnibus quæ indiget aut desiderat, securum ad Deum habeat refugium ; ejus solius quærens consolationem et auxilium. Quod si eam statim noluerit consolari, sufferat patienter, sicut sponsa fidelis, quæ omnia secreta sua et necessaria sponso suo exponit cum fiducia, indignum judicans ab alio consolari. Tertio se Christo in virtutibus in quantum potest, conformet : scilicet

Anima Sponso sit fidelis.

ut, quia Christus humilis fuit et obediens, studeat humiliter omni se subjicere creaturæ, et si opportunum fuerit, usque ad mortem obedire. Hæc talis virtus ex unione Christi virtutis nobilior erit, quam mille virtutes quæ tali intentione non sunt peractæ. »

---

## CAPUT XXXIV.

### QUALITER DEUS OPERA SUA HOMINI COMMUNICAT.

Orabat aliquando pro quadam valde benevola ad labores, specialiter ad vilia opera; viditque eam coram Domino flexis genibus et elevatis manibus, quasi oraret. Ad quam Dominus manus suas, de quibus balsami liquor emanabat, manibus suis applicuit, et liquorem illum instillabat dicens : « Ecce do tibi omnia opera mea in sanctificationem et supplementum operum tuorum. » Intellexitque opera ejus et labores Deo valde complacere. Et ait Dominus : « Cum laboribus impedita mihi non valet intendere, legat Antiphonam : *Gratias tibi Deus, gratias tibi, vera, una Trinitas et trina Veritas, trina et una unitas*, vel : *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ipsi gloria in sæcula*, et studeat hominibus mite dare responsum. »

---

## CAPUT XXXV.

### DE DULCI CONSOLATIONE DOMINI QUA CONSOLATUR HOMINEM.

Iterum cum pro una oraret, vidit Dominum illam, pro qua orabat, dextera tenentem, et per quoddam pratum amœnum et florigerum deducentem. Per quod intellexit

quod eam ante mortem variis infirmitatibus vellet gravari. Dominus quoque habebat in pectore lilia, rosas et scuteola aurea; quæ illa cum magna delectatione confidenter accipiens, et cum his ludens ante pectus suum ponebat. In scuteolis intellexit designari constantiam et victoriam; in rosis, patientiam, quibus in suis infirmitatibus deberet triumphare; in liliis vero, cordis munditia notabatur, in qua Christo debuit conformari. Tunc illa quæ hæc videbat. dixit ad Dominum: « Dulcissime Deus, oro ut in extremis ejus des illi prægustationem æternæ vitæ : scilicet securitatem nunquam a te separandi. » Ad quam Deus: « Quis nauta qui bona sua cum pace ad portum evexisset, sponte in mare projiceret [1]? Sic animam ejus, quam ab infantia in Religionis proposito elegi, cujus manum dexteram tenui, et in voluntate mea deduxi, cum eam secundum placitum meum perfecero, etiam cum gloria mihi assumam. »

Patiens in infirmitate cor suum mundat.

---

## CAPUT XXXVI.

### DE TRIBUS VIIS DOMINI.

Cum pro quodam tribulato oraret, hoc a Deo responsum accepit: « Tres vias in hoc mundo ambulavi, per quas quicumque me perfecte imitari voluerit, sequi oportebit. Prima erat arida et angusta; secunda florida et fructiferis arboribus consita; tertia spinis et tribulis erat plena. Prima itaque via est voluntaria paupertas, quam omnibus diebus vitæ meæ in summo tenui et dilexi; secunda est virtuosa et laudabilis conversatio mea; tertia, dura et aspera

Christi paupertas, labor et passio.

1. Cf. Cap. 26. *supra*.

passio mea. Itaque omnis qui me sequi voluerit, oportet ut paupertatem amplectens, nil in hoc mundo cupiat possidere; secundo, conversationem laudabilem teneat; tertio, pœnas et tribulationes pro meo libenter amore sustineat. »

---

## CAPUT XXXVII.

### QUALITER ANIMA AD DEUM CONFUGIAT, ET DE EJUS SACRIS VULNERIBUS.

Alia vice vidit se coram Domino stantem, et ejus dulcissima vulnera salutantem; vulnera autem circumposita erant gemmis pretiosis; quod dum illa miraretur, Dominus ad eam ait: « Sicut gemmæ magnas in se habent vires, ut etiam quasdam hominum expellant infirmitates, sic vulnera mea tantæ efficaciæ sunt, quod omnem animæ depellunt languorem. Sunt enim quidam tam pavida habentes corda, quod nunquam de mea audent confidere pietate; sed præ timore a facie mea fugere cupiunt. De quibus dici potest quod tremulam paralysim habent; qui si ad passionem meam refugerent, et vulnera mea sæpius dulciter salutarent, omnem prorsus timorem ab eis elongarem. Sunt etiam quidam vaga et instabilia habentes corda, cogitationibus ubique circumvolantes, et per unicum quandoque verbum ad iram et impatientiam labentes; qui si cordetenus passionem meam recolerent, et vulnera mea cordi suo infigerent, cordis ex hoc stabilitatem acquirerent, et patientiam invenirent. Item sunt quidam dormitantem paralysim habentes, illi scilicet qui omnia pigre et tepide faciunt;

Christi vulnera pavido, vago, vel tepido cordi medentur.

hi etiam, si meam devote recolerent passionem, attendentes vulnera mea, quam profunde et quanto dolore infixa sunt mihi, ab omni eos torpore excitarent. »

Tunc orabat pro una persona, quam statim in præsentia Domini in alba veste stantem vidit, et Dominum manus suas ad ejus manus applicantem; per quod intellexit quod a dextera sua daret ei adjutorium et fortitudinem ad omne opus bonum, sinistra vero protectionem in adversis.

Manicarum amplitudo quid significet.

Cogitante autem illa quid per manicas tunicæ designari posset, et cur eis Religiosi uterentur, dixit Dominus ad eam: « Hoc per manicarum amplitudinem designatur, quod Religiosi ampla et parata corda semper habere debent ad omne mandatum. » Et ait Dominus: « Hoc dices personæ pro qua oras, ut a lacrymis se temperet; quod dum nullo modo potest, lacrymis meis suas apponat, dolens quod pro peccatoribus et ex amore eas non effuderit; tunc eas lacrymis meis unitas, Patri meo in laudem, prout voluerit, præsentabo. »

Divino Cordi adhærendum in tribulatione.

Alia vice cum pro eadem oraret, vidit animam ejus in Corde Dei velut infantulum stare, et Cor Dei manibus suis tenere. Et ait Dominus: « Sic in omni tribulatione ad me veniat, et se ad Cor meum divinum teneat, quærens ibidem consolari; tunc eam in æternum non derelinquam. »

---

## CAPUT XXXVIII.

### DE UTILITATE LACRYMARUM ET DE COMMUTATIONE EARUM.

Quædam plurimum gravabatur, pro eo quod a lacrymis ex quadam infirmitate se temperare nequibat. Per quinque fere annos continuos in tantum fleverat, ut merito

si non misericordia Dei sibi non affuisset, sensus aut visum inde amisisset. Rogavitque istam et alias ut pro se orarent, quatenus ab hoc tentationis gravamine per Dei clementiam solveretur. Cui hæc pie compatiens, eam sæpius benigne consolabatur, et attentius pro ea Domino preces effundebat. Igitur illa in brevi est liberata, ita ut hæc super hoc Dominum quæreret quomodo a tanta tristitia esset tam subito immutata. Cui Dominus respondit : « Ex sola bonitate mea eam absolvi. » Et adjecit : « Dic sibi ex parte mei ut me roget, quatenus propter meam bonitatem omnes illas lacrymas commutem, ac si eas ex amore et devotione et ex contritióne peccatorum effuderit. » Quod illa audiens, mirari cœpit quomodo lacrymæ tam inutiliter fusæ, in tam sanctas lacrymas possent commutari. Cui Dominus : « Solummodo, inquit, bonitati meæ credat, et in quantum mihi crediderit, in tantum in ea complebo. »

Lacrymæ ex infirmitate in meritum devotionis transeunt.

O mira et stupenda divinæ pietatis dignatio, quæ tam liberaliter per tales tantasque consolationes dignatur miseris subvenire ! Quisquis hæc legis vel audis, tales consolationes a Deo per suam dilectricem hominibus factas, consulo tibi ut etiam tibi factas usurpes ; quia et hoc sibi Deus revelavit multum complacere, si quod uni faceret, hoc alter sibi factum sive faciendum vendicaret. Multas et alias spirituales consolationes ab ea quamplures sunt consecuti ; sed sæpissime quasi doctrinam eis proponebat ; quandoque ac si ab alio aliquo percepisset, eis indicabat. Benedictus igitur per omnia Deus, qui talem interventricem apud ipsum nobis contulit, quæ orationibus continuis, et sedulis instructionibus aut consolationibus benigna mater exstitit miserorum !

Quod per Mechtildem aliis Deus tribuit quisque suum faciat.

## CAPUT XXXIX.

### DE QUODAM TENTATO ET PER EAM LIBERATO.

QUIDAM homo ex longinquo adveniens, tentationem suam ipsi exponebat, quam multis, tam Fratribus quam aliis Dei hominibus, fuerat conquestus, nec inde potuerat consolari. Quam benigne consolans, pro eo intente Dominum exorabat. Sequenti die homo ille valde ipsi regratiabatur dicens : tentationem illam ab eo penitus remotam, nec unquam ab aliquo taliter esse consolatum.

## CAPUT XL.

### DE QUODAM FRATRE ORDINIS PRÆDICATORUM [1].

ITEM cum pro quodam oraret turbato, apparuit ei Dominus stans secus montem floridum, habens dexteram contra montem levatam. In monte vero conspexit minutissimos , quasi culices, vermiculos. Dixitque Dominus: « Sicut de facili potest homo hujusmodi amovere vermiculos manu sua, sic multo facilius possem removere ab illo pro quo oras, omnia sua impedimenta, si mihi placeret ; sed nolo : ut in parvis et minimis tentatus, discat per meam quam invocat gratim, aliis in magnis tentatis consilium et auxilium minis-

Tentatus in parvis inde discat in magnis alios juvare.

1. Jam plura sequuntur de Fratribus Ordinis Prædicatorum , qui ex domo sua in Hallis sæpius Helftense cœnobium ob spiritualia officia invisebant.

trare. » Et adjecit : « Scias, procul dubio, quod omnia illa quibus gravatur impedimenta, tam parum eum lædere possunt, sicut vermiculi minutissimi montem quem cernis poterunt devastare. »

ALIUD DE EODEM.

ALIA vice cum pro eodem oraret, dixit ad eam Dominus : « Ego elegi eum propter memetipsum et in æternum conservabo ; et ubicumque fuerit, regam eum, et cooperabor ei in cunctis operibus suis. Eroque protector, consolator et provisor domus quam inhabitat. Cum prædicat, Cor meum habeat pro tuba ; cum docet, Cor meum habeat pro volumine : ad hæc tria studeat Fratres admonere ; primo, ut humanam fugiant delectationem quantum ad seipsos ; secundo, ut honorem fugiant et elationem ; tertio, ut ultra necessitatem in temporalibus rebus nihil requirant. Si Fratres his monitis non obtemperant, ille non cesset eos admonere, ut cum Propheta dicere valeat : *Justitiam tuam non abscondi*. (PSAL. XXXIX. 11. ) Omnem honorem ei exhibitum non sibi sed mihi suscipiat, et omne corporis sui commodum accipiat, ac si corpori meo illud impendat. »

Cor divinum pro tuba et volumine.

---

## CAPUT XLI.

DE ALIO FRATRE PRÆDICATORE.

ITEM, in oratione, de quodam Fratre tale a Domino accepit responsum : « Ego dedi me in potestatem ejus ; ita quod contra ejus voluntatem nullum peccatorem volo ferire; insuper omnibus pro quibus oraverit, tantum gratiæ meæ volo impertiri, quantum ipsius complacuerit voluntati. »

## CAPUT XLII.

### QUALITER PRO ALIO HOMINE ORAVIT.

ALIA vice, cum pro quodam Fratre oraret, Dominus sic intulit : « Quasi penna levis ad ventum validissimum mota liquori adhæret balsamitico, sic anima ejus adhærebit Cordi meo divino.»

## CAPUT XLIII.

### QUOD DOMINUS SE API COMPARAT.

Dominus ex animabus gratiam suam quasi apis exsugit.

QUADAM vice, videns hominem in Dei servitio arefactum et pene consumptum, dixit ad Dominum : « Eia mi Domine, quomodo tu istius fortitudinem totam in te traxisti, et velut apis florem totum exsuxisti ? » Cui Dominus: « Ego sum apis qui meiipsius dulcedinem in me sugo. » Tunc vidit quasi apem volantem ex ore Dei et iterum in ipsum. At illa cogitabat quid hoc esset ; et Dominus : « Apis ista Spiritus meus est. Cum vero hominibus gratiam infundo, et iterum ab eis recipio, sic in Corde meo divino mel operor æternæ suavitatis. »

## CAPUT XLIV.

### QUALITER DOMINUS JESUS CHRISTUS SIBI SERVIENTIBUS SERVIT.

Dum quædam persona in choro Collectas diceret, vidit Dominum Jesum in specie juvenis pulcherrimi, coram ea stantem, librumque ipsi tenentem, et supra pectus ejus se reclinantem, et ei dicentem : « Sequar te quocumque ieris ; mihi tolli non poteris. » Illa vero cœpit mirari cur tantam amicitiam Dominus illi exhiberet ; cui Dominus : « Ego scio quid in ea prævaleo, et ego sibi sensus in omnibus duplicabo. »

Sequar te; mihi tolli non poteris.

## CAPUT XLV.

### QUOD DOMINUS JESUS GAUDET DE PŒNITENTIA PECCATORIS.

Item cum pro alia oraret, hoc responsum accepit : « Ego eam sine intermissione subsequor, et cum per pœnitentiam seu desiderium, vel amorem ad me convertitur, ineffabiliter gaudeo. Debitori enim majus gaudium nullus facit, quam qui ei thesaurum quo se solvat tribuit : ego vero me quodam modo debitorem Patri meo feci, cum pro hominis culpa me satisfacere spopondi ; ideoque nihil desiderabilius et jucundius mihi reputo, quam ut homo per pœnitentiam et amorem ad me revertatur. »

## CAPUT XLVI.

### QUOD DOMIMUS JESUS PRÆBET SE FIDELI ANIMÆ.

Dum quædam infirma communicatura esset. vidit Dominum majestatis Jesum, sponsum florigerum, ante infirmæ lectulum, velut super solium excelsum; et dum sacerdos hostiam sacrosanctissimam ori ejus imponeret, ipse Jesus Christus, panis vivus et Angelorum indeficiens cibus, se totum præbuit illi animæ : os suum roseum ad osculandum, brachia ad amplexandum. Sicque felix illa anima, tamquam nivea columba tota cum Dilecto unita erat, ut ibi nihil appareret nisi Deus.

## CAPUT XLVII.

### DE QUADAM PERSONA QUÆ TIMUIT SÆPIUS COMMUNICARE.

Quamdam a se refugientem Dominus suaviter invitat.

Item cum oraret pro quadam persona, quæ pro tepore et levitate sæpius corpus Domini dimittebat, vidit eam coram Domino stantem et sibi Dominum dicentem : « Carissima mea, cur fugis me ? » Illa vero admirabatur quare ipsam tam amicabili nomine nuncuparet ; ad quam Dominus : « Omnibus diebus vitæ suæ hoc nomine vocabitur. » Illa vero timere cœpit ne forte post hanc vitam tali nomine privaretur ; cui Dominus : « In æternum hoc illi nomen manebit. » Anima vero hominis illius stabat coram Domino, in specie virginis pulcherrimæ. Dominus autem convertit se ad illam dicens : « Accede fiducialiter ad Patris omnipotentiam, ad confortandum te; ad Filii sapientiam, ad illuminandum te ; ad Spiritus Sancti benignitatem, ad dulcificandum te. »

## CAPUT XLVIII.

### DE ALIA QUÆ SIMILITER TIMEBAT.

Anima in communione sicut regina.

ALIA tentata ex eo quod, cum accederet ad vivifica Christi sacramenta, licet per se nullus digne accedere possit, se tamen specialiter indigne sumere timebat; pro qua ista fideli corde Dominum invocans, tale ab eo responsum accepit : « Ipsa sæpe accedat ad me, et quotiescumque ad me venerit, suscipiam eam quasi legitimam reginam meam. » In quo verbo illa tentata multum consolata, divinæ gratias retulit bonitati.

## CAPUT XLIX.

### QUOD HOMO OMNIA ILLA DEO FACIT QUÆ FACIT HOMINI PROPTER DEUM.

FATIGATA vice quadam, ex eo quod homini cuidam sæpius pro necessitate ministrans, timebat se cum illo plus occupari quam deberet ; cui apparuit Dominus habens in sinu vestem hominis illius et consuens, dixit illi : « Noli timere ; quidquid homini illi facis, mihi impendis. » Quæ tamen nesciens timori illi resistere, rogabat Dominum ut hanc tentationem ab ea removeret. Quod pius Dominus fecit, ita ut sæpius ab eodem homine contristaretur ; sed hoc gratanter pro Dei amore suscipiens, orabat Dominum ut nullum cordis gravamen adversus hominem illum sentiret, ne peccaret. Dominus vero extremum digitum contra eam elevabat ; at illa dum cogitaret quid hoc designaret, Dominus

respondit : « Sæpius tibi monstravi per ipsum digitum humanitatem meam figurari. » Et adjecit : « Quid in eo vides ? » Et illa : « Tres articulos. » Cui Dominus : « Major articulus designat humilitatem ; quia maxime hominem humilitate ad gratiam meam præparo. Medius articulus patientiam, qua homo patienter ferre debet quæque adversa propter me. Superior articulus, qui est tenuis et ad omnia conjunctus, est charitas. In his tribus te exerceas, et omnia adversa in amore meo superabis. »

Humilitas, patientia et charitas.

---

## CAPUT L.

### ALIUD VALDE NOTABILE.

Cum quædam nimis tristaretur, compatiens devote orabat pro ea, quatenus pius Dominus per Spiritus Sancti consolationem ipsi dignaretur subvenire. Ad quam Dominus: « Et cur turbatur? Ego creavi eam mihi, et dedi me sibi ad omnia quæ requirit a me. Ego sibi pater in creatione ; ego mater in redemptione ; ego frater in regni divisione : ego soror in dulci societate. »

Dominus homini ut pater, mater, frater ac soror.

---

## CAPUT LI.

### QUOD HOMO DEBET DEO DARE SUOS INIMICOS.

Item dum quædam ab alia contristata ipsi turbationem suam indicasset, pro ea Dominum interpellabat ; cui Dominus : « Dic illi ut det mihi suos inimicos, et ego illi dabo meipsum cum omnibus Sanctis in æternam mercedem. »

## CAPUT LII.

### QUOD DEUS VOLUNTATEM SUSCIPIT PRO FACTO.

ORANTE etiam ea pro quodam contristato, dixit Dominus: « Si quis ita tristatur, ut sibi videatur quod libentius moreretur, quam illam perferat tristitiam; quoties illud gravamen mihi obtulerit, proponens in eo de cætero velle durare, toties oblationem illam suscipiam, ac si pro me passus sit. »

## CAPUT LIII.

### QUOD DEUS DESIDERAT CONVERTI PECCATORES.

Propter Dominum pro induratis orandum.

ITEM cum oraret pro quodam afflicto, quem sciebat esse in statu non bono, indignatione adversus eum movebatur, eo quod sæpius hominem illum salutaribus corripuerat verbis, sed ille adhuc quasi incorrigibilis permanebat. Tunc ait illi Dominus: « Eia concede mihi, et ora pro miseris peccatoribus, quos tam caro emi pretio, et tantopere ad me converti cupio. »

## CAPUT LIV.

### QUOD DEUS MAXIME DELECTATUR IN CORDE HOMINIS.

ALIA quoque vice dixit ad eam Dominus : « Nulla res me delectat, ut cor hominis, quo tamen rarissime utor. Omnibus enim bonis superabundo, excepto hominis corde, quo sæpissime frustror. »

## CAPUT LV.

### QUOD DOMINUS JESUS CHRISTUS ASSISTIT DEO PATRI PRO PECCATORIBUS.

ORANTE aliquando, vidit Dominum in veste sanguinea sic dicentem : « Sicut humanitas mea, tota cruore perfusa, ineffabili amore se Deo Patri hostiam in ara Crucis obtulit sic adhuc eodem amoris affectu assisto Patri cœlesti pro peccatoribus, omnia genera passionis meæ repræsentans ; et hoc maxime desiderabile mihi est, ut peccator per veram pœnitentiam ad me convertatur, et vivat. »

## CAPUT LVI.

### DE QUINQUE MILLIBUS QUADRAGENTIS SEXAGINTA *Pater noster*.

ALIA vice, cum offerret Deo quinque millia quadragenta sexaginta [1] *Pater noster*, perlecta a Congregatione, in honore sanctissimorum Jesu Christi vulnerum, apparuit ei Dominus, expansis manibus et omnibus vulneribus apertis, dicens ad eam : « Cum penderem in Cruce, omnia vulnera mea patebant, et singula voces ad Deum Patrem mittentia pro hominis salute interpellabant ; et sic usque hodie clamore quodam Dei Patris iram mitigant peccatori. Et hoc dico tibi, quod nunquam mendicus adeo potuit lætificari, accipiendo eleemosynam, quam importunis clamoribus acquisivit, sicut ego exultans suscipio orationem, quæ mihi in honore vulnerum meorum exhibetur. Et hoc quoque dico tibi, quod hæc oratio nunquam pro aliquo devote et intente legi poterit, quin ei obtineat statum salutis. » Tunc illa : « Mi Domine, et quæ est intentio in qua hæc tibi vis legi? » Qui respondit : « Ut homo non solum ore, sed etiam corde, verba intente proferat, et saltem post quinque *Pater noster* mihi commendet.

Christo gratissima ad ipsius vulnera oratio.

Inspiratusque est ei divinitus etiam hic versus, qui ad quintum *Pater noster* jungi deberet : « Domine Jesu Christe,

1. Cf. Lib. I. c. 18. Tot millia *Pater noster* possunt inter plurimos dividi, quatenus ad eamdem intentionem recitentur.

Fili Dei vivi, suscipe hanc orationem, in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui sanctissimi corporis sustinuisti; et miserere mei, et omnibus peccatoribus, cunctisque fidelibus, tam vivis quam defunctis. » Dixitque iterum Dominus: « Peccator quousque in peccatis est, me velut in Cruce distentum vinculat; sed mox cum per pœnitentiam ad me convertitur, continuo me absolvit, et ego cum gratia mea et misericordia, quasi de Cruce solutus, totus super eum ruo, sicut olim super Joseph, cum me de Cruce solveret, cecidi, meque ipsum totum in potestatem ejus do, ut de me omnia quæ voluerit, facere possit. Quod si in peccatis usque ad mortem perseveraverit, justitia mea super eum potestatem habebit, quæ tunc eum secundum quod meruit, judicabit. »

Peccator cum convertitur Christum quasi a cruce solvit.

---

## CAPUT LVII.

### QUOMODO EI DOMINUS CONTULIT CENTUM PECCATORES.

Cum audiret legi in Evangelio : *Veniet Filius hominis in potestate magna et majestate*, (Luc. xxi. 27.)[1] perfusa spirituali lætitia, dixit ad Dominum: « Eia, bene venias. » Et Dominus: « Perpende quæ dicis : cum dicis *bene*, nota illud bonum quod ego sum, a quo omne bonum effluxit et effluet sine fine. Cum dicis *venias*, attende illum divinum amorem charitatis, quo ad animam venio, totus ebrius mero charitatis. » Tunc oravit Dominum pro omnibus qui essent in statu peccati, ut ipsos converteret ; cui

Dominus charitatis mero ebrius.

1. Sic legitur : « *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* »

Dominus : « Ecce propter tuas preces centum convertam peccatores. »

---

## CAPUT LVIII.

### QUAM PARATUS SIT DEUS RECIPERE PECCATORES.

LABORANS aliquandiu gravi capitis dolore, cum die quadam inter Missarum solemnia ipsum dolorem circa oblationem hostiæ, cum eadem hostia sacrosancta Domino in laudem æternam offerret, protinus apparuit illi Dominus tenens in manibus suis delicatis circulum quemdam ligni aridi, circa quem rosas pulcherrimas connectere videbatur. Illa vero dum multum admiraretur quidnam hoc sibi vellet, quod Deus circa hoc aridum lignum tam floridas rosas annecteret, audivit Dominum dicentem : « Ecce per hoc quod arido huic ligno has vernantes rosas alligo, intelligas designari quod nullius unquam peccatoris cor ex peccatorum rubigine adeo aruit, si aliquem dolorem vel infirmitatem corporis, quantumvis etiam parvum, pertulerit tali intentione, quod pro amore et laude nominis mei, majorem libenter sustinere proponeret dolorem, si mihi complaceret, quin ipsa hora ex tali deliberatione revirescat, et gratiæ misericordiæ divinæ ex tunc jam capax efficiatur. »

Quomodo peccatoris opera bona revirescunt.

« Item dico tibi, quod nullus est peccator adeo magnus, si vere pœnituerit, quin ipsa hora illi omnia peccata sua plene dimittam, ac cum tanta clementia et dulcedine Cor meum super eum reclino, ac sic nunquam peccasset. » Tunc illa : « Si ita est, quid est, dulcissime Deus, quod miser homo hoc minime sentit ? » Cui Dominus : « Ex eo est quod interiorem

Gustus peccati persistens divinam impedit dulcedinem.

peccati gustum nondum plene amisit : verbi gratia, si homo post pœnitentiam tam fortiter vitiis resisteret, ut omnem peccati gustum et delectationem penitus extirparet, procul dubio Spiritus divini suavitatem persentiret. »

O vere altitudo inscrutabilis sapientiæ et misericordiæ tuæ, dulcissime Deus, qui tam miris et multis modis, attrahere tibi conaris cor peccatoris, ut nullus ei jam detur locus desperationis, quem tanta subsequitur clementia paternæ revocationis !

---

## CAPUT LIX.

### DE ILLIS QUÆ SCRIPSIT CUIDAM MATRONÆ SÆCULARI ET SIBI FAMILIARI [1].

Digiti virtutes Christi notant

Carissima mihi in Christo filia, Amator animæ tuæ tenet manum tuam in dextera sua, tangens digitis suis singulos digitorum tuorum, ut inde tibi ostendatur qualiter in anima tua operetur, et qualiter eum sequi debeas, ejus exempla imitando.

Extremus, humilitatem

Extremus digitus ejus significat humillimam conversationem ipsius, qua venit in terram non ministrari sed ministrare, et omni subjici creaturæ. Ad hunc digitum etiam tuum apponas : hoc est, cum superbia inflaris, recole humiliationem et subjectionem Dei tui ; orans ut per ipsius humilitatem, omnem devincas superbiam et propriamvo-

1. Quæ hac Epistola continentur, sunt sola scripta quæ propria manu beata Mechtildis nobis reliquit, cum ex ejus enarrationibus tantummodo constant reliquæ hujus Libri partes.

luntatem, quæ provenit ex privato amore quo seipsum diligit homo.

Per annularem figuratur ejus cordis fidelitas, qua sollicitus curam nostri, velut mater fidelissima, gerit, tollens onera et gravamina nostra ineffabili cordis sui fidelitate, et protegens nos a cunctis malis. Ad hunc etiam digitum tuum conjungas, agnoscendo quantam infidelitatem tam prædulcissimo et fidelissimo Amatori tuo exhibueris, elongans ab eo animam tuam, quam sibi in laudem et amorem creavit, ut eo solo in æternis perfrueretur deliciis, quam raro et quam tepide ejus memoreris. Annularis, fidelitatem.

Ejus medius significat æternum, altissimum, divinum amorem ejus, qui eum tam mirabiliter et tam efficaciter animæ inclinat, nec Cor ejus quiescere sinit, donec se totum animæ infundat, velut aqua effluens cum impetu, et quærens in quod se transfundat. Ad hunc digitum etiam tuum apponas, hoc est tuam voluntatem, videlicet si eum omni hora non potes amare, da voluntatem pro facto; ita quod si omnium Sanctorum, omniumque creaturarum amorem habere posses, in ipsum solum dirigere velles. Medius, amorem

Index ejus significat mirabilem et inscrutabilem divinæ providentiæ ordinationem, quæ omnia homini futura misericorditer prævidet; et cum deviat, quanta sapientia et dignatione eum revocat, quandoque prosperis quandoque adversis. Huic digito libenter tuum apponas, hoc est ut ei credas quod omnia quæ tibi evenerint, sive læta sive tristia, ex tanto amore ejus et ad tantam utilitatem tuam proveniunt, ut nihil aliud tibi aut aliter evenire velles; et ideo pro singulis ei laudes et gratias agas. Index, Dei Providentiam.

Pollex significat divinam ejus omnipotentiam, et potentem suæ paternæ benignitatis protectionem; qua resistit et comprimit omnia fideli animæ adversantia, nisi quantum ad ejus sanctificationem et virtutum exercitationem, aliqua Pollex, omnipotentiam.

evenire permittit. Ad hunc quoque digitum tuum etiam conjungas, videlicet ut et tu fortis sis in virtutum exercitatione, et viriliter vitiis resistas; non diffidens de Dei misericordia, si te permittit in aliquo tribulari, aut si tibi suæ gratiæ subtrahit relevamen.

## AD EAMDEM CONSOLATIO BONA.

O FIDELIS et Deum diligens anima, considéra diligenter et amanter legem quam tibi imperialis juvenculus Jesus, paternæ benignitatis Filius, dedit, cum te sibi in sponsam elegit, seque tibi in sponsum deliciosum donavit, ex seipso et per seipsum nuptias illas peragendo. In die igitur tantæ solemnitatis et lætitiæ cordis ejus, vestivit se ob tui amorem veste rosei coloris, quam amor in sui Cordis sanguine coloravit. Sertum etiam rosæ et lilii capiti suo imposuit, circumpositum undique nobilissimis margaritis, pretiosissimi videlicet Sanguinis sui guttis. Chirothecas etiam in manibus tam bene perforatas habuit, ut nihil omnino retinere posset, quin omnia tibi traderet, quæ toti mundo ante absconderat. Nobilis thorus ejus dura Crux erat, quam tam gaudenter et tam ardenti amore insiliit, quod nunquam sponsus in lecto eburneo aut serico tantum est delectatus. In hoc amoris lectulo te adhuc expectat inæstimabili æstuans desiderio, donec amplexibus tuis perfruatur. Quod si nunc ejus esse volueris sponsa, oportet ut omni prorsus delectationi abrenuntians, et ad ipsum in lectulum doloris et contumeliæ accedas, conjungens te lateri ejus vulnerato.

Qualiter se Dominus ut sponsum animæ exornavit.

Considera diligenter quale et quam pretiosum pignus tibi posuit, cum prædulce Cor ejus, divinitatis gazophylacium, tibi aperuit; propinans tibi inde præclarum amoris pocu-

lum, quod sanet omnes animæ tuæ languores. Hoc prænobile pignus inappreciabilis ponderis est; quia omnis gratiæ, omnis virtutis, omnisque boni est contentivum. Hoc, inquam, pignus tibi auferre non vult, quia per hoc fidem suam firmavit. Sicut rex, qui sponsam suam nondum perduxit in domum suam, urbem aut civitatem aliquam divitiis plenam amicis suis in pignus exponit; sic sponsus amator tuus, Deo Patri pretiosissimum donum, divinum scilicet Cor suum, in pignus dedit quod te sponsam suam nunquam deserere velit, offerens etiam illud quotidie in altari pro te, in exhibitionem amoris quo te ab æterno prævenit.

Cor suum ut pignus, animæ aperuit ut inde sumat amoris poculum.

Ergo æterni Patris filia, ejusque unici et coæterni Filii sponsa præelecta, amicaque Spiritus Sancti et requies desiderata, dilige tam præcordialem Dilectum, a quo dilecta es, qui et totus amor est; esto fidelis ei qui ipsa fidelitas est, et cum aliquid molestiæ occurrerit, suscipe illud, ac si vinculum aureum sit, quod Deus imponit tibi, quo te ad Filii sui trahat amorem. Tu autem statim quasi consentiens ad tractum illum, te totam eleva, et cor tuum, ut magis trahatur, per gratitudinem et patientiam habilita, diligenter attendens quam Deus per hoc velit in anima tua operari salutem.

Molestia aureum vinculum quo sponsa ad Sponsum trahitur.

Considera etiam quid desit tibi in virtutibus: quod si indiges humilitate aut aliqua virtute, exclude tibi clave amoris pretiosissimum omnium virtutum scrinium, Cor scilicet Jesu Christi divinum; orans Dominum virtutum, ut virtutes suas nobiles tibi det, quibus omne devincas vitiorum tentamentum. Quod si latrunculi malarum scilicet cogitationum tibi advenerint, recurre ad armarium, assumens inde præclara arma: hoc est, Domini tui passionem et mortem, quam tam valide per jugem memoriam cordi tuo infigas, ut omnis inde cogitationum turba annihilata fugetur. Cum vero desperativæ cogitationes te impugnant, recurre ad scrinium inexhaustæ pietatis, quæ nullum vult perire, sed ad agnitio-

Ex Corde Christi sunt virtutes requirendæ.

nem et amorem veritatis venire, exceptis his qui sponte eligunt damnari; recolens quod Deus paratior est hominem suscipere, quam ipse venire; et hoc maxime desiderat, ut homo talem se exhibeat, ut gratiam suam sine intermissione illi infundere valeat, et quælibet bona in eo semper augmentet.

### ITEM AD EAMDEM, DOCTRINA VALDE BONA.

AMATOR hominum, Dominus Jesus Christus, desiderio desiderat animam sibi uniri, specialiter illam quæ vult ab eo consolari, ejusque delicias cupit experiri, ut omnem consolationem, sive delectationem creaturarum abjiciat, quæ ipsam ad Dei amorem non allicit, aut compellit. Cum enim homo aliquid habet quod diligit aut in quo delectetur, cogitet apud se quod hoc Deus illi donavit, ut ad suum ex hoc amorem promoveatur. Quod si sentit se in amore Dei ex hoc non proficere, sed illud quod diligit, sæpius cordi suo quam Deum advenire, debet illud juste amovere, sive homo sit sive alia creatura, si Dei familiaritatis non vult carere; quia delicata valde est, nec omnino patitur supra se aut etiam secum aliquid haberi. Ipse enim Jesus paternæ charitatis Filius, solus vult esse amantissimus et intimus cordi tuo.

Si quid a Deo retardat, amoveatur.

### ADHUC AD EAMDEM MATRONAM ADMONITIO UTILIS.

DEUS Cor suum divinum donavit animæ ut ipsa cor suum vicissim illi donet. Quod si gratanter et fiducialiter fecerit, ipsum potentia sua sic continebit, ut homo ille nunquam ad magnum valeat declinare peccatum. Homo etiam

Cordis Dei studiosus sit, considerando attentius quid sibi maxime complaceat. Et cum tristatur, statim ad thesaurum sibi commissum fidenter confugiat, quærens ibidem consolari. Quod si divina disponente gratia, non consolatur, nihilominus Deum, ex corde gratias agendo, laudet; quod Deo multum in anima fideli complacet, quæ non sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quærit, nec suam consolationem divino præponit honori.

Cordis Dei studiosus homo sit.

---

## CAPUT LX.

### DE TRINA DOMINI INTERROGATIONE.

Audiens in Evangelio legi: *Simon Joannis, diligis me plus his*? etc. (Joann. xxi. 15. 16.) cum his intenderet verbis, facta in excessu mentis vidit se coram Domino qui et dixit ei: « Interrogo et ego te: ad quæ mihi juxta veritatem conscientiæ tuæ responde : Est-ne aliquid in mundo adeo tibi carum quod propter me, si in tua esset potestate, nolles relinquere? » At illa respondit : « Tu scis, Domine, quod si totus mundus meus esset, cum omnibus quæ in eo sunt, pro amore tuo ad integrum deserere vellem. » Quod Dominus statim acceptavit, ac si omnia hæc ex proprio reliquisset.

Mechtildis Domino amorem triplicem spondet.

Iterum Dominus eam interrogavit : « Est-ne ullus labor sive obedientiæ jugum tam grande, quod pro amore meo nolles subire? » Respondit : « Etiam, Domine, omnia pro tuo nomine parata sum tolerare. »

Iterum Dominus : « Est-ne aliqua pœna tam gravis quam pro amore meo pati recusares? » Respondit : « Mi Domine,

tecum et cum tuo adjutorio omnibus pœnis parata sum subjacere. » Quæ omnia Dominus ita acceptavit ac si opere compleverit.

Ipsi Dominus triplicem curam committit.

Et ait iterum Dominus : « En tria hominum genera tibi commendo : scilicet, pueriles innocentes et simplices, qui per agni innocentiam designati sunt ; ut eos instruas, et ad mei agnitionem et amorem pertrahas : secundo, tribulatos et abjectos, qui similiter per agni mansuetudinem designantur ; ut eos consoleris, et auxilium in quantum potes impendas : tertio, totam Ecclesiam, quæ in ovis utilitate figurata est, quam desideriis continuis et orationibus indefessis, oculis misericordiæ meæ præsentabis. »

EXPLICIT PARS QUARTA.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

# PARS QUINTA

## CAPUT PRIMUM.

### DE ANIMA SORORIS SUÆ, ET QUOD HOMINIS DESIDERIUM POST MORTEM EJUS VIVIT.

EXIMIÆ pietatis hæc virgo super afflictos pia gestans viscera, sicut vivorum semper memor exstitit ante Dominum, ita nihilominus animabus suis devotis orationibus studuit suffragari. Unde factum est ut multoties, cum etiam pro animabus oraret, quæ orationis subsidio non indigebant, earum meritum et gloriam pius et miserator Dominus eidem demonstraret.

Dum itaque die quadam Missa pro defunctis in Capella cantaretur, et ipsa pro anima sororis suæ felicis memoriæ, Domnæ Gertrudis Abbatissæ, cujus gloriam antea multoties in spiritu viderat, Historiam[1] Sanctæ Trinitatis in gratiarum actionem Deo persolveret, dixit ad eam Dominus : « Modo iterum libenter videres eam? » Statimque vidit animam ejus in magna gloria, habentem in capite velum lineum valde splendidum. At illa interrogabat animam quid per velum ejus figuraretur. Cui illa : « Habitum meum designat et

1. Sic vocatur in Liturgia series Antiphonarum et præsertim Responsoriorum quæ ad unum Officium pertinent.

omnia fila hujus velaminis divinitas singulari gloria et splendore perlustrat. » In hoc verbo intellexit quod nihil adeo parvum est, quod homo ex devotione et consuetudine sui habitus facit, ut est illud quod velamina et coronas portat, quod coram Deo in oblivione sit, et pro quo anima specialem non recipiat dignitatem. Et illa : « Ubi est, inquit, corona tua ? » Respondit : « Corona mea tam inæstimabilis gloriæ est, quod a terra usque ad thronum Dei sublimata est, et attingit quatuor mundi confinia. Quæ ideo in terris initium habet quia memoriam mei et exempla hominibus in terra reliqui ; sed usque ad thronum Dei exaltata est, quia Deus laudem et honorem, et omnes Sancti gaudium habent ex meis virtutibus. Quatuor autem mundi partes ideo complectitur, quia mea conversatio toti proficit Ecclesiæ, et usque in finem sæculi est profutura. »

Abbatissa Gertrudis in cœlis coronatur.

Cum vero illam de quadam causa perquireret pro qua adhuc vivens Dominum oraverat, illa respondit : « Oratio mea modo majoris effectus est operaturque utiliora et fructuosiora, quam tunc cum essem in terris. » Cui dum illa admirans diceret : « Quomodo hoc fieri posset, illa respondit : « Ita est, quia oratio justi, etiam illo moriente, nequaquam moritur cum illo, neque deficit ; sed qui pro peccatoribus in vita sua oravit ut non perirent, ejus oratio et desiderium etiam post mortem ipsius valebit. Et ita de aliis. »

Orationes post mortem quam in vita utiliores.

Simile huic habetur in libro Machabæorum secundo, ubi legitur Oniam, qui summus fuerat sacerdos, et Jeremiam prophetam apparuisse Judæ Machabæo, et Oniam de Jeremia dixisse : *Hic est qui multum orat pro populo*, etc. (II. Mach. xv. 14.) cum certum sit Jeremiæ animam tunc fuisse in limbo. Sed qui in diebus vitæ suæ, ut verus Dei sacerdos, precibus suis Deum populo placaverat, etiam post mortem dicitur pro plebe orare. Unde colligi potest quod quicumque extenderit

desiderium suum usque in finem mundi, ita quod si possibile esset, orationibus, desideriis, laboribus et sufferentia sua omnibus hominibus et animabus purgandis pro Dei amore et honore vivere et proficere vellet, sine dubio Deus votum suum pro facto acceptabit.

---

## CAPUT II.

### ITEM DE ANIMA SORORIS SUÆ ET QUOD ANIMÆ BEATORUM OMNIA VERBA QUÆ PRO EIS LEGUNTUR DEO OFFERUNT.

Alia vice dum Conventus communicaret, vidit animam ejusdem sororis suæ, inæstimabili pulchritudine stantem a dextris Dei, et quot personæ communicabant, tot dulcia ipsi Dominus oscula infigebat; in quo ejus speciale meritum exprimebatur, quod habet ex eo quod tam fideliter a Sororibus exigebat ut sæpius et libenter communicarent. Hoc dum ista admirans et congratulans videret, desiderabat etiam scire si aliquod meritum sacerdos ex hoc lucraretur, quod accedentibus Dominici corporis sacramentum ministraret. Ad quod Dominus respondit : « Sicut miles quispiam ditaretur, si regis sui unicum filium in ulnis suis ad singulos principes portaret, et quilibet eorum filio regis centum marcas offerret, et rex omnia hæc militi cum filio revertenti donaret : sic meritum sacerdotis augetur, qui cum devotione et gratulatione fidelibus Christi corporis sacramentum ministrat. »

Commendatur communio pro defunctis.

Post hæc ad sororem suam dixit : « Dic mihi, soror carissima, quid tibi proficit, cum legimus pro te Historiam sanctæ Trinitatis aut aliam quamcumque orationem ? » Respondit : « Suscipio singula verba de ore vestro in modum rosarum

quas dilecto meo cum gaudio offero. » Ostenditque ei in pallio suo rosas pulcherrimas, in medio aureum folium habentes, et ait : « Hoc aureum folium cordis est folium, scilicet charitatis, unde orationis effectus procedit; quia ex charitate, non ex debito, talia mihi offertis. » Tunc illa : « Quid vero de iis fit quæ Sanctis offerimus? » Respondit : « Singuli sibi oblata cum gratitudine similiter accipiunt, et cum gaudio Deo regi suo præsentant; etiam si omnibus Sanctis unum tantum dicas *Pater noster*, ea intentione quod si posses, unicuique unum sigillatim legeres, tunc omnes illud singuli totum accipiunt, ac si cuilibet dixeris sigillatim. »

Ex charitate orationes fiant pro defunctis.

---

## CAPUT III.

### DE ANIMA SORORIS MECHTILDIS.

Dum felicis memoriæ Soror M. defuncta esset, anima ejus taliter est ipsi revelata. Vidit ergo animam ejus in specie virginis pulcherrimæ, amictam viridi sindone, coronam auream habentem in capite, et stantem in medio multitudinis Virginum et Sanctorum qui eam nimio inter se ducebant affectu; et agnovit in spiritu quod esset in expectatione glorificationis suæ, quæ foret perficienda illa hora cum ad Missam sacrosancta offerretur hostia. Tunc seipsum Dominus quodam speciali modo dare vellet animæ ejus, pro eo quod aliquanto tempore infirmitate corporis fuerat impedita Christi corporis percipere sacramenta.

Deinde cum cantaretur Offertorium, *Domine Jesu Christe*, et nullus adesset qui pro illa paupercula oblationem faceret,

videbatur sibi ipse Rex gloriæ, virtutum sponsus, accedens Deo Patri, offerret omnia sua divina opera, orationes, labores et passionem sanctissimæ humanitatis suæ, cum gloria suæ divinitatis excellentissimæ, in augmentum gloriæ et gaudii novæ sponsæ suæ. Dehinc beata Virgo, Mater sponsi virginalis gloriæ, accedens, sacrificavit omnia dona, gratias et virtutes sibi collatas, in augmentationem gloriæ sponsæ Filii sui. Deinde Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, singuli quique Ordines Sanctorum accedentes, eadem faciebant. Cum vero sacrosancta offerretur hostia, apparuit a parte Orientis lux quædam mira et ineffabilis, quæ videbatur significare gloriam divinitatis, in qua rapta est beata illa anima; ibique percepit illam felicissimam de qua supra dictum est communionem, et veram ac dulcissimam Dei associationem et fruitionem, omniumque laborum et dolorum plenam et superabundantissimam remunerationem, de qua magis credere quam cogitare aliquid, vel dicere potest cor humanum.

Christus et Sancti pro animæ offerunt sua merita.

In gloriam post Hostiæ oblationem rapta est anima.

---

## CAPUT IV.

### DE ANIMA PIÆ YSENTRUDIS INCLUSÆ.

Felicis memoriæ Ysentrudis inclusæ animam etiam hoc modo ad Dominum transisse cognovit. Videbatur enim sibi quod omnes Ordines Angelorum in ejus gloriam et honorem eam obsequendo præirent, eo quod omnium similitudinem et societatem quadam speciali dignitate obtineret. Angelicis namque spiritibus coæquabatur in charitativo et humili obsequio, quod omnibus ad se venientibus exhibebat.

Angelorum ordinibus pia inseritur anima.

Archangelis vero in Dei familiaritate et virtutibus, quia in omnibus bonis se fortiter exercuerat, et virtuosis exemplis, imo et Dei accensa zelo, correptionibus multos ad Deum convertebat. Item aliis tribus Angelorum Ordinibus similis inventa est, quia fortis et potens contra dæmones et vitia fuit, et Dei imaginem, quam in se immaculatam repræsentabat, tam in se quam in omnibus hominibus verebatur et diligebat, et quia intenta et devota oratione Dominum diebus ac noctibus adorabat. Summis quoque Angelorum Ordinibus coæqualis inventa est, tum propter deliciosam et amœnosam Dei in ea requiem, tum propter cognitionis Dei in ea plenitudinem, tum propter amoris præcipuum in ea fervorem.

Beata igitur Maria Virgo et beatus Joannes Evangelista, animam ejus ante thronum gloriæ præsentabant. Quam Dominus Jesus Christus inter amplexus suos amantissime suscipiens, et ante conspectum Dei Patris statuens, in honorem sponsæ suæ dulciter decantabat : « *Hæc est quæ nescivit thorum in delicto*, etc. Hæc est quæ toto corde et totis viribus me dilexit ; Hæc est quæ pura mente mihi adhæsit. » In corona quoque sua Christi passio, quam valde diligebat, et amor et castitas speciali dignitate supereminebant. Similiter in vestibus ejus hæc tria excellere et omnem decorem ejus visa sunt perlustrare.

Triplex præmium.

---

## CAPUT V.

### DE ANIMA B. DE BAR SANCTIMONIALIS.

Item cum Religiosa quædam persona agonizaret, vidit Dominum Jesum Christum ibi præsentem, et tenentem linteum candidissimum ante os infirmæ, quasi in eo animam

ejus recepturus. Quæ statim ut defuncta est, celebrata est pro anima ejus Missa, in cujus initio Dominus Jesus Christus, Virginum sponsus, visus est ad altare accedere, et effundere super illud magnum thesaurum; per quod significabatur quod omnia sua, etiam beatissimam passionem suam, obtulit Deo Patri pro anima illa. Deinde beata Virgo Mater obtulit varia ornamenta, quibus solent ornari sponsæ nuptiarum tempore; quæ significabant omnia opera quæ Dominus operatus est in illa. Et hæc obtulit beatissimæ Trinitati in laudem et gloriam, in supplementum decor iset gloriæ novæ sponsæ Filii sui, pro gaudio adventus ejus. Et cum elevaretur hostia, visus est Dominus quasi stans in altari; et inclinans se ad sacerdotem ait : « Voluntas tua voluntas mea est. » In his verbis cognovit quod desiderium sacerdotis illa hora fuit ut anima plene absolveretur. Quod et factum est; et cum perventum esset ad *Agnus Dei*, et sacerdos corpus Dominicum percepisset, venit illa anima in specie virginis pulcherrimæ ad altare, et Dominus inclinans se osculatus est eam; per quod dulcissimum osculum consecuta est cœlestis vitæ felicissimum consortium.

Novam sponsam Virgo Mater ornat Filio suo.

Finita Missa, cum sacerdos daret benedictionem, auditæ sunt voces in aere psallentium, tympanis et citharis et omnium musicorum generibus, ut fieri solet in nuptiis regalibus. Susceptaque est anima illa in consortium Angelorum et Sanctorum, cum ineffabili lætitia sustentantes se supra domum in qua corpus jacebat, quousque commendatio peragereturex more; tunc gaudentes animam ad cœlestia deducebant.

Post Missam anima suscipitur in cœleste consortium.

Altera die, dum corpus tradendum erat sepulturæ, iterum Dominus in Missa visus est, et anima cum magno comitatu virginum advenit, decorata rosis aureis, tamquam sponsa noviter domum introducta. Post hæc ad Offertorium *Domine Jesu Christe*, Dominus blande conversus ad animam

dixit : « Vade nunc, et offer Patri meo omnia, quæ hesterna die pro te obtuli, cum Matre mea, quia omnia sunt ad tuam beatitudinem sempiternam. Tunc illa accedens cum multitudine virginum obtulit thesaurum illum pretiosissimum a Domino sibi datum. Singulæ quoque virgines obtulerunt omnia, quæ in eis beatissima Trinitas operata est magnalia pro sua collega. Sicque virgines illæ altare circumgirabant, habentes inter se novam illam sponsam ; choream ducebant jucundissimam, quousque Missa esset finita. Dehinc levantes se in aere supra locum, quo corpus tradebatur sepulturæ, psallebant Domino laudes, usque dum omnia ibidem essent peracta. Tunc iterum percutientes tympana, hymnis cœlestibus ducebant sponsam illam, beatam scilicet animam, in thalamum sponsi immortalis, cui est honor et gloria per æterna sæcula. Amen.

Ad thalamum Sponsi sponsa deducitur.

O felix anima, o vero Dei gratia et nomine Bertha[1] ! quæ pro singulari munditia tuæ innocentissimæ vitæ, Angelorum Domino indissolubili amoris vinculo sociaris, sequens Agnum quocumque ierit ! nostri quoque memorare in abundantia tuarum deliciarum.

Sicut Dominus visus est pro hac anima se offerre Deo Patri, sic pro omnibus Spiritalibus, qui hic pro amore suo omnia reliquerunt, se offert, cum post mortem non habeant qui pro eis oblationem faciat ; quod pius Dominus per seipsum dignatur supplere.

1. *latine*, Lucia.

## CAPUT VI.

### DE ANIMA QUÆ EVOLAVIT IN ULNAS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DUM EXIRET A CORPORE.

SOROR quædam[1], omnibus diebus vitæ suæ Deo in sancta religione devote deserviens, cœpit infirmari; pro qua ista Dominum devotius invocabat. Viditque animam ejus quasi coram Domino genua flectentem, et Dominum vulnera sua rosea eidem ostendentem; quæ illa hoc versu, quem anima nunquam audierat, salutabat : « O salutifera vulnera dilectissimi amatoris mei Jesu Christi, salvete, salvete, salvete! in omnipotentia Patris qui vos dedit, in sapientia Filii qui in vobis sustinuit, in benignitate Spiritus Sancti qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit. »

Cum ergo olei sacrati percipere deberet unctionem, et Congregatio convenisset in domum ubi infirma jacebat, vidit duos Angelos qui pelves portabant. Per aquam quæ erat in pelvi designabatur misericordia et veritas, in quibus anima lavari debuit ab omnibus maculis, juxta illud : *misericordia et veritas præcedent faciem tuam* (Ps. LXXXVIII. 15.) Post hæc vidit quatuor Angelos venientes, et supra infirmæ lectulum pallium rubeum tenentes; per quod innuebatur meritum et dignitas quam post hanc vitam susceptura erat;

1. Infra hæc Soror vocatur Mechtildis, et propter donum contemplationis specialiter commendatur, indeque eadem esse videtur ac illa de qua agitur in Capite sequenti, itemque supra, Part. II. cap. 42. et in ipso S. Gertrudis opere, lib. V. c. 7 : quæ sane perhibetur esse Soror Mechtildis, auctor Libri cui titulus : *Lux fluens divinitatis*, hic ad calcem editi.

quia quamdiu anima subsistit in corpore, non potest agnoscere gloriam qua eam Deus in cœlis coronabit. Tunc multum cœpit contristari, eo quod dilectus animæ suæ deesset; quia Angelorum præsentia nequaquam ipsam poterat consolari. Et cum eum quem solum amabat, de angulo ad angulum oculo cordis quæreret, invenit eum secundum cordis sui desiderium, stantem in medio domus, in vestitu candido aureis clypeis adornato. In candore significabatur infirmæ munditia, in clypeis vero, ipsius patientiæ constantia, qua pro Domino multos dolores et infirmitates sustinuerat patienter. His quoque vestibus se Dominus ad honorem sponsæ suæ adornaverat.

Anima solum Jesum requirit.

Dominus autem ante infirmam in locum sacerdotis se ponebat, et beata Virgo ad caput residebat; et dum sacerdotes litaniam legerent, Dominus ter eam signo crucis signabat dicens : « Ego benedico te in sanitatem animæ et in sanctificationem corporis. » Cumque nominaretur Virgo Maria, ipsa erexit infirmam dicens : « Ecce, Fili, hanc sponsam tibi do perpetuo amplexandam. » Singuli quoque Sanctorum ad nomina sua Dominum genibus flexis pro ea rogabant. Ex hoc omnes Sancti choream circa lectum ejus ducentes, inter quos quæ Virgines erant Deo proximæ ibant. Finita autem unctione, dicit Dominus ad Matrem suam : « En istam tibi commendo, quam repræsentes meo conspectui immaculatam. »

B. Maria infirmam tradit Filio suo in sponsam.

Et dum instaret hora beatissimi ejus transitus, cum jam in extremis laboraret, ista compassionis affectu permota, Dominum pro ea attentius exorabat. Visumque est ei quasi innumerabilis Sanctorum exercitus adveniret. Martyres vero ordinabant se ad caput ejus, qui erant amicti rubeo indumento, habentes aurea scuta in vestibus. Et dicebant ad invicem : « Moveamus clypeos nostros. » Et moventes tam dulcem sonum reddebant quod dolor infirmæ in lætitiam est

commutatus. Amantissimus quoque animæ Jesus stabat ante infirmæ lectulum et Mater ejus juxta eum. Tunc beata illa anima carnis soluta vinculo, læta in ulnas evolavit Virginis Matris, ab omni dolore liberata, in perpetuum coronanda. Virgo autem Maria dedit eam Filio suo;[1] quam ille in amplexus suos mira blanditate suscipiens, supra pectus suum pausandam reclinabat, quousque Missarum solemnia celebrarentur, et Paschalis victima pro ea offerretur.

Anima volat ad B. Virginem.

Dominus autem commendaverat personæ illi, quæ hæc videbat, ut promoveret citius pro ea Missam decantari; quod et factum est, et ante Primam pro ea Missa fuit celebrata. Dominus vero in honorem novæ sponsæ suæ, veste candida se vestierat in qua erant aquilæ. In candore signabatur infirmæ illius munditia et castitas; in aquilis autem ejus cor contemplativum. Cum vero Missa inchoaretur, ipse summus Sacerdos et verus Pontifex pro ea Missam celebravit. Supra altare erat reconditus pretiosissimus thesaurus, omnia videlicet bona quæ ipse Dei Filius in terris pro hominis salute est operatus; quem obtulit Patri suo cœlesti pro anima in supplementum ejus meritorum. Tunc inclyta Virgo Maria duxit animam ad altare, dans illi aureum scrinium, in quo etiam erat reconditus omnium virtutum thesaurus, et bonorum operum quæ beata Virgo in terris perfecit, et etiam suorum quæ ipsa in terris exercuerat, ut omnia Deo offerret pro cunctis negligentiis suis. Ad Evangelium autem, Dominus accipiens manus ejus dixit illi : « Promitto tibi, dilecta mea, quod caro tua, quæ in mei servitio tota elaborata est, in die resurrectionis futuræ gloriose resurget. »

Aquila cor contemplativum designat.

Anima autem velut sponsa decentissime ornata, habebat annulum in manu, cujus lapis hominis faciem prætendebat; et cor ejus tamquam perlucidum speculum enitebat. Cumque

1. Cf. *Legatus*, lib. V. c. 7. circa finem.

Agnus Dei paschalis pro ea Patri sacrificaretur, de Corde Dei tantæ claritatis lux emicuit. quod animam totam circumdedit nec amplius videri potuit. Sicque splendore divinitatis irradiata et mira Spiritus Sancti suavitate perfusa, et omnibus cœlestibus affluenter dotata, inseparabilis unionis copula unus cum Deo spiritus est effecta.

Præconium sororis Mechtildis sancti decantant.

Cum vero ad tumulum corpus efferretur, audivit Sanctorum dulcem harmoniam personare in honore exequiarum sponsæ Regi immortalis, dicentes : « Beata es et bene tibi erit, egregia sponsa Christi, Mechtildis; quia cum Sanctis gaudebis et cum Angelis exultabis in æternum. » Multa etiam luminaria magnas flammas emittentia præcedebant corpus, quæ significabant opera sua bona quæ Deo cooperante perfecerat, quæ animam ad æternum præmium præcedebant. Post hæc Rex regum et Dominus dominantium, sponsam suam accipiens, suis eam amplexibus adaptavit. Quæ statim potens Dei effecta, accipiens manum Domini, præsentem Congregationem benedixit. Sicque Dominus dilectam suam cum inæstimabili gaudio ad cœlestia transvexit, prosequente eam Sanctorum exercitu glorioso. Viditque felicem animam stantem in præsentia semper venerandæ Trinitatis, ineffabili decore nitentem. Dominus vero quasi illam osculaturus se illi inclinabat, nec tamen eam est osculatus. Super quo dum illa quæ hæc videbat miraretur, Dominus ita respondit : « Per osculum pax intelligitur, et quia in cœlo pax non datur, sed æterna illic pax est, idcirco non indiget pacis osculo. » Dixitque ad animam : « Surge, et velut filia in patris tui rue amplexus » Quæ amplexata est eum cum lætitia. Et Dominus : « Per amplexum intelligitur unio, qua mihi anima vinculo indissolubilis amoris perpetuo copulatur. »

Unio fit animæ cum Domino.

## CAPUT VII.

### DE ANIMA FRATRIS N. DE ORDINE PRÆDICATORUM.

Post obitum Fratris N. Ordinis Prædicatorum, qui familiaris et fidelis amicus fuerat Claustri [1], infra dies octo anima ipsius hoc modo illi est revelata. In Missa itaque vidit animam ejus in aere calceatam calceis valde ornatis, ita ut quæ hæc videbat, optaret sibi de ornatu calceorum illorum aliquid dari. Cui ille : « Accipe gemmam patientiæ. » Hæc calceamenta signabant labores itinerum quos in Ordine habuerat. Et vocans eam proprio nomine ait : « Eia, eia, qualia me celastis, ecce nunc scio. » Tunc illa : « O Domine ora pro nobis. » Et ille : « Noli me vocare *Domine*, sed *Frater;* quia omnes in Christo Fratres sumus. » Et illa : « Ora, quæso, pro nobis, ne seducamur ab inimico in dato nobis dono [2]. « Cui ille : « Induite vos armaturam fidei, sicut electi Dei; scilicet, ut vere et pure credatis illud ex Deo esse. »

De custodia doni specialis ab inimico.

Cum vero perventum esset ad Offertorium Missæ, audivit vocem dicentem : « Patefactæ sunt januæ cœli. » Et vidit quasi permaximam portam festinanter aperiri, qua intrabat anima prædicti Fratris cum inæstimabili jucunditate. Cui Dominus expansis occurrens manibus, suscepit eam in ulnis, deducens usque ad thronum gloriæ, statuit eam coram se, et induit eam miro et ineffabili decore, quale humana non potest exprimere lingua. Inter alia, specialiter dedit illi chi-

1. Cf. Part. IV. c. 40.
2. Dono, scilicet, revelationum.

rothecas candidissimas in manibus, et calceamenta multo quam prius lucidiora in pedibus, dicens : « Cito proferte stolam primam. » Quam stolam facit Dominus de seipso. Et in hoc agnovit qualiter Deus est vestis animæ, quia sicut omnium gratiarum est auctor et largitor in terris, ita est etiam Beatorum ornamentum, gloria et merces copiosa in cœlis, ornans eos ex semetipso et remunerans pro omnibus bonis operibus et virtutibus in terra peractis. Deinde imposita est ei corona permaxima ex auro rubeo et gemmis pretiosis, quam accipiens cecidit super pedes Domini gratias agens, et recognoscens quia hæc omnia sola Dei bonitate et non suis meritis accepisset.

Stola prima est ipse Dominus.

Tunc illa scire desiderabat quid inde meruisset quod donum Dei tam fideli corde in sorore Mechtildi[1] dilexisset. Et vidit effluxum quemdam de Corde Dei manantem speciali modo in animam ejus; quem etiam influxum cognovit dari omnibus qui donum Dei speciale in aliis amant, licet in seipsis non acceperint. Et statim apparuit soror Mechtildis in magna lætitia ineffabili gloria et claritate circumdata. Cui hæc admirans ait : « Fac me, quæso, aliquid de ornatu tuo agnoscere tam ineffabili. » Quæ respondit : « Non poteris comprehendere, quia multipliciora sunt ornamenta mea quam in aliquo vestimento terreno sint fila intexta, et hæc omnia gratis accepi a Domino meo sponso. » In quibus verbis cognovit quod Sancti nihil attribuunt sibi de suis meritis, sed totum quod possident meriti et gloriæ, misericordiæ et gratiæ ascribunt divinæ.

In claritate Soror Mechtildis apparet.

1. Cf. Part. II. cap. 42. item, S. Gertrudis, Lib. V. c. 7. *Donum Dei* hic accipitur pro gratia revelationum, ut supra.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## CAPUT VIII.

### DE ANIMA FRATRIS H. DE PLAWEN [1].

EXORATA a Fratre quodam ut pro anima cujusdam Fratris Dominum precaretur, et ipsa hoc differret facere, cum esset in oratione, inspiratum est sibi quod pro anima illa orare deberet; sed cum adhuc renueret, audivit Dominum cum quodam serio sibi dicentem: « Num desiderio amici mei non potero satisfacere per te? » Et accipiens manum ejus dixit ei: « Veni, et introducam te in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum meam ». Statimque rapta est in cœlum, ubi vidit animam Fratris illius quasi staret coram Domino; et quinque radii de Corde Dei prodeuntes animam illam mirifice adornabant. Primus radius intravit oculos ejus: qui significabat cognitionem illam jucundissimam, qua Deum incessanter in gloria suæ divinitatis contemplatur. Secundus radius intravit in aures ejus, designans gaudium quod habet ex verbis dulcifluis, et salutatione melliflua quam jugiter audit ex ore Dei. Tertius os replebat, designans laudem illam ineffabilem qua Deum laudat incessanter. Quartus implevit cor ejus, declarans inæstimabilem dulcedinem et gaudium, ac delectamentum quod habet ex influentia divinæ voluptatis. Quintus tegebat et illustrabat omnia membra ejus ineffabili decore, significans quod omnibus membris suis et viribus devotus fuerat in bonis operibus, et exercitatione virtutum.

Cor divinum sensus animæ beatificat.

1. Quidam Henricus de Plawen juxta Ledebur, in *Allgemeine Archiv.* erat secundus filius Burchardi comitis de Mansfeld; sed eumdem esse de quo hic agitur dubium est.

Habebat etiam in capite coronam mire ornatam, in qua specialiter vidit ornamentum Dominicæ passionis; per quod cognovit quod specialiter affectus fuisset circa Dominicam passionem. Tunc illa admirando dixit ad Dominum : « O mi dulcissime Deus, cur animam hanc tam cito assumpsisti de sæculo, quæ tam multis profuisse poterat verbo et exemplo ? » Et Dominus : « Vehemens desiderium ejus coegit; me sicut enim ablactatus super matre, ita anima ejus adhæsit post me, et ideo meruit habere requiem in me. Meritum ejus et gloria quam fuerat accepturus tanta erat, quod aliquam expectationem præcedere oportebat; in qua expectatione ipsum in meo pectore feci pausare. » Et illa : « O amantissime Domine, quamdiu ita pausavit ? » Respondit : « Momento unius mane; donec amor omnia pro eo complevit quæ sibi ab æterno præordinavit. »

Anima, cur citius ad Deum rapiatur.

---

## CAPUT IX.

### DE ANIMABUS FRATRUM DOMNI ALBERTI ET SANCTI THOMÆ ORDINIS PRÆDICATORUM.

Venerabilis memoriæ Domni Alberti et Fratris Thomæ, de Ordine Prædicatorum[1], animas, velut duos prænobiles principes, hoc modo vidit cœlestia penetrasse. Cuilibet enim duo magni Angeli cum mirificis candelis præibant; quorum unus de choro Seraphim, alter erat de Cherubim. Per Angelos de Cherubim significabatur quod in terris

1. B. Albertus Magnus anno obiit 1280; sanctus quidem Thomas anno 1274. Hic autem anno 1325 inter Sanctos relatus est; illius vero cultus quibusdam locis a Gregorio Papa XV anno 1622 concessus.

divina cognitione fuerant illustrati. Per Angelos de Seraphim, specialis amor quo ad Deum flagrabant, et quo intellectum et cognitionem sibi divinitus datam, ut donum Dei eximium, diligebant. Cum autem pervenissent ante thronum Dei, omnia verba quæ scripserant, in vestimentis eorum velut aureis litteris inscripta apparebant, quos radius divinitatis, ac si rutilans sol in auro lucens, illustrabat, ita ut singula verba resplendorem mirificum in ipsam refunderent divinitatem. Quædam etiam suavissima dulcedo ex ipsis verbis omnia eorum membra influebat, quæ animas eorum mira jucunditate replebat. Omnia autem verba quæ de excellentia divinitatis, sive humanitatis Christi scripserant, singulari gloria eorum animas irradiabat, ita ut ex hoc aliquam divinitatis similitudinem in se trahere viderentur. In quantum etiam de Angelorum gloria et felicitate, sive Prophetarum aut Apostolorum dicta elucidaverant, seu Martyrum triumphum extulerant, et aliorum Sanctorum merita dictis et scriptis commendaverant, in tantum singulorum gloriam in se quodammodo repræsentabant : videlicet Angelorum claritatem, Prophetarum merita, Apostolorum dignitatem et excellentiam, Martyrum triumphalem gloriam, Confessorum doctrinam et sanctimoniam, omniumque Sanctorum glorificationem quadam similitudine in se contrahebant.

Divi Thomæ et B. Alberti multimodum præmium.

## CAPUT X.

### DE ANIMA DOMNI B. FUNDATORIS CLAUSTRI.

In anniversario quodam piæ et semper recolendæ memoriæ Domni B. [1] Comitis, fundatoris nostri, cum Missa pro eo celebraretur, hæc Dei ancilla vidit animam ejus coram Deo stantem, et in veste ejus animæ totius Congregationis quam ipse fundaverat, velut imagines pulcherrimæ apparebant, tam earum quæ jam in cœlestibus regnant, quam earum quæ illuc sunt perventuræ. In corona quoque ejus tot aureos flores habebat quot animas in eodem cœnobio fuerat Deo lucratus. Duæ etiam Abbatissæ [2], quæ idem cœnobium rexerant, una a dextris et alia a sinistris ejus, in gloria stabant; quibus Dominus valde dulcibus verbis gratias egit, quod de ovibus sibi commissis nulla unquam periisset. Singulæ vero personæ de Congregatione et multi hæredum suorum, et qui bonorum suorum in terris bene usi fuerant, in modum choreæ circa eum se giraverunt, et de singulis personis radius in animam ejus tendebat, qui mira claritate animam ejus illustrabat. Quælibet etiam persona dulcissimum carmen Deo modulabatur, in quo de singulis quæ cum eis Deus fecerat bonis, faciebant mentionem: quæ anima illius auscultans mira cordis exultabat delectatione. Per quod intellexit quod meritum de singulis haberet, et de omnibus quæ Deus in eis perfecerat bonis, quadam proprietate velut in suis exultaret.

Fundator claustri cum duabus primis Abbatissis in gloria videtur.

1. Burchardi novæ lineæ Mansfeldensis I. de quo in Præfatione horum librorum.

2. Cunegundis de Halberstadt, et Gertrudis de Hackeborn, soror sanctæ Mechtildis.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

Vidit etiam inter eos Domni [1] O. Præpositi animam mirabili et ineffabili decore circumornatam, quasi similitudine claustri habentis cancellos pulcherrimos, in quibus animæ velut imagines sedebant, et desuper scripta erant omnes observationes et quælibet bona suis temporibus instituta.

Item apparet anima defuncti Præpositi.

DE ANIMA DOMNI C. PLEBANI IN OSTERHAUSEN.

ANIMAM quoque Domni C. plebani de Osterhausen [2] etiam vidit ibidem ; quæ vestem habebat plenam circulis aureis, in quibus Sancti residebant ; in quo figurabatur quod valde devotus fuerat circa Sanctos. Videbatur etiam sibi quod sacerdos qui tunc Missam pro eo celebrabat, aureos calices, unum post unum, animæ ejus propinaret : in quo intellexit quod devota gratitudine ejus animæ congaudens, Deo pro ea preces et gratiarum actiones offerebat.

Cumque hostia salutaris immolaretur, Dominus Jesus Christus Cor suum dulcissimum aperuit : de quo ineffabilis suavitatis odor flagrabat, qui animam ejus et animas quæ aderant, in novam jucunditatem provocabat. Ista vero quæ hæc videbat, dixit ad Dominum : « Et unde, mi Domine, promeruit hæc anima ut hanc voluntatem tam grandis et tibi tam laudabilis operis sibi inspirares ? » Respondit : « Benigni cordis erat et homo benevolentiæ ; et quidquid peccavit, non tamen illud nequiter aut malitiose fecit ; ideo hanc viam salutis illi mea sapientia adinvenit. Multum enim complacet mihi benevolum cor, et valde aggravat animam peccatum quod per nequitiam perpetratur. Et quia hic non pro favore hominum, sed pro honore meo, et animæ

Cor suum Dominus animabus aperit.

1. Otto, Præpositus, cujus nomen occurrit in charta cautionis, sub Abbatissa Gertrude, anno 1262. Cf. *Præfat.*

2. Osterhausen, parochia tertia leuca ad meridiem ab Helftensi claustro.

suæ salute, monasterium instituit, et Congregationem valde dilexit, speciali quadam proprietate singulorum merita sibi vindicavit, et de bonis eorum quasi de suis exultat. »

---

## CAPUT XI.

### DE ANIMA B. COMITIS ANNORUM DECEM ET NOVEM.

Cum felicis memoriæ domnus B.[1] Comes obiisset, sequenti die hæc virgo devota in oratione posita, vidit animam ipsius coram pedibus Domini jacentem, et uberrime flentem, pro eo quod in extremis positus, magis timore pœnæ quam Dei amore pœnituisset, nec lacrymas amoris unquam in terris effudisset. Cujus miseriæ illa plurimum compatiens, orabat Dominum quatenus omnes amorosas et innocentes lacrymas, quas unquam in terris effuderat, ejus animæ in remedium et supplementum donaret. Quod dum pius Dominus dignanter fecisset, anima illa plurimum est gavisa.

Illa autem dixit ad Dominum : « Mi Domine, cur animam istius tam immatura morte assumpsisti, utpote qui tam bonum sortitus spiritum, multa si vixisset fecisset bona ? » Et Dominus : « Scis-ne, inquit, quia bona opera quæ fiunt ab existente in mortali crimine quasi nullius sunt valoris ? » At illa dixit : « Et quid huic proficit quod ho-

1. Hic videtur fuisse Burchardus XII, Gebhardi XX qui excommunicatus anno 1285 decessit, et precibus uxoris suæ. Irmengardis de Schwartzburg, in capella Helftensi nonnisi 1290 sepultus est, filius; quippe solus ex hac familia Mansfeldensi et Querfordensi videtur matura morte illis temporibus præreptus ; quod accidit anno 1294 (Franken, p. 223.) Cf. Part. II. c. 22.

mines ejus bonitatem, ejusque virtutes ac morum venustatem modo commemorantes ita nimis extollunt ? » Respondit : « Quoties homines in terris insignia virtutum ejus ac vitæ innocentiam recitantes collaudant, toties omnes Sancti singularem mihi proferunt laudem, pro naturalibus virtutibus quibus animam illam decoravi. Insuper et anima ipsa, licet nondum sit in gaudio, quoties homines in terris de ipsa bona loquuntur, toties me gaudens collaudat.

Qualiter accipit Dominus laudes dotibus naturalibus datas.

Post hæc infra tricesimum ejusdem, cum Missa pro eo in capella ubi sepultus erat celebraretur, et sacerdos Evangelium legeret, vidit Dominum stare versus sacerdotem, et omnia verba quæ Dominus locutus fuerat in Evangelio, quasi radios fulgentes ipsum transire sacerdotem. Et ait Dominus : « Omnia verba quæ locutus sum in terris ejusdem sunt efficaciæ, et eamdem, quam ex ore meo prodeuntia operata sunt, virtutem in quolibet ea devote proferente perficiunt. Quia verba mea, non ut hominum verba, transeunt ; sed sicut ego æternus sum, ita et verba mea æternum habent effectum. »

De virtute verborum Domini.

Cum vero Offertorium cantaretur, dixit Dominus : « Oblatio fidelium, quam sacerdos gaudens, non amore pecuniæ, sed pure pro animarum salute, suscipit et mihi libens offert, multum proficit animabus. » Tunc vidit animam defuncti circa altare euntem et cantantem : « Scio, Domine, quod morti me tradidisti ad salutem, et gaudium et consolationem animæ meæ fecisti. » Et illa : « Quis te, inquit, cantare docuit ? » Respondit anima : « Omnia quæ ad laudem Creatoris mei pertinent, cum quibus eum laudare possim aut debeo, scio. » At illa : « Habes-ne aliquam pœnam ? » Respondit : « Nullam, nisi quod amantissimum Deum meum nondum video, quem tanto desiderio cernere cupio, quod si omne desiderium, quo unquam in terris aliquis Deum desideravit, in unum transfusum esse hominem, in comparatione

Quantum Dei desiderium habet anima a carne soluta.

desiderii mei quasi nihil esset. » Tunc illa : « Quomodo hoc verum est, cum multi beatorum inæstimabili desiderio Deum anhelaverint ? » Respondit : « Quousque anima mole corporis gravatur, necessitatibus corporis toties impeditur, nunc comedendo , nunc dormiendo, nunc aliud faciendo, nunc cum hominibus conversando, quod nequaquam tali ac tanto desiderio flagrare potest, sicut anima quæ carne soluta et ab omni impedimento libera et necessitate, Creatorem suum desiderat incessanter. »

Mense tertio post obitum prædicti Comitis, anima ejus iterum huic Christi virgini apparuit. Duo splendidi juvenes ducebant animam ejus; eratque indutus grisea tunica et desuper sorcotio, in quo militarem susceperat habitum. Et ait virgo : « Cur hac laïcali veste indueris ? » Respondit :

Quid prodest filio maternus affectus etiam mortuo.

« Mater mea tam laudabiliter et mihi tam gratanter ipsam expendit, quod propterea videor uti illa. » Cui virgo : « Et non expendit alias res tuas bene ? » Respondit : « Etiam omnia bene et proficue dispersit; tamen præ cæteris hanc vestem utiliter et mihi accepte collocavit. Rogo ergo ut matri meæ et omnibus parentibus et amicis meis regratieris, pro eo quod tam benigne et amicabiliter erga me egerunt. » Et illa : « Est-ne impedimentum tibi quod parentes tui atque familia te sic deplorant ? » Respondit : « Nullum. Sed hoc solum volui ut agnoscere vellent bonum quod in hoc Deus animæ meæ præstitit, quod me de sæculo migrare fecit. » Et illa : « Cur, inquit, grisea veste uteris ? » Respondit : Cum essem in extremis, post Dominici corporis perceptionem, integra voluntate proposui quod si viverem Christi miles fierem. » Tunc illa : « Habes-ne virginalis meriti dignitatem? » Respondit : « Perfecte non habeo, quia pravorum consilio desideria et voluntatem meam ad carnalia et sæcularia declinaveram ; per quod anima mea sumpsit maculam. » Cui virgo : « Quid, inquit, maxime tibi profuit ? » Respondit :

« Missarum celebratio, eleemosynarum largitio, et pura oratio. » Et illa : « Quæ est pura oratio ? » Cui anima : « Munda, inquit, oratio est quæ de corde puro procedit, cum homo mundus est a peccato ; aut si alicujus delicti conscius est, proponit in corde suo illud confiteri, aut Deo illud in oratione confitetur. Hæc oratio quam tunc homo Deo offert, velut aqua purissima influit in Cor Dei, ibique magnam operatur virtutem. Oratio autem peccatoris velut aqua turbida ascendit. » Cui illa : « Et te quis ista docuit? » Anima respondit : « Omnia quæ scire volumus, Deus nos docet. » Et illa : « Qui sunt isti juvenes ? » Respondit : « Unus est Angelus meus, cui a Deo in terris eram commissus ; alius est de choro illo in quem sum deferendus. »

Missæ, eleemosynæ et puræ orationis fructus.

---

## CAPUT XII.

### DE ANIMA INFANTULÆ NOMINE E. DE ORLAMUNDE.

MATRONA quædam filiam suam nondum natam Deo consecrare disposuerat, ita ut si puer, dum nasceretur, puella esset, ipsam Deo desponsaret. Sed infra secundum annum puella defuncta est. Cujus anima famulæ Dei in specie virginis pulcherrimæ apparuit, induta veste rosei coloris, et desuper aureo pallio niveis liliis mirifice adornato. Dixitque ad puerum : « Unde tibi hæc tanta gloria ? » Respondit : « Dominus in sua benignitate hæc mihi contulit. Hæc rubea vestis significat quod naturaliter eram amans ; aureum vero pallium Religionis designat habitum, quem mihi Dominus contulit, pro eo quod mater mea religiosam vitam me ducere delegavit. Et omnia quæ mihi Dominus erat daturus,

Puella a matre Deo oblata, mercedem Religionis accipit.

si perfecte Religionis habitum duxissem, nunc mihi secundum liberalitatis suæ magnificentiam donavit. Insuper mihi speciale meritum est, quod in utero matris Christo fueram assignata. » Super quo dum illa valde miraretur, tale a Domino accepit responsum : « Quid miraris ? Nonne infantes baptizati aliena fide salvantur ? Nam sicut mater spiritualis votum christianismi pro puero spondens, si contigerit puerum decedere, per ipsum votum salvabitur ; sic ego integram matris voluntatem pro facto suscipiens, omnia bona quæ desiderando huic puero optavit, in ipso remuneravi. » Tunc illa Dominum requisivit dicens : « Et cur, amantissime, tam immature puerum assumpsisti ? » Qui respondit : « Tam amabilis puer erat, quod ei manere in terris non expediebat. Insuper ejus pater post mortem primogenitæ suæ votum matris irritasset, et eum in sæculo reservasset. »

---

## CAPUT XIII.

### DE ANIMA ALTERIUS HOMINIS.

Medulla Cordis divini.

ITEM cum pro anima cujusdam Dominum exorasset, taliter ipsam animam Deus est allocutus : « Bibe de medulla Cordis mei gaudium ex parte omnium pro te orantium. »

## CAPUT XIV.

### DE FUTURA HOMINIS RESURRECTIONE.

In Missa cum audiret legi in Evangelio : *Et tertia die resurget*, procedit in terram, Deo gratias agens pro hominis resuscitatione, et glorificatione futura. Et ecce vidit in capella [1] in qua erat orans, tria corpora pulcherrima, quæ coram altari erant sepulta, de sepulcris se erigere, extensis in cœlum manibus, quasi Deo gratias agere. Corda vero eorum erant decorata gemmis pretiosis, et miro modo quasi ludendo movebantur, de bonis operibus et virtutibus quas in corpore perfecerant exultantes. Tunc illa dixit ad Dominum : « Eia, mi Domine, qualiter hæc corpora animas suas recipient, et qualis erit illa claritas, cum anima corpori erit sociata ? » Cui Dominus respondit : « In resurrectione sua corpus septies sole clarius erit, et anima septies clarior corpore ; velut vestimentum corpus suum reinduens, per omnia membra corporis velut sol per crystallum lucebit. Egoque perlustrabo omnia interiora animæ ineffabili lumine, sicque erunt fulgentes in cœlesti habitaculo, corpore simul et anima sine fine. »

Corporum gloria in resurrectione.

1. Capella sancti Joannis a comite Burchardo de Querfurt anno 1265 fundata.

## CAPUT XV.

### DE ANIMA DOMNI B. COMITIS.

Cum in quodam anniversario unius jam dictorum mortuorum, scilicet, Domni [1] B. Comitis, Domna Abbatissa hanc Dei famulam quasi præcipiendo rogasset, ut de statu animæ patris sui aliquid sibi revelari a Deo impetraret; et cum illa hoc facere dissimularet, quia perraro hoc facere volebat, ut ipsa primum Dominum rogaret aliquid sibi revelari, sed hoc in Dei ponebat voluntate, quidquid ille sibi daret hoc gratum haberet : cum igitur Missæ interesset, inter Secretum dixit ad eam Dominus : « Imple obedientiam tuam. » Quod intelligens respondit : « Non ego hoc ut præceptum obedientiæ suscepi. » Cui Dominus : « Fac quemadmodum ego feci, cum ad præceptum Patris mei ad terras veni. » In hoc verbo divinitus intellexit quod dum Christus a Patre exivit, in tanta reverentia et subjectione ad omnem obedientiam se eidem inclinavit, quod nunquam filius patri, aut etiam servus domino tam humiliter se subjecit ; paratus omnium hominum onera, miserias et labores tolerare, et omnium vices seu defectus in semetipso supplere. Tum illa dixit : « Mi Domine, exaudi desiderium ancillæ tuæ. »

Nihil fiat præter obedientiam

Statimque vidit animam prædicti Comitis coram Domino

1. Hic Comes, pater Abbatissæ (Sophiæ), fuit Burchardus VIII de Querfurt seu II de Mansfeld, cujus filia Sophia post Gertrudem, tertia a fundatione Monasterii Abbatissa anno 1291 electa est, sed ante mortem propter capitis dolorem, resignavit; cui successit Jutta circa annum 1303. (Franken p. 58.) Burchardus anno 1273 defunctus est. (Ib. p. 222 )

stantem in viridi amictu, cinctam optimo et nimis fulgenti cingulo, cujus longitudo ad pedes ejus protendebatur. In viriditate vestis intellexit designari æternitatis virorem; in cingulo fidem catholicam, quam firmam et inconcussam usque in finem vitæ, operibus bonis redimitam custodivit. In pectore quoque habebat monile multiplicis ornatus, quod a collo usque ad cingulum, totum corpus ejus tegebat; in quo omnia ejus bona opera et virtutes elucebant; specialiter hoc quod fuit humilis corde, in tantum quod etiam uxori fuerat subjectus; et quod pii cordis erat, exorabilem et benevolum se hominibus exhibens; et quod misericors fuit in pauperes et egentes, et quod filiam suam Deo multa obtulerat devotione. Tunc illa dixit ad animam: « Quid filiæ tuæ mandabis »? Respondit: « Ut integra fidelitate ad ipsum se teneat, ejusque se voluntati subjiciat, qui tota fidelitate se ad hoc dignatur inclinare ut sit illi sponsus. »

Pro sua humilitate gloria Comitis.

Cognovit etiam animam Comitissæ[1] magnum de hoc in cœlis gaudium habere, quod propria et benevola deliberatione pro anima jam dicti Comitis pauperibus eleemosynam annuam providisset. Post hæc dixit ad Dominum: « Mi Domine, ea dignatione qua sic omnium hominum onus tulisti et in omnibus vices nostras supplesti, factus pro nobis obediens usque ad mortem, oro ut pro me Patri gratias referas pro tua obedientia, quam vice mei supplesti. » Ad quam Dominus respondit: « Sicut obedivi Patri meo, sic adhuc omnibus obedientibus obedio, qui hic voluntatem suam cohibent propter me, ipsique post hanc vitam singulari libertate ac deliciis in me perpetuo delectabuntur. Egoque vicissim in eis speciali modo volo delectari, ita ut om-

Obedientiæ præmium.

1. Hæc Comitissa, relicta Burchardi VIII, nuncupabatur Oda de Reinstein; cujus filius Gebhardus anno 1284, Helftensi monasterio vim intulit pro quo excommunicatus sequenti anno ex ictu lapidis vulneratus defunctus est. (Francken. p. 223.)

nibus qui in cœlo sunt notum sit quam gratum sit mihi obsequium, hominem per veram obedientiam propriam frangere voluntatem. »

---

## CAPUT XVI.

### DE ANIMABUS SALOMONIS, SAMSONIS, ORIGENIS ET TRAJANI.

ROGATA a quodam Fratre, Dominum requisivit ubinam essent animæ videlicet Samsonis, Salomonis, Origenis et Trajani. Ad quod Dominus respondit : « Quid misericordia mea cum anima Salomonis fecerit volo homines latere, quatenus carnalia peccata magis ab hominibus devitentur. Quid etiam pietas mea cum anima Samsonis egerit volo esse ignotum, ut homines se de inimicis ulcisci amplius pertimescant. Quid vero benignitas mea cum anima Origenis effecerit volo esse absconditum, ut nullus in scientia sua confidens audeat elevari[1]. Quid insuper de anima Trajani liberalitas mea jusserit, volo hominem ignorare, quatenus fides catholica ex hoc magis extollatur; quia hic licet omnibus polleret virtutibus, christiana tamen fide atque baptismo carebat. »

Judicium de animabus celatur, ut quisque sibi careat.

1. *In codice San-Gallensi ad oram paginæ additum est quod sequitur :* Quid autem bonitas mea cum Aristotelis anima fecerit, volo celare, ne philosophus naturalis cœlestia et supernaturalia minus curet.

## CAPUT XVII.

### DE ANIMABUS LIBERATIS PER EJUS ORATIONES.

In die Commemorationis animarum fidelium, cum esset orans pro fidelibus defunctis, impediebatur multum cogitationibus de quodam homine, quem sciebat esse in statu non bono. Et ecce vidit Dominum quasi pendentem in aere, ligatum manibus et pedibus, et sibi dicentem : « Quoties homo mortaliter peccat, toties ita me ligat ; tamdiu me ligatum tenet quamdiu in peccato perseverat. » Post hæc iterum apparuit Dominus, quasi juvenis speciosissimus et sponsus floridus mire decoratus, habens in pectore tria ornamenta velut tria monilia pretiosa. Per primum significabatur æternum desiderium, quo Deus erga animam jugiter flagrat. Per secundum amor divini Cordis ejus, quo semper diligit hominem ; licet homo tepescat et nihil amoris sentiat, tamen amor ejus divini Cordis flagrans et immutabilis erga se perseverat. Per tertium exprimebatur delectatio divini Cordis, de qua Scriptura dicit : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (Sap. viii. 3.) Habebat etiam circa pectus zonam auream, per quam vinculum amoris innuebatur, cum quo animam illam ineffabili unionis modo sibi colligabat. Et ait Dominus ad eam : « Hoc modo cum anima amante sum religatus. » Assumensque animam ejus perduxit eam in hortum amœnissimum, qui erat situs in aere vicinus cœlo, in quo erat multitudo animarum, quæ omnes ad magnam mensam in aquilonari parte consedebant. Dominus autem per seipsum dignantissime accedens ministrabat illis, omniaque verba illa quæ in choro ad Vigilias, et ad omnia quæ per univer-

Qui peccat quasi ligat Christum.

Cordis divini affectus ad hominem.

sam Ecclesiam pro animabus illa die fiebant, quasi diversa fercula illis apponebat, et velut pocula varia propinabat. Anima vero istius quæ hæc videbat cum Domino erat ministrans.

Cum autem cantaretur Versus[1], *Si quæ illis sint, Domine,* dixit ad Dominum : « Mi Domine, quid hæc verba illis prosunt, cum sint in magno gaudio? » Tunc animarum omnium cordibus se aperientibus, vidit in corde cujusque quasi vermem, qui caput in modum canis habebat, et quatuor pedes, corrodens incessanter corda eorum et unguibus torquens. Hic vermis propria erat conscientia cujuslibet, qui ideo faciem canis prætendebat ; quia fidele animal est canis, et conscientia semper corrodit et arguit animam, pro eo quod dulcissimo et benignissimo Deo suo extitit infidelis, nec ad eum absque impedimento post mortem meruit evolare. Per anteriores pedes exprimebantur omnia opera quæ homo facit contra Dei præcepta, quibus promeretur post mortem cruciari. Per extremos pedes figurabantur omnia desideria mala et viæ perversæ, quæ animam a Deo suo elongaverunt. Hic vermis etiam habebat caudam longam : quorumdam erat lenis et plana, quorumdam vero hispida et hirsuta. Per hanc caudam notabatur fama quam reliquerant in terris. Quæ vero bonam famam reliquerant, eorum cauda erat lenis, et ex hoc quoddam habebant remedium. Quæ autem malam post mortem reliquerant, earum vermium cauda hispida erat et retorta, crucians animam vehementer. Hic vermis nunquam moritur, nec anima inde liberatur, donec intret in gaudium Domini sui, fœdere indissolubili Deo juncta.

Vermis conscientiæ in animabus purgandis.

Cauda vermis, fama in terris relicta.

1. ℣. *Absolve, Domine, animas eorum ab omni vinculo delictorum, non eas tormentum mortis attingat.* * *Non reorum catena constringat, sed miseratio tua in pacis eas ac lucis regione constituat.* ℣ *Si quæ illis sint dignæ, Domine, cruciatibus culpæ, tu eis gratia lenitatis indulge.* * *Non reorum.* Ex veteri Officio Defunctorum.

Tunc illa totis viribus Dominum exorabat quatenus animabus illis plenam remissionem tribueret, et ad suæ claritatis gloriam assumeret. Et ecce omnium vermes cadentes moriebantur, et animæ cum magna exultatione ad cœlestia gaudia evolabant. Post hæc assumpsit eam, ostendens illi Purgatorium, inquo diversa vidit tormenta. Quasdam enim vidit animas velut de aqua progredientes, nudas et madidas; quasdam velut de igne exeuntes, combustas et deformes species præferentes. Pro quibus dum illa orasset, continuo de pœnis liberatæ, quælibet formam et habitum suum qualis fuerat in terris recipiebat, et in hortum illum de quo priores animæ sunt ereptæ, cum gaudio transmigrarunt.

---

## CAPUT XVIII.

### DE ORATIONE QUÆ DICITUR *Fons vivus*.

Cum Prælatus interdictum fecisset huic ancillæ Christi devotæ, ne quid de animabus, quod eidem revelaretur, ediceret, quia timebat publicari, et ex hoc gravamen cœnobium incurrere, ista compatiens animabus dixit ad Dominum : « Eia dulcissime consolator et tribulatorum adjutor, quid modo faciemus pro animabus, specialiter cum eleemosynam pro ipsis accepimus, ut citius absolvantur ? » Cui Dominus benigne respondit : « Legite orationem illam quæ dicitur *Fons vivus*, scilicet Ps. *Beati immaculati in via* (Ps. CXVIII.) cum oratione sibi adscripta, et magnum adjutorium, multamque eleemosynarum recompensationem eis impendetis. »

Mechtildis a Prælato jubetur quædam reticere.

QUALITER PRO ANIMABUS PROFICUE SIT ORANDUM.

Dum die quodam sancto communicasset, et obtulisset Deo illam prædignissimam hostiam pro animarum liberatione, ut esset omnium peccatorum remissio et negligentiarum suppletio, dixit ad eam Dominus : « Lege pro eis unum *Pater noster* in unione intentionis, sicut de Corde meo illud hominibus legendum tradidi. » In his verbis divinitus intellexit quod in tali intentione legere deberet.

*Pater noster* pro animabus lectum.

In hoc verbo : *Pater noster*, etc. intenderet desiderare indulgeri animabus, quod tam colendum et amandum Patrem, qui sola dignatione ipsas tali honore sublimavit, ut filii Dei nominentur et sint, in tanta reverentia non dilexerunt, nec honorem debitum impenderunt, insuper peccatis suis toties irritaverunt, et a corde eorum, quod inhabitare et in quo regnare velut in cœlo suo disposuerat, sæpius ejecerunt : orans in unione amorosæ pœnitentiæ et satisfactionis, quam innocens frater eorum Jesus Christus pro eis persolvit, ut amorem Cordis ipsius cum reverentissimo honore, quem illi in humanitate exhibuit, suscipiat in hujus delicti supplementum.

*Sanctificetur nomen tuum*, in suppletionem quod nomen Dei et tanti Patris sui nunquam digne venerati sunt, et sæpe in vanum illud assumpserunt, sed perraro ejus nominis memoriam intente cogitaverunt ; et etiam nomine illo dignissimo, quo Christiani a Christo sunt denominati, male vivendo indignos se fecerunt : desiderans ut suscipere dignetur illam sanctitatem perfectissimam Filii sui, quo ejus benedictum nomen prædicando extulit, et in operibus suæ humanitatis honoravit.

Christiani nominis dignitas.

*Adveniat regnum tuum*. Hic intenderet indulgeri animabus quod regnum Dei, imo ipsum Deum, in quo solo vera

requies et gaudium sempiternum est, nunquam tam ferventer desideraverunt, diligenti studio quæsierunt : orans quatenus sanctissimum desiderium amantissimi Filii sui, quo eos sui regni voluit esse hæredes, suscipiat pro omni torpore quem ad quæque bona habuerunt.

*Fiat voluntas tua.* Quod voluntatem Dei suæ voluntati non prætulerunt, nec in omnibus dilexerunt : orans ut unionem dilectissimi Cordis Filii sui, ac promptissimam obedientiam, qua extitit obediens usque ad mortem, suscipiat in emendationem totius inobedientiæ ipsarum.

Specialiter cognovit in hoc verbo : *Fiat voluntas tua*, etc. Spirituales multum delinquere, qui voluntatem suam perraro Deo ad plenum offerunt, insuper oblatam multoties auferunt, et pernecessarium esse eis ut in hoc verbo specialiter eorum mentio fiat ; quia per hanc negligentiam post mortem a Deo valde elongantur.

Valde nociva propria voluntas.

*Panem nostrum quotidianum.* Quod illud prænobile Sacramentum et eis tam perutile nunquam tanto desiderio, devotione et amore sumpserunt, et multi se indignos effecerunt ; et plurimi raro aut nunquam sunt consecuti : orans Deum Patrem ut suscipiat illum ferventissimum amorem, ineffabile desiderium, permagnam sanctitatem ac devotionem Christi Filii sui, in qua hoc superexcellens donum nobis donavit.

*Et dimitte nobis debita nostra.* In hoc verbo desideraret dimitti eis peccata omnia eorum, quæ in septem criminalibus et ex eis procedentibus commiserunt, et quod in se peccantibus non dimiserunt, nec inimicos suos dilexerunt; orans Deum quatenus suscipiat charitativam Filii sui orationem quam inimicis suis oravit.

*Et ne nos inducas in tentationem.* Quod vitiis et concupiscentiis non restiterunt, sed toties diabolo et carni consenserunt, multis malis se sponte implicantes : orans ut gloriosa

Christus devicit omne malum.

Christi victoria, qua mundum et diabolum devicit, cum tota conversatione ejus sanctissima ac universis laboribus et passionibus suis, animabus in supplementum totius negligentiæ conferre dignetur, liberans eas ab omnibus malis, et ad regnum gloriæ, quod ipse est, eos perducat. Amen.

Hanc oratio cum tali intentione perlegisset, vidit copiosam multitudinem animarum, cum maxima hilaritate, pro sua liberatione gratias Deo referre.

---

## CAPUT XIX.

### DE QUINQUE PATER NOSTER QUÆ STATIM DEBENT DICI CUM QUIS MORTUUS FUERIT.

Legerat aliquando quinque *Pater noster* sanctissimis Christi vulneribus pro quodam mortuo, secundum morem nostrum, quos statim ut aliquis mortuus fuerit nuntiatus legere solemus. Et desiderabat scire quod animæ inde remedium haberet. Cui ita respondit Dominus : « Anima ex hoc quinque bona consequitur : Angeli enim a dextris ei ministrant protectionem, a sinistris consolationem, ante spem, retro confidentiam, supra cœleste gaudium. » Item dixit Dominus : « Quicumque pro aliquo mortuo, compassionis sive charitatis affectu, intercedit, particeps erit omnium bonorum quæ fiunt per Ecclesiam pro illo defuncto, et in die exitus sui, omnia sibi parata inveniet ad remedium animæ suæ et salutem. »

Remedium sibi parat pro defunctis orans.

## CAPUT XX.

### DE INFERNO ET DE PURGATORIO.

ORANTE aliquando, vidit sub se Infernum apertum et in eo infinitam miseriam et horrorem; quasi serpentes et bufones, leones et canes, et omnium ferarum atrocium species, in invicem se crudelissime dilacerantes. Tunc illa dixit: « O Domine, qui sunt ii miserrimi ? » Cui Dominus: « Isti sunt, inquit, qui nunquam dulciter una hora recordati sunt mei. »

Vidit etiam Purgatorium, ubi tot genera erant pœnarum, quot vitiis se animæ subjecerant in hac vita. Qui enim hic superbi fuerant, in Purgatorio de lacu ad lacum incessanter cadebant. Qui vero regulam et obedientiam professam non tenuerant, ibi velut mole depressi et incurvati incedebant. Qui gula et ebrietate deliquerant, illi supini et velut amentes jacebant esurie et siti tabescentes. Et qui carnis desideria perfecerant, sicut pingues carnes assatæ, per ignem defluebant. Sicque pro singulis vitiis secundum quod animæ meruerant, in Purgatorio pœnas luebant. Sed pro his dum ista preces fudisset, copiosam multitudinem earum Dominus liberavit.

Cuique vitio sua pœna redditur.

## CAPUT XXI.

### DE EXITU HOMINIS JUSTI A CORPORE.

Cum anima justi egreditur de corpore, si tam libera est ab omnibus peccatis, ut cœli secreta statim promeruerit intrare, in primo egressu animam illam felicem Deus sic penetrat sua divina virtute, omnesque sensus ejus sic replet et possidet, ut ipse sit oculus animæ quo videt, et lux per quam videt, et decor qui videtur : ut miro et jucundissimo modo Deus in anima et cum anima seipsum, et animam et omnes Sanctos speculetur. Est etiam auditus animæ, quo audit dulciflua eloquia sua, quibus animæ supra omnem maternum blanditur affectum, et quo anima audit ipsius Dei et omnium Sanctorum concentum. Odoratus quoque animæ est et spiramen, spirans ei vivificum et divinum flatum suimetipsius, vincentem omnem odoris fragrantiam, quo anima in æternum vivificatur. Est etiam animæ gustus, quo suimetipsius dulcedinem in anima sapit. Item ipse Deus est vox et lingua animæ, qua seipsum in anima et pro anima plenissime et altissime laudat. Ipse quoque est cor animæ, delectans et jucundans animam, et fruens deliciis suis in anima et cum anima in jucundissima delectatione. Est insuper Deus vita animæ, et motus omnium membrorum ejus, ut omne quod anima agit, ipse Deus in ea agere videatur, ut illud vere in Sanctis impleatur : *Erit eis Deus omnia in omnibus.* (I Cor. xv. 28.)

Deus ipse in anima justi se laudat.

Animabus autem nondum purgatis Angeli lumen cognitionis ministrant, et sunt eis subsidium in pœnis et solamen.

Animas vero damnatorum in exitu implent tenebræ,

terror, fœtor, amaritudo, pœna intolerabilis, tristitia indicibilis, desperatio et infinita miseria. Sicque in seipsis sunt vitiatæ et omni bono penitus destitutæ, ut si nunquam in infernum aut in potestatem dæmonum devenirent, hæc tanta mala, quibus in se ipsis replentur, essent eis sufficientes cruciatus.

EXPLICIT DE ANIMIBUS.

---

## CAPUT XXII.

### DE VERITATE HUJUS LIBRI, VIDELICET SPECIALIS GRATIÆ [1].

In Missa quadam apparuit Dominus ancillæ suæ residens coram ea in solio majestatis. Cum autem pulsaretur ad Secretum, dixit ad Dominum : « Modo totus in altari in manibus sacerdotis es, et nihilominus totus hic mecum es. » Ad quod ille respondit : « Nonne anima tua in omnibus membris tuis est, et tamen semper in mea præsentia mecum in cœlo est ? Si hoc anima tua, quæ simplex creatura est, potest, cur non ego, Creator omnium, in omni creatura mea et ubique esse possum ? » Statimque visum est animæ ejus quasi esset in cœlo in præsentia beatissimæ Trinitatis, candidissima veste amicta. Dominus autem eam in sinum suum levans et amantissime intuens, inter alia his verbis ei blandiebatur : « Pulchritudo mea corona tua erit ; gaudium meum, torques colli tui ; amor meus amictum tuum, et deliciæ meæ honor tuus erunt. » Post hæc supra Cor suum eam

Dominus Cor suum dat totum Mechtildi.

1. Quæ sequuntur, post mortem beatæ Mechtildis ex integro conscripta fuisse videntur.

Dominus dulcissime reclinans dixit : « Accipe divinum Cor meum totum. » Sensitque anima quasi rivum validissimo impetu influere in se divinitatem. Dixitque anima : « Modo licet me totam repleveris, et miro modo illustraveris, ego tamen tantilla creatura tua sum, quod omnia quæ in te agnosco, et quidquid inde hominibus elucidare valeo, vix tantum est quantum formica a maximo monte secum poterit asportare. »

Tunc recordata est quod de his, quæ sibi Dominus revelare dignabatur, liber conscriptus erat, et ait : « Et quid est, amantissime Deus meus, quod tam moleste [1] fero hoc factum, cum tamen non dubitem sine tua factum voluntate ? » Ad quod Dominus respondit : « Exinde est quod tantam gratitudinem ad hoc donum meum non habes ut juste deberes »[2]. Cui illa : « Et quid te coegit ut mihi indignissimæ et vilissimæ tanta conferres ? » Respondit : « Mea infinita bonitas; quia si talibus te non allexissem et mihi attraxissem, terrenæ tantum consolationis habuisses, quod parum in te habuissem. » Tunc illa iterum dixit : « Unde scire possum, si verum est omne quod de his scribunt, cum ego non legerim, nec approbaverim ? etsi bene legerem, non tamen ad plenum mihi crederem. » Ad quod Dominus respondit : « Ego sum in corde desiderantium audire a te, excitando ad hoc desiderium earum. Ego sum intellectus in aure audientium, per quem intelligunt quod audiunt. Ego etiam sum in ore inde loquentium ; ego sum in manu scribentium ; in omnibus cooperator eorum et adjutor ; sicque omne quod in me et per me veritatem dictant et scribunt, est verum. Et sicut artifex aliquis habens plures ministros ipsum in opere suo adjuvantes, licet ipsi opus non tamen perficiant ut magister, pro modulo

Dominus personas juvit quæ librum hunc scripserunt.

1. Cf. Part. II. c. 43.
2. Cf. Cap. 28. infra.

tamen suo quilibet operatur ; sed ex ministerio opificis ipsum opus consummatur : ita et quæ hæc scribunt, etsi non tam eleganter prout tibi donavi depromunt, mea tamen cooperante et adjuvante gratia, in mea veritate approbatum confirmatur. Tu etiam toties me rogasti, ut te non permitterem spiritu erroris seduci, ut jure meæ crederes bonitati te in hoc exauditam. »

Vidit etiam de Corde Dei tres radios tendentes in corda duarum personarum [1] quæ hunc librum scribebant ; per quod intellexit quod divina inspirante et confortante eas gratia, hoc opus peragebant, ita ut laborem, et quidquid exinde sustinere deberent. libenter tolerarent. Illa vero iterum dixit : « Eia dulcissime amator, quia ego ingratissima pro tantis donis tuis, nunquam tibi dignas retuli gratias, desidero ut omnes, qui hunc librum lecturi sunt, tibi condignas per temetipsum pro me tantilla gratias agant. In hoc enim consolabor, si tibi laus, et profectus legentibus inde proveniat. »

Librum pie legenti meritum.

Cui Dominus : « Omnes hunc librum legentes, aut de te audientes, quoties me pro dono tibi collato per Antiphonam *Tibi decus*, aut aliquocumque modo laudaverint, tot dulcia amoris carmina in cœlo mihi in præsentia semper venerandæ Trinitatis decantabunt. »

1. Ex his duabus personis, una dictat quæ ab ipsa beata Mechtilde præ familiaritate nimia audivit, et illam esse beatam Gertrudem conjicimus ; altera vero scribit, quam non novimus, sed utramque quasi Libri scriptricem hic textus nobis demonstrat.

## CAPUT XXIII.

### QUOD QUI DONUM DEI IN ALIIS DILIGUNT SIMILE MERITUM HABEBUNT.

Alia vice cum pro omnibus hunc librum lecturis Dominum orasset, et quid meriti ex hoc quod donum Dei in aliis diligerent consequerentur interrogaret, ille respondit: « Omnes qui hoc donum meum in aliis diligunt, simile meritum et eamdem gloriam quam illi meruerunt, quibus hanc obtuli gratiam, et ipsi consequentur[1]. Sicut si sponsa haberet monile pulcherrimum, quod omnem decorem perornaret, si aliæ sponsæ secundum illud exemplar similia sibi monilia facerent, eamdem decoris gloriam haberent : sic animæ eorum, qui per charitatem sibi vindicant hoc donum, simile meritum et gloriam, quam illis daturus sum quibus hanc contuli gratiam, et ipsi sunt accepturi. »

## CAPUT XXIV.

### QUALITER HIC LIBER SIT PROVISUS.

Quod hic liber vere ex Deo sit, et sua favente gratia conscriptus [2], et quod LIBER SPECIALIS GRATIÆ nominetur et sit, longe ante hoc modo præostensum est. Nam illa persona quæ hunc librum partim ex ore ipsius, partim ex ore sibi familiarissimæ [3] conscripsit.

1. Cf. c. 7. supra.
2. Cf. Part. II. c. 42.
3. Id est, sanctæ Gertrudis. Cf. Part. VII. c. 21.

ante tres annos fere talem per somnum vidit visionem. Videbatur enim sibi quod hæc Deo digna persona de qua sermo est devotissime communicaret. Cumque a Communione sancta rediret, habebat phialam auream maximam, longiorem cubito ; et alta voce cœpit decantare dicens : « *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum* » ; post hæc dixit omnibus : « Quis vult de melle cœlestis Jerusalem ? » Tum Sororibus omnibus quæ in choro erant ad eam accedentibus, singulis de phiala illa favum mellis propinabat. Illa autem persona quæ hæc in visu conspexit etiam accessit, et illa dedit ei buccellam panis de illo melle infusam; quam dum illa manibus teneret, miro modo buccella illa simul cum melle excrescere cœpit, ita ut bucella in panem integrum, mollem et calidum excresceret, et favus ille panem tam intus quam foris penetrans, etiam per manus se tenentis in similitudine olei, in tanta ubertate distillabat, ut sinum ejus et deinde ipsam terram influens irroraret.

De melle hujus libri.

Nec hoc silendum puto, quod cum hic Liber cum magna cautela servaretur a personis quæ ipsum scribebant, die quodam sancto, una ex eis volens in eo legere, cum vix aperuisset librum, alia quædam persona in vehementia dixit ad eam : « Eia ! quid boni habetur in hoc libro ? quia primo ut eum aspexi, cor meum miram et tam affectuosam sensit commotionem, quæ omnia membra mea pertransivit. »

Merito ergo hoc volumen nomen LIBRI SPECIALIS GRATIÆ a Deo accepit, quod in figura tam dulcissimi liquoris præmonstratum est, et quod corda intuentium se tam facile et tam suaviter penetravit. Nihil enim dulcius divinæ gratiæ consolatione, nec aliquid sic animam afficit et illuminat, quomodo hæc gratia, et ad omne opus bonum animat et confortat. Unde Apostolus dicit : *Optimum est gratiæ cor stabilire.* (HEBR. XIII. 9.) Similiter quod verba Dei quibus hic

Merito nomen gratiæ liber acc

liber abundat animam illuminant, ostendit et psalmista cum dicit: *Declaratio sermonum tuorum, Domine, dat intellectum parvulis* (Psal. cxviii. 130).

---

## CAPUT XXV.

### QUOD OPERA CHARITATIS HOMINEM AB OMNI VENIALI PECCATO MUNDANT.

Cum, ut jam præscriptum est [1], Deum ad hanc personam [2] dixisse eam non fuisse tam gratiferam ut dignum fuisset, duæ personæ ejusdem familiares, hoc pro ea supplere cupientes, tot laudis carmina Deo persolvi pro ea fecerunt [3], per Antiphonam: *Ex quo omnia*, etc. quot dies vixerat in terris. Has laudes dum ipsa offerret Deo in unione amoris, quo ex Corde ipsius omnia dona sua profluxerunt, et in unione gratitudinis, qua per Filium suum omnia in ipsum refluunt, vidit de Corde Dei rivum magnum et purissimum cum impetu defluere, et animas earum quæ hæc ex charitate pro ea legerant ab omni macula emundare. Et ait Dominus: « Sic omnia charitatis opera hominem ab omni veniali peccato purificant; sed mortale peccatum, quod animæ more picis fortiter adhæret, confessione et majori contritione aboleri oportet. Omnia etiam charitatis opera in Corde meo, velut thesaurum mihi specialiter dilectum, reservo, donec ille qui ea operatus est ad me veniat, et tunc ad cumulum meriti et gratiæ ejus ea sibi reddo. »

Charitatis opera in Christi Corde reservantur.

Nec in hoc familiari suæ suffecit, quæ ipsam in Christo

1. Cf. cap. 25. supra.
2. Nempe beatam Mechtildem.
3. Cf. *Legat.* Lib. V. c. 4. in fine.

valde diligebat ; sed hanc negligentiam ejus pro ea cupiens ad summum usque suppleri, quia altius non poterat, tot Missas quot annorum erat, scilicet, *Benedicta sit*, in laudem semper venerandæ Trinitatis a religiosis Fratribus et devotis sacerdotibus pro ea fecit celebrari. Has Missas dum ipsa etiam Deo offerret, gratias agens Deo, et admirans charitatem qua hoc in hominibus peregisset, dixit ad eam Dominus : « Da mihi omne quod tuum est. » At illa manum suam ac si plena esset in manum Dei effudit. Statimque apparuit illud quod effuderat quasi ornamentum optimum, simile monili facto ex margaritis candidis, rubeis et purpureis ; per quod figurabatur gratuita et humilis charitas quam in hominibus hæc peregisset. Dominus autem ornamentum illud ante Cor suum ponebat ; de cujus medio mira et ineffabilis suavitas de Corde Dei effluebat. Et ait Dominus : « Omnes qui hoc donum meæ specialis gratiæ diligunt, et meæ credentes bonitati. humili gratitudine pro his quos ad hanc familiaritatem elegi mihi gratias referunt, singulari affectu Cor meum ad eos patebit. » Ornamentum etiam illud habebat in circuitu quatuor lilia, quorum dum illa pulchritudinem miraretur, dixit ad eam Dominus : « Virgines erant qui hoc laudis munus pro te obtulerunt. »

Mechtildis diligenti donum Cor Dei patet.

---

## CAPUT XXVI.

### QUALITER HOMINES DEO GRATIAS AGANT PRO HAC PERSONA.

Quædam devota persona Dominum attentius exorare solebat, ut qui de spiritu Moysis in alios transfudit (Num. xi). et Eliæ spiritum et virtutem Eliseo dereliquit,

etiam spiritum hujus ancillæ suæ, de qua hæc conscripta sunt, ejusque virtutes et gratiam Sororibus communicaret, et quasi pro testamento relinqueret.

Quadam igitur vice cum se ad orandum collegisset, dixit ad Dominum : « Mi Domine Deus, quid me modo vis facere ? » Cui Dominus : « Pro quo orasti, et quod desiderasti, tibi modo pandam. Dilectrix mea pro qua sæpius gratias agis, inter alia mira virtutum insignia in his mihi præcipue complacuit ; scilicet in perfecta abrenuntiatione suimetipsius ; secundo, in voluntatis suæ cum mea perfecta unione ; semper enim voluit meam perfici voluntatem, et omnia opera mea sive judicia sibi placebant. Tertio, quod erat valde compatiens, auxilium et solamen miro affectu impendens tribulatis. Quarto, quod proximum suum omnino sicut semetipsam diligebat ; nunquam enim in tota vita sua proximo fecit malum. Quinto, quod pacificum et tranquillum cor habuit ; nunquam enim in corde suo aliquid immorari permisit quod meam in se requiem turbare posset. »

Quænam virtutes Domino in Mechtildi placuerunt.

« Omnes ergo qui eam mei causa diligunt, dulcius influam et suaviori familiaritate ad me traham. Omnibus etiam, qui mihi pro ipsa laudes sive gratias referunt, et mihi congratulando favent quod talem elegi et perfeci, quidquid in ea sibi maxime placuit dabo illis ; insuper quod mihi magis in ea complacuit, etiam illis superaddam. In extremis quoque ejus, cum eam assumpturus advenero, qui tunc cum devotione et desiderio corda sua ad gratiam meam præparant, agentes gratias pro impensis illi beneficiis, secundum quod desideratis hæc dabo vobis. Quibusdam spiritualem consolationem infundam ; aliis illuminatam animam, sive amoris fervorem tribuam ; aliis ratiocinabilem sapientiam, vel utilem doctrinam qua alios instruant conferam ; aliis Religionis augmentum, ut sint cæteris in exemplum. » Tunc illa Dominum requisivit dicens : « Et quibus, mi Domine,

Hanc beatam pie colentibus beneficia promissa.

modis gratias tibi agere et laudes pro ea referre debemus? » Respondit : « Gratias mihi agite pro omnibus quæ unquam in ea perfeci bonis et adhuc facio. et in æternum sum facturus : specialiter pro excellenti delectatione et amœnosa requie quam habui in ea ; pro deliciosa influitione quam in eam declinabam ; pro sancta operatione Spiritus mei in ea, et perfecta fruitione qua deliciis meis in ea perfruebar. »

---

## CAPUT XXVII.

### DE FUTURA RESURRECTIONE MORTUORUM [1].

In aniversario cujusdam, cum ad Vigilias Responsorium *Redemptor meus vivit*, cantaretur, vidit animam ejus ineffabili gaudio et delectatione Dominum Jesum amplexantem et eadem verba dulcissime decantantem ; agnovitque divinitus quod animæ in cœlis inæstimabili gaudio de Christi humanitate exsultant, et quoties in terris homines intente hæc verba vel aliud quid de futura eorum resurrectione cantant, statim indicibili resultant gaudio, videntes ipsam veritatem in glorificata Christi humanitate, certi quod ipsi etiam resurgent, orantque pro his qui hic psallunt in terris, ut illam felicitatem etiam ipsi digne consequi mereantur. Agnovit etiam quod dum homo hæc verba devote profert, eisdem per fidem corpus suum sanctificatur, ut dignius hac gloria perfruatur.

1. Neque caput illud XXVII, neque duo quæ subsequuntur, scilicet XXVIII et XXIX, occurrunt in codicibus Sangallensi, Guelferbyano, Lipsiensi, etc.; ea vero descripsimus ex latina editione veteri Antonii de Fantis.

## CAPUT XXVIII.

### DE REDEMPTIONE CAPTIVORUM.

Item dixit ad eam Dominus: « Qui pro captivis sive in corpore sive in peccatis proficue voluerit orare, oret me per amorem, qui me in utero Virginis novem mensibus captivavit ; secundo, qui pannis et fascia constrinxit ; tertio, qui me vinctum in manus impiorum tradidit ; quarto, per vincula quibus me Judæi tradiderunt vinctum in manus judicis ; quinto, cum ad columnam fui ligatus in flagellatione ; sexto, cum contemptus fui clavis cruci affixus ; septimo, cum in sindone involutus, mortuus, et sepulchro fui inclusus, quatenus per amorem qui in omnibus his me vinctum tenuit, liberem hominem illum ab omnibus vinculis suis, sive peccatis.

## CAPUT XXIX.

### QUALITER EAM DOMINUS JESUS CHRISTUS MATRI SUÆ COMMENDAVIT.

Cum vice quadam Evangelium *Stabat juxta crucem*, etc. legisset, in affectu mentis dixit ad Dominum : « Commenda me, o Domine, Matri tuæ sicut dilectum tuum Joannem commendasti. » Statim Dominus annuens votis ejus eam in manus Matris tradidit dicens : « Commendo tibi, o Mater, hanc animam, ut vulnera mea ; et sicut me, si vulneratus jacerem coram te, curare et lenire velles, sic eam

Anima tamquam Christus commendatur.

sollicite foveas et consoleris in omnibus pœnis suis. Commendo eam tibi, ut pretium mei ipsius; ut memor sis quanti pretii eam æstimavi, cum pro amore ejus non recusavi mori. Commendo etiam eam tibi, sicut illud in quo reposui omne delectamentum Cordis mei, juxta illud : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* » (Prov. viii. 31.) Tunc anima : « O Domine, hoc idem omnibus te desiderantibus vis-ne facere? » Qui respondit : « Etiam; non enim personarum acceptor sum. »

---

## CAPUT XXX.

### DE LAUDABILI CONVERSATIONE HUJUS VIRGINIS.

Sufficere jam volumus, nec ultra procedere. licet multa possemus addere, ne ipsa prolixitate aut multiplicitate in fastidium legentibus, quod absit, vertatur. Tanta etiam prætermisimus quod hæc quæ scripta sunt, pauca, respectu eorum quæ omisimus, videantur. Hæc autem ad Dei solius gloriam et proximorum utilitatem protulimus, quia indignum putamus si tam utilia quæ, ut credimus, non tam pro se quam pro nobis et adhuc futuris a Deo accepit, silentio tegerentur. Sed quia ipsius venerandæ personæ vitam et conversationem laudabilem et vere mirabilem minus descripsimus, libet saltem vel in fine aliqualiter eam commendare, ut et eam imitari cupientibus formam relinquamus.

Venerabilis siquidem hæc persona virginitatem quam a septimo anno voverat, et cordis munditiam in tanta diligentia custodiebat, et ab omni peccato ab infantia sic cavebat, ut etiam duo confessores ejus testarentur nunquam tantæ

innocentiæ, et tam mundi cordis homines se expertos ut istam, et sororem ejus, Domnam videlicet Abbatissam. Unde cum integram confessionem fecisset, confessor pro omnibus suis peccatis, *Veni Creator spiritus* legendum sibi injunxit; postmodum alius ut *Te Deum laudamus* pro peccatis legeret imperavit. Maximum ejus peccatum quod in pueritia se dolenter memorabat fecisse, hoc erat quod vice quadam dixit se furem vidisse in curia, cum non vidisset, nec aliud mendacium scienter et sponte sua recoluit se perpetrasse. Ergo non immerito Virginibus jam Agnum sequentibus comparabitur, quia et ipsa Agnum quocumque ierit perfectissime sequetur; quippe cui non deficit humilitas, quæ ipsam ad ejus gloriæ excellentiam et celsitudinem sublevet, nec virginalis castitas, per quam ei familiarissime et dulcissime societur.

Puritas B. Mechtildis et abbatissæ Gertrudis.

Religiosis etiam patribus non incongrue similabitur, quæ pro Christi amore mundum cum suo despexit flore, et tantum paupertatem amplexata est, ut necessaria sua habere nollet; coacta enim per obedientiam, unum tantum peplum habuit; cætera vilissimi panniculi erant, et tunicas valde conscissas et undique reparatas portabat, cum tamen quidquid voluisset sufficienter habere potuisset. Cætera omnia ad Religionem pertinentia perfectissime habuit; scilicet propriæ voluntatis abdicationem, suimet dejectionem, obedientiæ promptitudinem, orationis et devotionis studium, lacrymarum ubertatem, sedulæ contemplationis fruitionem. Semetipsam in tantum abnegaverat, oblitaque sui Christo sic absorpta erat, ut quemadmodum de sancto Bernardo legitur, sensibus exterioribus parum uteretur; unde sæpe putrida ova nesciens comedebat, donec a proxime sedentibus et odorantibus est compertum. Similiter cum hospitibus comedens, cum diceret se nullo modo carnes velle comedere, illi morem ejus scientes, carnes ante ipsam ponebant, et sic

Paupertas, sui abnegatio, contemplatio.

nesciens comedebat, donec per risum eorum ad se rediens, quid fecerit recognovit.

Doctrinam in tanta abundantia effundebat ut ejus similis in nostro cœnobio non surrexerit, nec ut timemus, heu! surrectura erit[1]. Ubique enim Sororesse circa eam velut prædicatorem, audituræ verbum Deicongregabant. Omnium refugium et consolatrix erat, et singulari dono hanc gratiam habebat, ut homines secreta cordis sui ei fiducialiter aperirent, et quam plures a suis gravaminibus se per eam ereptos, non solum intra claustrum, sed etiam exteri, et de longe venientes religiosi et sæculares; nec ab homine unquam tantum consolationis sicut ab ista se invenisse dicebant. Tot orationes dictavit et docuit, quod si insimul scriberentur, psalterii excederent quantitatem. Doloribus et infirmitatibus tam continue vexabatur, ut non immerito Martyribus societur; insuper multis castigationibus pro peccatoribus semetipsam affligebat. Denique vice quadam ante Quadragesimam, cum populum cantibus lascivientem audisset, zelo Dei et compassionis affectu nimium inardescens, ut saltem Deo aliquam faceret emendationem, testas vitrorum et alia acuta instrumenta in lecto suo composuit, et in his se projiciens tamdiu se volutabat, donec cute confracta et tota vulnerata, sanguine proflueret, quod præ dolore nec sedere nec jacere valebat.

Charitas ad proximum.

Pœnas sustinens Martyribus sociatur.

Circa Dominicam passionem miro ferebatur affectu, ut raro de ipsa sine lacrymis loqui posset; et sæpius cum de Christi passione sive amore loqueretur, tanto fervore succendebatur, quod facies ejus et manus in modum decocti cancri

1. Sanctæ Gertrudis meritum, quamvis ea tunc viveret, minime hic attenditur: quæ tamen in *Legatus*, lib. I. c. 2. et c. 4. etiam B. Mechtildi quoad dona specialia præponitur; nec sane mirum hujusmodi silentium, si vere fuerit, quod ex aliis quoque locis jam intulimus, *Liber specialis gratiæ* ab ipsa Gertrude digestus.

rubeæ apparerent. Unde credimus eam multoties sanguinem suum spiritualiter in Christi amore fudisse.

Hæc etiam devota Christi discipula, sicut olim electissimi homines, scilicet Apostoli, qui die ac nocte Christo adhærebant, ejus dulciflua eloquia quotidie audientes, dulcique præsentia fruentes: sic et ista spiritualibus oculis, Deum facie ad faciem videns, ejus suavifluis eloquiis vere quotidie fruebatur, et velut discipula et filia carissima, de omnibus quæ volebat et indigebat ab ipso edocebatur. Tam familiariter enim Deo fuit unita, omnemque voluntatem suam sic Deo obtulerat, quod sicut ipsa retulit, postquam professionem fecit, in ulla unquam re aliter volebat quam Deus fieri disponebat.

Cum Deo intima familiaritas.

Mira suavitate in verbis Evangelii pascebatur, et tanta dulcedine afficiebatur. ut sæpius cum illud in choro legeret, in tantam jubilationem verteretur quod finire non poterat, quandoque pene exanimis reddebatur. Continue vero illud tam ferventer legebat, ut audientes in devotionem excitaret. Similiter dum in choro cantaret, ac si tota arderet, totis viribus Deo intendebat; unde quid faceret nesciens, mirabiles quandoque gestus prætendebat, modo expansis manibus, modo in altum elevatis, quandoque velut in extasim versa, etiam trahentibus et moventibus eam, non sentiebat, aut vix ad se redibat.

In legendo vel cantando pius fervor.

Spiritu etiam prophetico clarens, quandoque hominibus quæ eis futura erant prædicebat. Denique matrona quædam, cui dum hostes viro suo in via insidias posuissent, dicentes sine dubio in itinere eum velle detinere, donec captivi eorum laxarentur, et illa hoc fieri plurimum formidans, istius famulæ Christi se precibus commendaret, post factam orationem dixit matronæ: « Vidi Dominum manum corneam habentem, et dicentem: Manum meam minime lædere possunt; sic inimici ei nocere non prævalebunt. » Quo audito, matrona fiduciam sumens quia in similibus veritatem verborum

Spiritus propheticus.

ejus sæpius experta fuerat, domum confidenter perrexit. Cumque in pace urbem intrasset, statim hostes venientes castrum ipsum, sed frustra, oppugnarunt. Similiter cum eadem matrona, ut pro viri sui prosperitate et salute oraret, quia plurimos inimicos habebat, Dei famulæ attentius commendasset, illa ore prophetico dixit: « Plura adversa et pericula sustinebit; sed a captione et nocivo vulnere eum Dominus illæsum conservabit. » Quod per omnia sicut prædixit evenit, et miraculose sæpius captione evasit.

Jam vero quid amplius dicemus? Numquid non Angelicis spiritibus valebit æquari? Quibus etiam in terris amicissimo fœdere copulata erat, ut eorum præsentia raro careret, quæ etiam singulorum Ordinum officium in aliquo exercuisse videtur. Angelorum denique quorum proprie officium est ministrare bene congruit Ordini; quia officiosa charitate et dulci societate miseris affectum ministravit compassionis. peccatoribus subsidium orationis, negligentibus admonitionem correctionis, ignorantibus verbum instructionis [1].

Angelicis ordinibus assimilatur.

Ipsa etiam more Archangelorum, multorum internuncia ad Deum fuit, et eorum pia ad ipsum interventrix. Virtutibus quoque quoad aliquid assimilabatur, quia virtutum omnium præclarum fuit exemplar. Inter Potestates etiam non immerito reputabitur, cui omnipotens majestas se toties in potestatem dedit, et quæ super dæmones tam potens effecta est, sicut ipsi cuidam alii personæ per visum conquesti sunt dicentes: quod ejus meritis et oratione quotidie animæ fidelium a potestate eorum tollerentur.

Cum Principatibus etiam jure obtinet locum, quod velut princeps militiæ cum sorore sua, venerabili Domna Abbatissa, omnia monasterii tam interiora quam exteriora sapientissi-

1. In nonnullis codicibus quædam hic invenimus sanctæ Mechtildis elogio attributa, quæ in laudem Gertrudis Abbatissæ sunt alibi scripta: quæ quidem suo loco, ut par erat, infra restituimus, Parte VI.

In regendo monasterio sapient a.

me et ordinatissime gubernabat. Dominationibus insuper non incongrue associatur, quæ domina affectuum et actuum suorum fuisse probatur: siquidem dominabatur omnibus affectibus suis ipsos in Deum dirigendo; dominabatur cordi, omni custodia illud servando; dominabatur operibus suis, ipsa propter Deum exercendo. Ipsa etiam quietissimus et deliciosissimus Dei Thronus per serenissimam et mundissimam mentem suam dici potest; quæ Dei gratia plena, omnibus a se quærentibus qualiter vivere et se regere deberent, quasi ex ore Dei in ea sedentis, quid facere deberent indicabat.

Cherubim quoque ipsam dissimilem non arbitramur, quæ toties ipsi fonti sapientiæ immersa, et luminis abyssum penetrans, velut sol refulgens in templo Dei, scientia et sapientia omnes ad se venientes illuminavit. Sicut enim ipsa nobis retulit, super psalmos quidquid cantabat sive legebat, sæpissime spiritualem intellectum Dominus sibi dabat, et super quæ anima nondum cogitaverat, repente in momento intellexit. Super omnes tamen, Seraphim convenientissime et dignissime angelica hæc Virgo æquabitur, quæ ipsi amori, qui Deus est, toties immediate unita est, ejusque igneo Cordi tam amantissime impressa, unus cum eo ignitus spiritus est effecta. Valde namque generosa erat in loquendo de Deo; maxime de charitate tam ferventer loquebatur, ut audientes sæpe accenderet; unde congrue de ipsa dici potest, quod verba ejus cum Eliæ verbis, *quasi facula ardebant*. (Eccli. xlviii.)[1]

Psalmorum intellectus.

Hæc pauca de laude conversationis ejus descripsimus, dignum judicantes eam coæquari omnibus Sanctis, quibus etiam in terris tam familiarissime sociata erat, ut eorum

1. Iterum quædam ad Abbatissam Gertrudem pertinentia, hic beatæ Mechtildi immerito attributa, in Part. VI. retulimus.

præsentia frequentissime specialiter in festis eorum frueretur. Sed nulli absurdum videatur si nostri temporis, in quod fines sæculorum, imo fæces omnium vitiorum, et tædia bonorum devenerunt, hominem unum omnibus coæquavimus Sanctis, cum beatus Gregorius super Ezechiele dicat : quod Deus de dic in diem homines majori cognitione illustrare, et secreta sua eis amplius revelare dignatur, et processu temporis spiritualium scientiam augeri, introducens illud Danielis Prophetæ de ultimo tempore dicentis : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia.* (Daniel, xii. 4.) Dicit etiam sic : Moyses plus quam Abraham, Prophetæ plus quam Moyses, Apostoli plus quam Prophetæ cognoverunt. Sicut David de se testatur dicens : *Super omnes docentes me et super senes intellexi.* (Psal. cxviii. 100.) Legitur etiam in *Vitas Patrum* quod sancti Patres de ultima generatione prophetabant dicentes : Homines tunc temporis fore negligentes, sed tamen qui inter eos perfecti fuerint, super nos et patres nostros meliores erunt.

Magis in dies mundum Deus illustrat.

---

## CAPUT XXXI.

### GRATIARUM ACTIO PRO COMPLETIONE ISTIUS LIBRI.

Benedictus sit Dominus Deus omnis gratiæ, cujus dono et voluntate hic Liber editus est; nequaquam propria deliberatione et præsumptione scribentium, sed consilio et præcepto Domnæ Abbatissæ suæ [1] et consensu Prælati sui.

1. Hæc Abbatissa fuit Sophia de Mansfeld, quæ post Gertrudem de Hackeborn Abbatiale munus implevit, et tantum post annum MCCXCVIII, quo beata Mechtildis obiit, officium præ gravi morbo dimisit. Prælatus, forsitan Præpositus monasterii, vel Episcopus Halberstadt.

Ipsa etiam Christi ancilla, cui hæc omnia a Deo sunt inspirata et revelata, librum hunc legit, approbavit et correxit; quod hoc modo evenit.

Nocte quadam in oratione Dominus eidem apparuit librum hunc tenens in dextera sua apertum. Hoc cum duabus scriptricibus suis indicasset, rogans ut sibi librum ostenderent, et illæ hoc se facere non posse dicerent, timentes ne forte tristaretur, illa mœrore ducta dicebat se nunquam velle consolari, donec quid de ea scripserint, videret. Sequenti iterum nocte posita in oratione, vidit gloriosam Virginem puerum elegantissimum ulnis gestantem. Cui dum se humiliter prosternens causam tristitiæ suæ exponeret, illa puerum dabat dicens: « Accipe Filium meum mœrentium consolatorem, qui tuum omnino potest lenire dolorem. » Quem illa gratanter accipiens, mœrorem suum illi similiter est conquesta. Ad quam Dominus : « Noli timere; ego totum feci. Meum est ergo omne opus illud. Ego dedi tibi, et tam veraciter sicut de Spiritu meo accepisti, ita vere eas meus compulit Spiritus ut scriberent et elaborarent. Noli ergo timere, nihilque in eo deleas. Ego quoque a læsione et ab errore eum conservabo. » Dansque illi magnam spiritus certitudinem, de veritate ejus ita dixit : « Omnia verba libri hujus veraciter de Spiritu meo conscripserunt, et in coronis earum coram oculis meis sine fine lucebunt. »

Dominus ipse librum commendat.

Sicque omnem tristitiam ejus omnino ab ea tulit, ut ex die illa ostenderint ei librum quandocumque vellet, et ex integro coram ea perlegentes, excepto prologo et finali. Et quidquid in eo invenerunt, de cujus veritate suspicabatur, statim cum primo potuit a Deo requisivit, et sic Dominus ipsa mediante Libri hujus corrector fuit.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## CAPUT XXXII.

### DE TRIBUS PULSIBUS CORDIS CHRISTI IN SUA MORTE [1].

INTERROGATUS est Dominus qualiter a tribus pulsibus divini Cordis sui citius fuerit mortuus, sicut in hoc libro supra est prænotatum [2]. Ad quod Dominus tale dedit responsum : « Cum anima mea in jubilo beatissimæ Trinitatis primo est creata, statim in ipsa creatione sui , veneranda Trinitas inæstimabili eam circumplexans amore, tota sua Divinitate illi se infudit, omniaque sua ipsi plene donavit: Deus Pater, omnipotentiam suam ; Filii persona, suam increatam sapientiam ; Spiritusque Sanctus, omnem bonitatem sive amorem ; ita ut anima mea haberet omnia per gratiam quæ Divinitas habet per naturam. In ipsaque ista unione, illud divinum et æternum desiderium , quod sancta Trinitas ab æterno habuit ad uniendam naturam humanam Divinitati pro homine redimendo, animam meam ad perficiendum opus istud ineffabili succendit amore. Cum etiam in divina sapientia plene et lucidissime agnoscerem omnem humanitatis meæ gloriam, et omnia quæ illi erant ventura, et exinde hominis salutem permaximam, divino quodam gaudio super omnem modum replebar. Infusione quoque benignissimi amoris, quo Spiritus Sanctus se animæ meæ plene communicavit, tam benevola et parata ad redemptionem humani generis est effecta, ut onus illud suave ipsi videretur. Sed statim in ipsa hora

Quantum Christi anima in salutem humanam ardebat.

1. Caput istud, quasi adventitium ac posterius saltem scriptum, in præcipuis tantum codicibus, ultimo quidem loco, reperitur.
2. Part. 1, c. v. § 4. pag. 18.

conceptionis meæ a Spiritu Sancto, cum anima corpori est associata, divinum illud desiderium omnipotentia moderando continuit, et sapientia gaudium illud temperavit, Spiritusque Sanctus suæ dulcedinis unctione amoris fervorem lenivit, quatenus humanitas mea vitam servaret temporalem. Instante autem hora mortis meæ, amor ille omnipotens, sapiens et benignus, qui antea Cor meum tam valde pulsaverat, totius divinitatis suæ prævalentia desiderium meum et gaudium relaxans, amore inæstimabili, et superexcellenti Cor meum constringens, animam a corpore separavit; cui omnis pene acerbitas, quæ unquam excogitari potuit, mortem non intulisset. »

Animam Christi a corpore amor separavit.

EXPLICIT PARS QUINTA.

# PARS SEXTA [1].

## CAPUT PRIMUM.

### DE VITA ET MORTE VENERABILIS DOMNÆ GERTRUDIS ABBATISSÆ.

Prædulcis memoriæ Domna Gertrudis, Abbatissa nostra, gloriosum et vere præclarum Ecclesiæ nostræ lumen, omnibus virtutibus florens ut rosa, totius sanctitatis exemplar et veræ Religionis columna firmissima, hujus felicis, de qua scripsimus, Virginis secundum carnem soror exstitit. Hæc a puerilibus annis miræ sapientiæ fuit et discretionis, ita ut cum nonum decimum ageret annum, eam Abbatissam ordinarent. In quo officio tam laudabiliter, suaviter et prudenter se gerebat, ut in magna reverentia haberetur et materno affectu ab omnibus amaretur, tam Deo quam hominibus amabilem se exhibens et gratiosam. Quantæ etiam humilitatis fuerit in habitu et gestu, verbis et omnibus operi-

1. Hæc pars sexta, quæ in paucis modo codicibus reperitur, tota in eo est, ut Abbatissam Gertrudem de Hackeborn, jam supra, part. V. c. 1. et 2. itemque in *Legatus*, lib. V. c. 1. laudatam, fusius commendet. De ista quidem præclara Abbatissa quædam fuerunt ipsius sorori B. Mechtildi, quædam S. Gertrudi manifestata et in proprio cujusque libro sigillatim consignata. Plurima etiam in utroque de virtutibus ac præsertim de morbo et obitu ejusdem occurrunt, quæ sæpissime etiam quoad verba ita consentiunt, ut ab eodem auctore conscripta deprehendantur.

Verbis et exemplo Abbatissa filias edocet.

bus ejus elucebat. Ad quæque vilia opera et maxime ad communes labores Sororibus se frequenter sociabat; quandoque prima imo sola laborabat, quousque subditas induxit, vel magis exemplo aut blandis verbis ad se juvandum allexit. Amatrix veræ paupertatis erat: unde omnem superfluitatem rerum temporalium tam a se quam a suis subditis elongare cupiebat. De infirmis maxima illi erat cura, ita ut nunquam in tantum posset occupari, quin eas quotidie singulas visitaret, et si quid vellent sollicite interrogaret, propriis etiam manibus eis ministerium exhibens, tam ad recreandum quam ad pausandum. Unde cum in senectute infirmitatibus crebris laboraret, ad alias infirmas adhuc se portari faciebat, et cum loqui non posset, gestu et nutibus tam fidelissimum eis prætendit compassionis affectum, ut plurimas ad fletum commoveret. Valde communis erat, et tam materne omnes diligebat, ut quælibet ab ea se maxime diligi æstimaret. Unde etiam vix notari poterat quæ ejus secundum carnem essent propinquæ. Tam mitissima et suavissima moribus erat, ut cum aliquam Sororum rationabiliter dure pro culpa sua corripuisset, statim eadem hora et loco eodem tam amicabiliter et leniter eam alloqueretur ac si nunquam deliquisset. Similiter faciebat, cum in Capitulo aliquam exigente justitia seriosius proclamasset; statim finito Capitulo illa Soror tam securum ad eam habebat accessum. Nulla Soror tam juvenis erat, quæ ipsi causam suam cum fiducia non auderet aperire. Nunquam de illa visum est vel auditum, ut alicui sine rationabili causa seriosam se exhiberet, aut vitio morum suorum contristaret. Ita in infirmitate sua mitis et benigna erat, et tam hilaris et patiens ad omnia, ut omnes ad se venientes et sibi ministrantes lætas redderet et jucundas.

Quælibet se maxime ab ea diligi æstimat.

Nullam sine gravi causa contristabat.

Divinam Scripturam valde studiose et mira delectatione quandocumque poterat legebat, exigens a subditis suis ut

lectiones sacras amarent, et jugi memoria recitarent. Unde omnes bonos libros quos poterat, ecclesiæ suæ comparabat, aut transcribi a Sororibus faciebat. Studiose et hoc promovebat, ut puellæ in liberalibus artibus proficerent, ita dicens, si studium scientiæ deperierit, cum amplius divinam Scripturam non intellexerint, Religionis simul cultus interibit. Unde et juniores minus litteratas amplius addiscere sæpe cogebat, et magistras eis providebat.

Studium promovet scientiæ.

Orationibus devotissime et intentissime instabat, ita quod perraro absque lacrymis orabat. Tranquillissimæ mentis exstitit, et tam liberum et exoccupatum a curis cor tempore orationis habebat, ut multoties ab oratione ad fenestram vocata, sive ad alia negotia, statim ut rediit, eamdem puritatem devotionis quam in oratione habuerat, reinvenerit. Denique orationis et devotionis studium in tantum portaverat usum, ut cum in senectute viribus et etiam aliquantulum sensibus defecisset, et usum loquendi amisisset, maxima adhuc devotionis reverentia et lacrymarum inundantia communicaret, sicut et omnibus diebus vitæ suæ consueverat. Et cum Sorores sibi de Deo proloquerentur, vultu et nutibus lætissime quasi gratias agens ostendebat quam libenter audiret; nunquam etiam sic male valens, quin alacrior fieret, ac si nil pateretur, cum aliquem sermonem vel etiam verbum de Deo audiret. Ad Missam frequenter duci volebat, et circa Horas canonicas mirabiliter studiosa erat et devota, in tantum quod cum in infirmitate dormitaret, quandoque habens offam in ore vel scyphum ad os ut biberet, semper tamen in mora Horarum vim sibi inferens miraculose vigilavit.

De Deo loquentes libentissime audit.

Mundissimi etiam cordis ab infantia fuerat, ut ne leve verbum audire vellet, per quod suo cordi macula inferri posset. Quid plura? Quicquid erat virtutis, quicquid scientiæ, quicquid veræ religionis, in ea velut in speculo relucebat. Ferventissima fuit in charitate et devotione, quantum ad

Deum, summa in pietate et sollicitudine quantum ad proximum, prima in humilitate et afflictione quantum ad seipsam. In pueris mitissima et dulcissima, inter juvenes sanctissima et discretissima, inter seniores sapientissima et jucundissima. Nunquam inveniebatur otiosa; aut semper erat utiliter manibus operans, aut orans, aut docens, aut legens. Talis ac tanta erat, et tam laudabiliter se et omnes subditos suos regebat, ut si audeo dicere, nec primam similem visa est nec habere sequentem.

in infirmitate loquelam amittit.

Hæc postquam cœnobio nostro per annos quadraginta optime præfuit, crebris cœpit infirmitatibus fatigari. Cum autem per annum et amplius in infirmitate laborasset, et post hæc loquelam amisisset, pia soror ejus eam decessuram credens, attentius quo potuit pro ea Dominum exorabat, ut secundum voluntatis suæ beneplacitum et animæ ejus necessitatem cum ea disponere dignaretur. Subito autem spiritus ejus in cœlum rapitur, ubi vidit in speculo divinæ providentiæ quod nondum moritura esset, sed in illa infirmitate aliquantulum duratura. Attamen omnis Sanctorum exercitus in adventum et susceptionem tantæ sponsæ Dei festina jucunditate se præparabat. Beata igitur Virgo Maria inter alia ornamenta quibus mirifice fuit insignita, habebat niveas chirothecas, in quarum una aurea esse videbatur aquila, et aureus leo in altera. Per quod dabatur intelligi quod illa anima in cujus susceptionem se præparabat, ipsi gloriosæ Virgini specialiter in tribus erat assimilata : scilicet in innocentia virginali, quod notabatur in candore chirothecarum; et per altam et perspicuam contemplationem, quod significabatur per aquilam; et etiam per constantiam fortitudinis qua universa vitia devicit, quod per aureum notabatur leonem. Patriarchæ et Prophetæ in sua præparatione habebant aurea canistra diversis xeniis plena, significantes quod tam sapienter et fideliter subditis suis cum omnibus tam corporalibus quam spiritua-

Mechtildis visio de sorore sua.

libus providerat. Apostoli quoque habebant libros magnos et ornatos coram se, cum quibus eam honorantes erant pro saluberrima doctrina quam suis ministrabat subjectis, quia per hoc Apostolicis meritis æquabatur. Martyres vero habebant clypeos aureos et nimium splendentes, quibus reverentiam infirmæ erant exhibituri pro indefessa patientia, qua contra adversa omnia firmiter fuit munita, per quam ipsorum meritis fuit adæquata. Confessores decorabantur cappis amplis et pulcherrimis ad obsequendum ipsi, pro religiosa conversatione et sanctissimis exemplis in quibus ipsorum erat meritis coæquata. Virgines vero aureolas et lucida specula in sua habebant præparatione, quibus infirmæ erant blandituræ pro innocentia puritatis, et quod frequentius in speculis exemplorum Jesu Christi solebat vitam suam examinare quam similis esset Deo in virtutibus, vel quam dissimilis; et in hoc conjungebatur, imo quibusdam sacris Virginibus præferebatur.

Sancti ad illam suscipiendam se accinguntur

---

## CAPUT II.

### QUOD DUODECIM ANGELI EI MINISTRABANT.

Post hæc dum soror ejus esset iterum orans pro ea, vidit animam ejus in similitudine domus perlucidæ, in cujus medio Deus erat sedens, et radians per eam velut sol per crystallum. Et ait ad eam Dominus: «Sicut me absque impedimento per hanc domum perspicis, ita me in anima istius in omnibus operibus et virtutibus in quibus se modo exercet, recognoscere potes: specialiter in patientia, benignitate et hilaritate, quas supra humanam na-

turam per gratiam Dei est sortita; quæ omnia ego in illa operor et per illam. »

Visio Mechtildis de sororis suæ merito.

Post hæc vidit circa lectum infirmæ duodecim Angelos sibi in ministerium deputatos, qui referebant ad Dominum universa, quæ circa eam fiebant, tam per proprias virtutes quam etiam per sibi servientes. Ad pedes ejus tres erant Angeli ministrantes ipsi ad patientiam, quæ tantum abundabat in ea, quod omnes duodecim Angeli sufficiebant pro ipsa laudare Dominum Deum. Ad sinistram tres erant Archangeli, qui obsequebantur ei ad bonas voluntates, intentiones et desideria sancta. Ad dexteram erant tres de choro Thronorum, qui ei serviebant ad tranquillitatem, mansuetudinem et pietatem. Ad caput erant tres de Choro Dominationum, qui omnem honorem et reverentiam et charitatem a Sororibus infirmæ exhibitam suscipientes, in conspectum summi Regis cum lætitia deferebant.

Item cum soror ejus sibi ad peccatum reputaret, quod tam libenter cum illa esset, timens ne forte humanitati plus justo consentiret, super hoc Dominum requisivit. Cui ille: « Nullum tibi est peccatum; omnes enim sensus et motus, quos ad peccandum habere poterat, penitus ab ea sunt ablati, eamque in talem perduxi statum, quod vita sua in nullo modo potest displicere. Nusquam etiam locorum præterquam in sacramento altaris [1] me verius et certius invenies, quam in ea et cum ea, moresque meos conformatissime in ea reperies et virtutes. Tam benignum enim, tam mansuetum et tam amabilem sicut me discipulis exhibui et omnibus hominibus, sic ipsa subditis suis et omnibus ad se venientibus modo facit. Et sicut omnes injurias et pœnas mihi illatas dulciter, hilariter et patienter sustinui; sic illa infirmitates et

1. Eadem declarat Dominus, de sancta Gertrude. Cf. *Legatus* L. I. c. 4.

dolores dulci et jucundo corde supportat. Et sicut ego ex nimia liberalitate omnia quæ habui, crucifixoribus distribui; ita et ipsa ex liberalitate cordis quam semper habuit, modo omnia sua disperdit. »

---

## CAPUT III.

### QUOD CHRISTUS SEIPSUM IN EA SUSCEPIT.

Alia vice cum esset communicatura, soror ejus orabat Dominum, quatenus seipsum in ea dignaretur suscipere, et Deo Patri laudes et gratiarum actiones condignas persolvere, eo quod per se loqui non posset. Ad quod Dominus ita respondit: « Nonne hoc facere deberem? Nam raptor hoc faceret, qui si juste vellet, aut rapinam redderet, aut aliud pro ea restitueret; sic certe ego faciam, qui ei loquelam abstuli, quod per se non potest, per memetipsum centupliciter persolvam. » Visumque est sibi quasi Dominus staret a dextris infirmæ, habens vestem ex auro purissimo, plenam floribus viridis coloris, ipsamque dulcissime amplexans osculatus est dicens: « Mille millena oscula tibi, sponsa mea, propino. » Per aureum amictum Domini designabatur amor divini Cordis ejus, et per flores viror omnium virtutum in quibus floruit et exercuit se in terris. In pectore vero habebat rosam pulcherrimam etiam viridis coloris, lapidibus pretiosis mirifice decoratam, cum qua infirma ludebat: in quo significabatur confidentia ipsius, quam semper in omnibus habebat ad Deum. Facies ejus etiam ineffabili splendebat pulchritudine, ita ut sibi videretur nunquam in anima tantam elegantiam vidisse. Supercilia ejus specia-

Dominus infirmæ dulciter favet.

liter bene erant composita et parumper arcuata; per quod sibi videbatur innui ejus providentia, qua tam provide omnia quæ ad suum pertinebant officium disponebat. Oculi ejus singulari splendebant radio, significantes respectum misericordiæ ejus, qua subjectorum indigentiam multa compassione et misericordia respexerat. Os ejus roseo nitebat colore, designans assiduitatem doctrinæ et affluentiam utilium verborum, quibus subditos et alios multos de longe venientes studuerat informare.

Item cum hæc soror ejus quadam vice communicasset, dixit ad Dominum: « Obsecro, mi Domine, recordare quam fideli studio famula tua a sororibus exigebat modo blanditiis, modo increpationibus, quatenus sæpius et libenter communicarent, et quod nunc infirmitate impedita venerandum corpus tuum suscipere non valet, teipsum illi, prout tuam regiam condecet liberalitatem, impertiri digneris. » Cui Dominus: « Ego me in sponsum, et amicum fidelissimum, et unicum solatium ipsi donavi. » Et illa: « Quomodo, inquit hoc verum est, quod unicum ejus solatium sis, cum beneficia hominum et dona cum hilaritate et gaudio quodam suscipiens, in terrenis aliquantulum delectari videtur ? » Ad quam Dominus respondit: « Nonne et hoc consideras, quod cum ejus nutus non intelligentes, contra ejus voluntatem facitis, simili modo tam benigne arridet ac si magnum fecissetis ei bonum ? Ideoque scias quod sic in me firmata est, quod ad omnia quæ illi eveniunt, sive læta sive tristia, uno et eodem modo se habeat. »

A communione impeditam Deus consolatur.

Alia iterum vice cum esset communicatura, vidit hæc soror sua Dominum Jesum quasi juvenculum duodennem, pulcherrimum et delicatum nimis, eam dextera amplexantem, et inter alia multa hæc etiam verba sibi dicentem: « Pro dextera quam abstuli tibi, ero cooperator tuus in omnibus quæ agis; pro pede et crure ero ductor tuus. Vir-

ginitate perpetua decorabo te, gaudium et lætitiam pro universis infirmitatibus dabo tibi, agilitatem æternam pro omni gravamine corporis habebis, jucunditate continua meipso perfrueris. »

---

## CAPUT IV.

### DE TRANSITU EJUS FELICI.

Post hæc igitur cum ille solaris radius ad occasum tenderet mortis, illaque rutilans gloriæ nostræ corona inclinaret ad casum, ut eam Dominus sibi magis aptitaret, usum loquelæ per viginti duas hebdomadas miro quodam modo sibi abstulit, ita ut[1] nec nutibus indigentias suas notificare valeret, exceptis duabus dictionibus, scilicet: *Spiritus meus*, quibus omnia necessaria sua miraculose expetebat. Unde multoties contigit quod eam non intelligentes contra voluntatem ejus facerent; quod tamen ipsa benignissime et patientissime supportabat. Nam vere Deus habitabat in ea et cum ea, qui omnia quæ per eam fiebant, suo dulcissimo Spiritu sibi placitissime dirigebat. Sed cum hoc verbum, *Spiritus meus*, tam continue iteraret, hæc soror ejus vice quadam eam interrogabat: « Et quis est Spiritus tuus? aut de quo Angelorum ordine? » Cui illa statim expedita lingua ita respondit: « Seraph est spiritus meus[2]. »

*Spiritus meus.*

Post amissionem autem loquelæ fere per mensem, quodam mane ita male valuit, quod putabatur agonizare. Et dum

1. Cf. *Legatus*, V. 1.

2. Hoc est, sic amore Dei plenus, ut aliquis ex Seraphim, qui inter Angelos præcipue per amorem discernuntur.

congregato Conventu festine inungeretur, apparuit pluribus personis Dominus Jesus formam et decorem, secundum quod dicit Bernardus, indutus, quasi ad amplexum expandens brachia, et blandiendo eam respiciens, et contra faciem infirmæ quocumque vertebatur se statuens, ac si resolutionem ipsius vehementi desiderio expectaret.

---

## CAPUT V.

### DE EODEM.

Appropinquante itaque die, qui ab ipsa tot jucundis desideriis fuerat præoptatus, tamque devotis orationibus præmunitus cum jam agonizare cœpisset, videbatur Dominus totus festinus occurrere, comitatus dextera lævaque beatissima Matre sua prædilectoque discipulo Joanne Evangelista; post quos sequebatur multitudo totius cœlestis curiæ, specialiter Virginum exercitus, qui videbantur per diem illum domum implere, admiscentes se inter Conventum, qui etiam per diem illum mansit ibidem, desolationem suam fletibus et suspiriis deplangens, matrisque transitum devotis precibus commendans. Dominus autem Jesus tam dulcissimis gestibus ipsi infirmæ videbatur blandiri, quod exinde mortis amaritudo potuit digne leniri. Cum vero in Passione legeretur, *et inclinato capite tradidit spiritum*, Dominus velut ex incontinentia ferventissimi amoris inclinatus super agonizantem ambabus manibus Cor proprium aperiens super eam expandit.

Dominus cum Matre et Joanne agonizanti blanditur.

## CAPUT VI.

### DE HORA FELICISSIMI TRANSITUS EJUS.

FELICISSIMA itaque instante hora, qua ille cœlestis sponsus, altissimi Patris imperialis Filius, dilectam suam, post longa desideria egredientem de mundi carcere, ad pausandum secum in thalamum amoris suscipere disponebat, felix illa centupliciterque beata anima in illud unice præexcellentissimum sacrarium, scilicet Cor Jesu Christi prædulcissimum, sibi tam fideliter ac jucunde patefactum cum jubilo inæstimabili suavitatis evolavit. Ibi quid viderit, quid audierit, quid senserit, quidve beatitudinis affectu intraxerit ex superabundantia pietatis, quæ speciali privilegio tali tantoque meruit uti vehiculo, quis mortalium æstimare possit? Quam mellifluis etiam floridi sponsi se deducentis in dulcissimis intimis suis blanditatibus, quamque læto tripudio concomitantium coronatisque gaudiis suscipientium, ac insimul universorum festivis laudibus glorificatio tam beatissime sit perfecta, cum nihil inde balbutire queat humana fragilitas, decet proinde Deo auctori omnium decantare cum gratiarum actione carmen jubilationis in commune cum cœli civibus.

In Cor Jesu anima suscipitur.

Cum ergo perfulgidus ille sol, qui tam late sparserat radios suos in terra nostra, subductus esset, et respectu divinitatis illa exigua guttula abyssum suam unde profluxerat repetiisset, filiæ in tenebris derelictæ, per viam spei ad maternæ beatitudinis gloriam oculos fidei levantes, lacrymas jam tunc veraciter fundunt ex corde, atque intermixtis cœlestibus gaudiis de maternæ gloriæ congratulatione cum ipsis mœroribus de propria desolatione, altis vocibus laudes dederunt in cœ-

lum, desolationemque suam maternis affectibus commendaverunt [1] cum Responsorio, *Surge Virgo*. In quo dum cantaretur [1]: *quæ pausas sub umbra dilecti,* audita est respondere dicens : « Nequaquam mihi sufficeret sub umbra, sed in Corde dilecti dulcissime et securissime imo quietissime pauso. »

In Corde dilecti pausat anima.

Post hæc dum die quodam hæc Christi virgo orationi insisteret, vidit animam jam dictæ sororis suæ defunctæ in prærutilanti gloria , et beatum Benedictum, patrem Ordinis, præcedentem, et manu baculum tenentem , et felicem filiæ suæ, ejusdem scilicet Abbatissæ, animam amicabiliter et venerabiliter brachio circumplexantem, et ducere ante thronum venerandæ Trinitatis , et alta voce cum melodia pulcherrima in laudem et honorem ipsius animæ decantare Responsorium : *Quæ est ista quæ processit sicut sol* [2], etc. Et cum pervenisset ante solium, Dominus blande acclinatus ad eam, dixit : « Bene venias, pulcherrima filia mea. » Illa vero pro congregatione Dominum fideliter exorabat olim sibi commissa. Tunc ista quæ hæc vidit dixit ad eam : « Quid, soror charissima, vis filiabus tuis mandare ? » Et illa : « Dic eis ut amantissimum dilectum cordis et animæ meæ totis visceribus incessanter diligant, ejusque amori, imo et memoriæ, nihil omnino præponant. » Tunc ista: « Commenda nos, inquit, omnes Deo, quia video te bene valere. » Ad quod illa : « Ego commendo filias meas in illam suavissimam requiem, in qua securissime vivo ; scilicet, dulcissimum Cor amantissimi Jesu Christi. »

B. Pater Benedictus filiam ante thronum Dei ducit.

Mechtildis animam sororis suæ interrogat.

1. Cf. *Legatus*, lib. V. c. 1, p. 510, ubi indicatur, sanctam Gertrudem Responsorium imposuisse.

2. Responsorium in Matutinis festi Assumptionis B. M. V.

## CAPUT VII.

### QUALITER ISTA BEATISSIMA ANIMA EST SALUTATA.

ITEM videbatur Christi ancillæ in somnis salutare animam sororis suæ defunctæ in hæc verba : « Saluto te, Christi sponsa, in amore quo flagrasti cum primo vultum et decorem Dei creatoris tui revelata gloria aspexisti. Saluto te, Virgo Christi, in dulcore quem sensisti, cum inæstimabilem Dei, quam ab æterno erga te habuit charitatem, per suam experientiam plene agnovisti. Saluto te in decore perfecto quo fulsisti, cum omnium operum tuorum plenissimam remunerationem de manu Domini, regis et sponsi tui, accepisti. » Hoc dum fecisset, cogitare cœpit quomodo animam non canonizatam taliter auderet salutare. Cumque sic intra se hæsitans Dominum super hoc interrogaret, ille dignanter respondit : « Bene et congrue hoc fecisti; ipsa enim est honor omnipotentiæ meæ, decus sapientiæ meæ, et allectio divinæ bonitatis meæ. »

Quantum Gertrudis SS. Trinitati complacet.

Altera vice vidit animam ejus in una chorea mirabiliter gloriose ; [quæ erat] habens crines pulcherrimos, qui eam miro decore venustabant. Delicatus autem et floridus sponsus Dominus Jesus tenens manum ejus dixit : « Non erant illi tot capilli, quot virtutes inerant ei. »

Alia vice cum iterum eam videret in gloria, requisivit quale meritum pro eo recepisset, quod tam devote solebat replicare Psalmum : *Laudate Dominum omnes gentes*, specialiter in festo Resurrectionis. Quæ ostendit ei viridia vestimenta miri splendoris, quibus erat vestita ; et erant innumeris aureis stellis perornata, et suturæ mira quadam

varietate quasi cum albis margaritis et roseis lapillulis erant intermixtæ. Tunc ait ad eam : « Dum sis in abundantia omnium bonorum, quid nunc dare vis Sorori, quæ tibi in infirmitate tam fideliter servivit? » At illa tangens unum de roseis lapillulis dixit : « Hoc porta illi ex me. » Ad quod dum illa diceret : « Cum hæc videam in spiritu, bene scis quod corporaliter hoc non possum illi præsentare. » Illa respondit : « Ista albedo quæ apparet in suturis vestimentorum meorum signat humanitatem Jesu Christi, quæ præ omni mansuetudine suavissima erat, et rubor lapillulorum signat passionem Agni immaculati. Unde dic illi quod confidat de Dei misericordia; quia ego precibus meis volo ipsi obtinere apud Dominum meum, ut det ipsi mansuetudinem, et ut libenter pro ipso patiatur adversa [1]. »

Infirmariæ accipit præmium.

---

## CAPUT VIII.

### QUALITER IN TRICESIMA VISA EST.

In tricesima iterum anima ejus apparuit eidem in nova et superexcellenti gloria, vallata gloriosis cœlestium principum agminibus, qui omnes cymbala tenebant manibus, et tam per cymbalorum quam per vocum symphoniam suavissimam replicando cantabant versiculum : *Laudate Deum in tympanis benesonantibus* (Psal. cl.) etc. Et cum inter

1. In codicibus qui hanc sextam libri partem continent, duo hic subsequuntur capita quæ, licet jam initio partis quintæ sint, in his etiam sicut in cæteris codicibus, scripta, iterum post caput septimum hujus sextæ exhibentur : ea vero semel tantum posuimus, ubi scilicet agitur de charitate B. Mechtildis erga defunctorum animas. Part. V. c. 1. et 2.

tales cantus anima illa beatissima ducta statueretur ante thronum Regis gloriæ, Jesus, dulcissimus amator, sic eam est allocutus : « Bene venias, carissima mea. » In quo verbo persensit quemdam dulcissimum divinitatis effectum, quomodo scilicet ipsius simplicissima omnipotentia, sicut unumquemque amat in illo amore, sic respicit ac si nullum diligat præter ipsum. Unde ex plenitudine superabundantis suavitatis erumpens in laudem amatoris Sponsi decantabat : « *Anima mea liquefacta est* » (Cant. v. 6). Post hæc cantor omnium cantorum, reddens vicem dilectæ suæ etiam in laudis ejus excellentiam, quasi ex se, abysso totius beatitudinis, qui est initium et finis omnis perfectionis, decantando suavissima voce imposuit Antiphonam : « O Gertrudis, o pia », cui tota cœlestis curia prosecuta dulcisone subjunxit : « Quam pium est gaudere de te, o Gertrudis, Prophetis compar. » In quo verbo intellexit eam specialiter collaudari, quod in terris tam credula fuit, et tantam delectationem ad omnia Dei dona habuit. Et in spirituali doctrina quam subditis ministraverat, extollebatur in illo verbo : « Apostolis conserta, Prælatorum gemma, fide et meritis egregia, pietate, misericordia, charitate ineffabili ; exulta semper hic et ante Deum [1]. »

Bene venias, charissima mea.

O Gertrudis, o pia.

Tunc soror ejus, quæ hæc vidit, dixit ad eam : « Dic mihi, quæso, carissima soror, qualis sit illa liquefactio qua cantasti : Anima mea liquefacta est ? » Ad quod illa : « Cum incontinentissimus amor divinitatis animam infundit et penetrat, tam in prævalenti virtute dulcedinis, quod impossibile est creaturam posse totaliter capere, unde in seipsa resoluta et liquefacta refluit in ipsum, a quo accepit, tantæ beatitudinis largientem. » Tunc soror ejus : « Ora, inquit, pro filiabus tuis, quæ tam fideli te charitate amplectebantur

1. Quod est Antiphona in honorem S. Martini, piæ huic Abbatissæ adaptata.

in terris. » Ad quod illa : « Hoc feci, et sine intermissione facio. » Et ista : « Quid eis vis demandare? » At illa : « Ut suavitas amoris, qui manet in intimo cordis mei etiam maneat in cordibus et sensibus earum. » Hinc ista subjunxit : « Quid tibi donatum est in primo ingressu cœli ? » Respondit : « Dominus Deus, creator, Redemptor et amator meus, me in seipsum suscipiens, inæstimabili me lætitia adimplevit, seque ipso me vestivit, atque cum semetipso cibavit, seque ipsum mihi dans in sponsum, inenarrabili me honore glorificavit. »

Suavitas amoris in filiabus permaneat.

---

## CAPUT IX.

### DE ANNIVERSARIO EJUSDEM DOMNÆ ABBATISSÆ.

In anniversario ejusdem prædulcis memoriæ Domnæ Abbatissæ, cum ad ejus Vigilias Responsorium *Redemptor meus vivit*, cantaretur, hæc soror ejus vidit animam ipsius inæstimabili gaudio et delectatione Dominum Jesum amplexantem et eadem verba dulcissime decantantem ; agnovitque divinitus quod animæ in cœlis inæstimabili gaudio de Christi humanitate exultant, et quoties in terris homines intente hæc verba, vel aliud quid de futura eorum resurrectione cantant, statim inedicibili resultant gaudio, videntes ipsam veritatem in glorificata Christi humanitate ; certi quod ipsi etiam resurgent ; orantque pro iis qui hæc psallunt in terris, ut illam felicitatem etiam ipsi digne consequi mereantur. Agnovit etiam quod dum homo hæc verba devote profert, exinde per fidem corpus suum sanctificatur, ut dignius hac gloria perfruatur.

Resurrectionis pignus in gloria humanitatis Christi.

Post hæc vidit iterum quasi Deus Pater ad mensam regiam

1. Pars prior hujus capituli, utpote laudem B. Mechtildis extollens, in Parte V. cum duobus aliis pariter additis ante caput, *De laudabili conversatione hujus Virginis* a quibusdam editoribus inserta est.

cum anima illa sederet, dulcissimis et amantissimis ei blandiens verbis et gestibus, ac si hoc solum esset ejus gaudium et deliciæ cum anima taliter epulari. Dominus autem Jesus velut imperialis juvenculus, balteo præcinctus, ad mensam illam diversa fercula condita Spiritus Sancti dulcedine ministrabat. Singulæ etiam personæ de Congregatione cum processione venientes, in magna reverentia flexis genibus, pyxides eburneas, argenteas et aureas odore mirifico refertas offerebant. Illæ, quæ cordis munditia eminebant, pyxides eburneas deferebant, et quæ in Dei servitio plus aliis laborabant, argenteas habebant; quæ vero amoris fervore cæteras præibant, aureas pyxides attulerunt. Multitudo quoque animarum cum gaudio supervenientes, pro sua liberatione Deo et animæ ejus cui Dominus eas donaverat ad sui festi gloriam, magnifice gratias retulerunt. Deinde omnes suæ Congregationis animæ, tam Fratrum quam Sororum, in modum choreæ circa eam se gyrabant, inter quas animam unius Fratris, qui eodem anno decesserat, vidit in stola candidissima, desuper miro et vario adornatam decore; per quod intellexit designari suam benevolentiam; quia valde benigni fuerat cordis, ad omnia bonam gerens voluntatem [1]. Ducentes autem choros, jucundissime psallebant dicentes : « O mater nostra, etc. » De Corde etiam Domini Jesu tuba magna exibat, in quam omnium vocum sonus dulcissima modulatione transibat.

Oblatio diversa pro anima.

Sequenti vero die, cum pro anima ejusdem Missa celebraretur, incidit menti ejus tale desiderium : quod si esset præpotens regina, auream imaginem optime vestitam et ornatam pro anima dilectæ sororis suæ ad altare Deo vellet offerre. Cujus cogitationi protinus Dominus hoc dedit responsum :

1. Per hæc designari videtur Frater Seg. propter easdem animi dotes commendatus in *Legatus* Lib. V. c. 14.

« Et quid si hoc desiderium tuum modo per memetipsum compleam ? » Apparuitque statim Dominus stans coram ea in specie juvenis regio, imo divino, splendore coruscus, et ait : « En accipe me, et juxta omne desiderium tuum me offer. » At illa ineffabili gaudio et gratitudine eum circumplectens, ducebat secum ad altare. Dominus autem Jesus semetipsum Deo Patri obtulit cum omnibus virtutibus suis, in augmentum perfecti decoris animæ illius, et cum gaudio, dulcedine et amore divini Cordis sui, ad gaudium et beatitudinem ejus sempiternam.

Dominus Mechtildi pro Sorore sua se offert.

Post hæc anima illa felicissima, velut regina, et sui sponsi potens effecta, in amplexus Dei amantissime ruens, ipsum ad singulas Sorores per chorum circumducebat, dicens ad singulas : « Accipite Dominum virtutum, et petite ab eo virtutes. » Tunc illa quæ hæc videbat, dixit ad eam : « Mi soror carissima, quid maxime a nobis desideras observari ? » Quæ respondit : « Humilem subjectionem, amabilem in invicem charitatem, et fidelem ad Deum in omnibus intentionem. » Et adjecit : « Eia, da cor tuum amori totum, et omnes ama homines : tunc amor Dei et omnium qui unquam Deum dilexerunt, totus tuus erit. Similiter si humilis es, humilitas Christi et omnium qui se pro ejus nomine humiliaverunt, vere tua erit. Et si misericordiam proximo feceris, Dei misericordia et Sanctorum ejus etiam tua erit ; et sic de aliis virtutibus esse scias. »

Da cor tuum amori totum.

QUAPROPTER SIT DEUS BENEDICTUS
IN DONIS SUIS ET SANCTUS
IN OMNIBUS OPERI-
BUS SUIS.
AMEN.

EXPLICIT PARS SEXTA.

# PARS SEPTIMA

## CAPUT PRIMUM.

### DE EXTREMIS FELICIS SORORIS MECHTILDIS, GLORIOSÆ VIRGINIS SANCTIMONIALIS IN HELFEDE.

HUMILIS hæc et devota Domini nostri Jesu Christi ancilla, affectuosa mater, et prædulcis consolatrix omnium nostrum, de qua hunc edidimus libellum; cum dies vitæ suæ usque ad annos quinquaginta septem in Religionis proposito[1] et omnium virtutum apice laudabiliter peregisset, per tres fere annos continuis vexata doloribus, ad extrema cœpit propinquare.

In penultima namque Dominica, scilicet *Si iniquitates*, cum ultimo Electa Dei, ante obitum suum, vivificum sacrosancti corporis et sanguinis Jesu Christi perciperet sacramentum; una persona Deo devotius intendens, vidit Dominum Jesum, inæstimabili gloria coram infirma stantem, vultu et gestu delicato sibi dicentem: « Honor et gaudium meæ divinitatis, corona et præmium meæ humanitatis, delectatio et requies spiritus mei, vis modo

1. Ad annum post Christum natum 1298. Intra hos quinquaginta septem annos, annumerari debent etiam tres ultimi anni quibus doloribus vexata dicitur Mechtildis; nam hoc anno 1298 decessit.

venire et amplius manere mecum, quod meum et tuum desiderium compleat ? » Ad quod illa respondit : « Mi Domine Deus, supra omnem salutem meam tuam desidero laudem. Quapropter rogo, ut mihi liceat adhuc in pœnis persolvere omne quod unquam creatura in tua laude neglexit. » Quod responsum Dominus gratissime acceptans ait : « Quia hoc elegisti, ecce etiam in hoc mihi assimilaberis, qui voluntarie pœnas crucis et mortem pro Dei Patris gloria et mundi salute suscepi. Et sicut divinum cor Patris mei omne quod sustinui pertransivit, sic tuæ pœnæ et mors cor meum medullitus penetrabunt ; totique mundo provenient ad salutem. »

Divinæ laudi quidquid defuerit vult Mechtildis per infirmitatem supplere.

---

## CAPUT II.

### DE VOCATIONE IPSIUS A DOMINO JESU CHRISTO.

Item alia audivit quod eam Dominus his advocavit verbis : « Veni electa mea, columba mea, floriger ager meus, in quo omnia quæ desiderabam inveni ; hortus meus amœnus, in quo omne divini Cordis mei delectamentum habui ; in quo erant flores omnigenarum virtutum ; arbores bonorum operum et aquæ devotarum et ferventium lacrymarum ; quæ mihi semper ad quæcumque volebam patuit. In hunc hortum, quoties me peccatores irritabant, declinabam, et ex aqua ejus bibens inebriabar, ut omnium injuriarum mearum amplius non recordarer. »

Anima ejus quasi hortus amœnissimus.

## CAPUT III.

### QUOD DIVINITUS INUNGI COMMONETUR.

Item una persona devotius orans, commonita est in spiritu a Domino, ut eam ex parte sui commoneret, ut se ad suscipiendum sacrosanctæ Unctionis sacramentum præpararet; asserens ut sibi ex parte sui diceret, quod post susceptionem illius salutiferi sacramenti, ipse, custos amicorum suorum diligentissimus, eam in sinu suo tutissime disponeret ab omni macula immunem observare, quemadmodum pictor summo studio conservat imaginem noviter depictam, ne aliquo pulvere obfuscetur.

Alteri etiam personæ[1] revelatum est quod ipsa die Dominus vellet eam sacræ Unctionis sacramento præmuniri. Quod cum ista ex parte Dei infirmæ diceret, ipsa ut erat in omnibus semper Prælatis suis in humilitate subjecta, hoc ad eorum beneplacitum dimittens, nihil in his promovere voluit, sed totum se divinæ providentiæ commisit, quæ nunquam in se sperantes derelinquit. Prælati vero qui ipsam in tanta reverentia habebant, quod non dubitarent ipsam perfecte præscire tempus, quo Domino placeret ut sacramentum perciperet, cum viderent ipsam non instare nec ipsam rem urgere, ipso die Unctionem distulerunt. Dominus vero illud verificans Evangelicum: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (Matth. xxiv. 35), testimonium quod dederat in ore duorum fide dignorum testium hoc modo

1. nempe beatæ Gertrudi. Cf. *Legatus*. Lib. V. c. 4. p. 525.

comprobavit. Nam feria secunda, ante Matutinos, eadem felicis memoriæ M. tam repentinis cœpit doloribus vexari, quod plerique putabant illam ad extrema tendere ; tunc festinanter vocati sunt sacerdotes, et ipsa percepit sacræ Unctionis sacramentum. Sicque contigit ut quamvis non ipso die, tamen ante ortum sequentis diei inungeretur, juxta Dei voluntatem [1].]

---

## CAPUT IV.

### QUOD SINGULI SANCTORUM OMNEM FRUCTUM MERITORUM EIDEM DONAVERUNT QUANDO UNGEBATUR.

REVELATUM est autem tribus personis, quod Dominus in forma delicati sponsi dignantissime adesset, et ipse per se hoc sacramentum vivificum Electæ suæ præberet. Inter quas uni [2] videbatur quod cum oculi infirmæ per sacerdotem inungerentur, amantissimus Dominus omnem aspectum suæ divinæ pietatis, quo unquam Cor suum mellifluum propria benignitate commotum est, cum quodam divini splendoris radio ad ipsam dignantissime convertens, donavit cum ipso omnem splendorem, omnem exercitationem sanctissimorum oculorum suorum. Unde videbantur oculi ejus ex abundantia divinæ pietatis tamquam liquorem suavissimi olei emanare. Per quod intellexit quod Dominus, ipsius meritis, omnibus eam cum fiducia invocantibus consolationis subsidium large dignaretur impartiri. Et hoc munus meruit ex eo quod se erga omnes homines semper piam et benevolam, charitativo exhibebat affectu.

Mechtildem invocantes consolationem consequentur

1. Quæ uncis includuntur sunt e veteri teutonica Lipsiensi editione 1505 excerpta.

2. Cf. *Legatus*, p. 526.

Similiter cum inungerentur cætera membra, ad singula donavit illi sanctissimorum membrorum suorum operationem; sed ad unctionem oris, ipse incontinentissimus animæ zelator se dignantissime ad porrigendum ori sponsæ suæ osculum, quod vincit mellis poculum, coaptavit; cum quo omnem fructum sanctissimi oris sui ipsi contulit.

Dum vero in Litania legeretur: *Omnes sancti Cherubim et Seraphim, orate pro ea,* vidit [1] quod ipsa beata Cherubim et Seraphim cum summa reverentia maximoque tripudio velut ab invicem secedentes, locum inter se congruentissimum ipsi Dei Electæ præbuerunt, potissimum censentes ut quæ in terris non solum angelicam duxerat vitam, per virgineam conversationis sanctimoniam; verum etiam super angelos cum Cherubim, fluenta spiritualis intelligentiæ, de ipso fonte omnis sapientiæ hauserat copiose; verum etiam cum ignitis Seraphim, ipsum qui *ignis consumens est* (DEUTER. IV. 24), charitatis brachiis complexata fuerat, inter se sublimiter collocari, qui super omnes meruerunt divinæ majestati appropinquari. Cum autem singuli Sanctorum in Litania nominarentur, quilibet cum ingenti gaudio maximaque reverentia exurgens, flexis genibus merita sua in modum pretiosorum xeniorum in sinum Domini offerebat; qui ea ad augmentum et cumulum gaudii et gloriæ suæ dilectæ donavit.

Seraphim et Cherubim animam inter se suscipiunt.

Peracta unctione, Dominus eam inter amplexus suos amantissime suscipiens, sic per biduum sustentabat, ut vulnus dilectissimi Cordis sui ad os infirmæ pateret; a quo omnem flatum quem spirabat trahere et iterum in Cor mittere videbatur.

1. vidit Gertrudis. Cf. *Legatus.* Lib. V. c. 4. p. 526.

## CAPUT V.

### DE DEVOTA INTENTIONE ET INGENTI AC FERVENTI PRO OMNIBUS DESIDERIO.

APPROPINQUANTE igitur jucundissimo tempore beatissimi transitus ipsius, quo post diversarum ægritudinum lassitudinem, somnum perpetuæ quietis imperturbabilem Dominus Electæ suæ dare disposuit; feria tertia [1], in Vigilia sanctæ Elizabeth, ante Nonam cœpit evidenter agonizare. Cumque Conventus summa cum devotione convenisset, prædilectæ Sororis suæ exitum, maxima cum tristitia præstolantes, necnon consuetis orationibus præmunientes, una [2] ardentiori ducta affectu vidit animam ejus, in specie cujusdam puellæ valde delicatæ, coram Deo stantem, et omnem flatum quem spirabat, per vulnus sanctissimi lateris Cordi suo mellifluo immittentem; ex quo deificum Cor incontinentia propriæ benignitatis et dulcedinis commotum, quoties flatum ejus sibi suscepit immissum, toties ex amoris abundantia supereffluens, per totam Ecclesiæ latitudinem stillicidia gratiarum respersit, et specialiter in personas ibi præsentes. Et hoc intellexit ex eo esse quod ipsa beata infirma, Deo donante, devotam intentionem et ingens fervensque desiderium tunc specialius habebat, pro omnibus universaliter tam vivis quam defunctis; quibus omnibus ejus meritis benignus Dominus suæ gratiæ beneficia largiflue diffudit.

Cor divinum ad se trahit infirmæ spiritum.

1. Sic legitur in variis codicibus, præsertim Guelferbytano, et in editione teutonica 1505 hujus libri de morte Mechtildis, itemque in codice Vindobonensi Revelationum S. Gertrudis, contra editionem Lanspergianam earumdem, quæ sola *feria quarta* inscripsit.

2. scilicet, sancta Gertrudis. Cf. *Legatus*. V. 4. pag. 527.

## CAPUT VI.

### QUOD BEATA VIRGO MARIA CURAM CONGREGATIONIS AB EA SIBI COMMISSAM MANUALITER SUSCEPIT.

Cum vero legeretur Antiphona *Salve Regina*, in illo verbo *Eia advocata nostra*, Electa Dei infirma Virginem Matrem blande alloquens, commendabat ipsi Sorores suas, quas in proximo erat relictura: orans ut eas sui causa in ampliorem susciperet affectum.

Et sicut ipsa, quoad vixit, quantum poterat, se omnibus præbuerat benevolam et paratam advocatam, ita nunc post obitum suum, ipsa Mater misericordiæ dignaretur secum apud suum Filium perpetua esse interventrix, et advocata Congregationis. Ad quod intemerata Virgo se paratissimam mira blanditate prætendit, extensisque delicatissimis manibus suis ad manus infirmæ, curam Congregationis sibi commissam quasi de manu ipsius percepit.

## CAPUT VII.

### DE ORATIONIBUS AD INFIRMÆ LECTUM A SORORIBUS DICTIS [1].

Hinc cum legeretur oratio: *Ave Jesu Christe*, in illo verbo, *via dulcis*, videbatur Dominus Jesus delicatarum

1. Hoc Caput VII deest in Cod. Guelferbytano; sed illud ex veteri editione germanica transtulimus, quod præterea in *Legatus* Lib. V. c. 4. fere integrum occurrit. In Guelf. fuisse omissum suspicamur sane pro reverentia sanctæ Gertrudis quæ ibidem aliqua reprehensione ex propriis dictis, perstringitur.

animarum Sponsus, quasi ex adipe suæ divinitatis sponsæ suæ viam delinire, ut eo suavius et delicatius eam attraheret sibi. Cum vero Conventus usque post horam nonam apud infirmam preces suas iterasset, et infirma quasi aliquanto melius se habere cœpisset, ab illa quæsitum est num Congregatio ad mensam ire posset. Respondit infirma : « Bene possunt ire. » Sicque tota die illa in agone jacens, nil aliud dicebat quam hæc verba : « O bone Jesu ! o bone Jesu ! » apertissime demonstrans quod ille medullitus sibi infixus erat in corde, cujus nomen inter tam acerbos mortis dolores, quos per gestum corporis satis declarabat, tam dulciter sine intermissione ore ruminabat. Cumque Sorores se singulæ orationibus ipsius committerent, et suas diversas suorumque amicorum necessitates et causas ipsi commendarent ; quia non jam plus loqui poterat, dicebat secreta voce : « Libenter », vel « Eia ». Per quod satis indicabat quo affectu, quodcumque ab ipsa requirerent, Deo suo amatori commendaret. Ad postremum, cum nihil amplius dicere posset, sui tamen benignitatem præsuavis affectus, quo suas consorores et spirituales amicos amabat, cohibere nequivit ; sæpius enim oculos, manusque amorose supra se ad cœlum intendebat et extendebat ; per quod manifeste ostendebat suum ad Deum affectum pro illis, qui ipsi fuerant commendati.

Sorores se ejus orationibus committunt.

Intellexit etiam prædicta persona [1] de omnibus membris hujus beatæ infirmæ, in quibus cruciabatur, exire quasi quemdam vaporem eximium qui animam ejusdem pertransiens, miro modo purificabat, sanctificabat, et æternæ beatitudini coaptabat. Hæc omnia cum prædicta persona in spiritu vidisset, apud se proposuit hanc visionem secretam

Vapor ex infirmæ membris ejus animam purificat.

1. Nempe sancta Gertrudis, quæ ista sibi revelata humiliter aliis manifestavit, cum pro silentio primum servato a Deo reprehensa fuisset.

tenere, ne ipsa in his prænotaretur. Quod quam contrarium fuerit Dei bonitati, cujus *gloria est revelare sermonem* (Tob. xii. 7), qui etiam in Evangelio dixit: *quod in aure auditis, prædicate super tecta* (Matth. x. 27), ex his quæ sequuntur patebit.

Nam cum inter Vesperas, hæc Electa Dei felicis memoriæ Domna Mechtildis valde ægrotans, tam evidenter iterum exspirare videretur, quod Conventus tam repente de choro vocatus, ita ut etiam suffragia omittere debuerit, circa infirmam orationes solitas recitaret, præfata persona omni conatu virium et sensuum suorum interiorum, ne minimum quidem percipere vel notare potuit de his quæ Deus tunc temporis cum sua Electa agebat, donec in se reversa culpam agnosceret, et illam per dolorem et pœnitentiam dilueret, et Deo voveret quod quidquid sibi Deus revelaret, ad solam Dei gloriam et proximorum consolationem libenter patefacere vellet.

Hinc post Completorium, cum jam tertio omnino existimarent istam infirmam esse morituram, præfata persona in spiritu rapta est, viditque animam infirmæ, ut supra, in specie teneræ multum et amabilis puellulæ, sed quasi novis ornamentis ex hujus diei passionibus decoratæ, in impetu circa collum Domini Jesu sui sponsi delicati irruentem, ac præcordialissimis ipsum amplexibus constringentem, et ex singulis ipsius vulneribus, ad modum apis diversos flores sugentis, specialem sibi intrahere voluptatem.

Unde cum legeretur Responsorium *Ave sponsa,* etc. processit Regina Virginum, rosa sine spina, Maria, veneranda Dei Genitrix, et animam infirmæ magis ac magis coaptavit et habilitavit ad utendum et perfruendum deliciis divinitatis. Tunc Dominus Jesus ex merito suæ intemeratæ Genitricis, et ex dignitate illa qua ipsa unica et sola gratiam meruit fieri Mater et Virgo, quasi quoddam monile mirabiliter

Mechtildis quasi mater et virgo.

radiantibus gemmis compactum sumpsit, et super pectus infirmæ posuit; illamque hoc speciali privilegio donavit quod ad similitudinem suæ virgineæ Matris, etiam ipsa appellaretur virgo et mater, considerans quod in casto amore memoriam sui in multorum cordibus genuisset.

---

## CAPUT VIII.

### QUOD CHRISTUS ANIMAM ILLAM BEATAM INÆSTIMABILI MODO SALUTAVIT.

In nocte itaque sanctæ Elisabeth, dum Matutini jam essent incepti, iterato cœpit Electa Dei taliter immutari, ut putaretur jam ultimum spiritum exhalare. Unde omissis Matutinis, Conventus celerius circa ipsam solito more convenit. Tunc in splendore divinæ virtutis suæ coruscans, Dominus formam sponsi indutus, gloria et honore coronatus ac ineffabiliter fulgurantis divinitatis decore mirabiliter perornatus apparuit: et animam infirmæ suavissima blanditate alloquens, ait: « Modo, dilecta mea, exaltabo te apud proximos tuos: hoc est in præsentia mihi prædilectæ Congregationis. » Sic quoque incomprehensibili et inæstimabili, omnique humano intellectui longe excedenti ac sæculis inaudito, novo salutationis modo salutavit animam illam vere beatissimam, per singula vulnera sanctissimi corporis sui, quæ dicunturesse numero quinque millia quadringenta et nonaginta[1]; ita quod unumquodque vulnus quatuor modos scilicet suavissimi soni, efficacissimi vaporis, uberrimi roris, ac amœ-

Dominus animam per vulnera sua salutat.

1. Cf. Part. I, c. 18. p. 59. item S. Gertrudis Lib. IV. c. 35. p. 399.

nissimi splendoris emittebat ; per quos dilectam suam pertransitive salutando vocavit Dominus. Per sonum itaque suavisonum, qui omnem excellebat modum organicum, notabantur omnia verba communiter, et singula singulariter, quæ ipsa Dei Electa unquam in vita sua ad Deum dulciter, vel propter Deum utiliter ad salutem proximorum fuerat locuta ; quæ omnia centuplicato fructu in Corde divino dulcorata, per emissiones singulorum vulnerum Christi, recompensabantur ipsi. Per vaporem vero mirificum figurabantur omnia desideria quæ ad Dei laudem habuerat, post Deum vel propter Deum, ad salutem universitatis, quam similiter incomprehensibiliter multiplicato effectu, per singula vulnera Domini remetiebantur. Per rorem autem largifluum exprimebatur omnis affectus quem unquam habuit ad Deum vel ad aliquam creaturam propter Deum ; qui etiam ineffabiliter suavissima delectatione per vulnera Dominica, reficiebat animam ejus. Per splendorem igitur clarissimum signabantur diversæ passiones, quas ab infantia usque ad præsens corpore et spiritu pertulerat : quæ supra omnem capacitatem humanam, in unione passionum Jesu Christi nobilitatæ, animam ipsius sanctificabant, et divinæ claritati configurabant.

In divino Corde verba Mechtildis edulcorata.

In tali delectatione cœlestium deliciarum anima illa repausans, nequaquam vice illa expiravit, sed adhuc eminentiora bona sibi a Dilectore suo præparanda aspiravit. Dominus autem rore largifluo suæ divinæ benedictionis omnes præsentes copiose respersit, dicens : « Ego propria benignitate tactus dulcore charitatis intrinsecus, delectabar ut omnes personæ præelectæ mihi Congregationis huic dignantissimæ meæ transfigurationi interessent ; in qua tantum honorem habebunt in cœlis coram omnibus Sanctis meis, quantum illi tres præ cunctis electi Petrus, Jacobus et Johannes,

habent præ cæteris Apostolis ex eo quod transfigurationi meæ in monte meruerunt interesse. » Tunc illa : « Domine, quid hæc tua largiflua benedictio, et copiosa gratiarum infusio, prodesse potest illis, qui per internum saporem hoc non sentiunt ? » Respondit : « Cum alicui conceditur pomarium fructiferum a domino suo, non tamen statim scire potest saporem singulorum fructuum, sed expectare oportet quousque fructus maturescat. Similiter cum alicui dona gratiarum infundo, non statim percipit etiam interioris delectationis saporem, donec per exteriorum virtutum exercitationem, testa terrenæ delectationis penitus confracta, degustare mereatur nucleum internæ suavitatis. » Tunc Conventus, accepta saluberrimæ Domini benedictione, iterato chorum intrans Matutinos complevit.

---

## CAPUT IX.

### QUOD SANCTA TRINITAS ET SANCTI ANIMAM SALUTAVERUNT.

Cum autem cantaretur XIIum Responsorium *O lampas*, etc. apparuit anima infirmæ, in conspectu summæ Trinitatis stans, devote pro Ecclesia supplicare. Quam Deus Pater per hæc verba dulciter decantando salutavit dicens : « Ave, electa mea, quæ per exempla sanctæ conversationis vere dici potes *lampas Ecclesiæ* quæ *rivos*, id est profluvia *fundis olei*, id est orationum in totam latitudinem mundi. » Tunc Filius Dei suavisone intonabat dicens : « Gaude, sponsa mea, quæ vere diceris *medicina gratiæ ;* quia omnibus gratia privatis copiosior restituetur tuis sanctis precibus. » Hinc Spiritus Sanctus concinuit dicens : « Ave, immaculata mea, quæ merito *nutrimentum fidei* vocaberis ;

quia in omnibus cordibus, quæ pie credunt divinæ operationi meæ, quam in te spiritualiter et non corporaliter operor, fidei virtus nutritur et stabilitur. » Dehinc Pater de omnipotentia sua donavit illi, ut omnibus ex humana fragilitate paventibus, et nondum de sua bonitate plene confidentibus, tutelam præstaret securitatis. Spiritus quoque Paraclitus, qui ignis consumens dicitur, contulit illi ut ex fervore suæ divinæ charitatis calorem minus fervidis ministraret. Deinde Filius Dei concessit illi, in unione suæ sanctissimæ passionis et mortis, ut omnibus in peccato languidis conferret medelam. Tunc multitudo sanctorum Angelorum ipsam coram Deo honorifice elevantes, clara voce insimul resonabant : « *Tu Dei saturitas, oliva fructifera, cujus lucet puritas, et resplendent opera.* » In illo verbo, *cujus lucet puritas*, specialiter in ea collaudantes suavissimam quietem, qua Dominus in ipsius anima dignanter requievit. In illo verbo : *et resplendent opera*, omnium operum ejus laudabilissimam et purissimam intentionem. Post hæc, omnes Sancti cantabant : « *Deus palam omnibus revelavit justitiam* », etc.

Responsorium *O lampas* Mechtildi a superis cantatur.

---

## CAPUT X.

### QUOD JESUS CHRISTUS CUM ATTRACTIONE FLATUS EJUS MIRABILI MODO ILLAM ANIMAM FUTURÆ GLORIÆ COAPTABAT.

Inter Præfationem vero summæ Missæ, iterato velut novæ gloriæ indutus splendore, floriger sponsus Jesus suavissima quadam blanditate delicatis manibus mentum sponsæ delicate apprehendens, faciem ipsius

tam directe contra vultum suum divinum convertit, quod flatum infirmæ directo tramite afflatu suæ divinitatis intrahere videbatur; oculosque suos deificos ipsius opponens oculis, ipsos quodam mirifico suæ divinitatis radio illustravit. Sicque animam illam felicissimam mirabiliter illuminando, fideliterque sanctificando, quodam modo, ut ita dicam, beatificavit, sicque futuræ gloriæ beatitudinis coaptabat.

Vires consumuntur ut tota in Deum immergatur.

Inter hæc, illa quæ hæc in spiritu cognovit [1], intellexit quod nondum esset assumenda, donec, virtute divina omnibus viribus penitus consumptis et annihilatis, tamquam aquæ gutta vini dolio infusa, omni humanitatis insipiditate exuta, ipsi abysso omnis beatitudinis immersa, unus cum eo spiritus effici mereretur. Sicque, licet Conventus jam quinto circa eam solitas orationes peregisset, minime tamen evolavit.

Post Tertiam vero ipsa infirma crura per se sternens, pedes in modum crucifixi Domini sui composuit; dextrum scilicet pedem sinistro superponens. Cumque a circumstantibus pes superpositus deponeretur secus alium, ipsa viriliter retrahens, iterato eum sinistro superponens, palam ostendebat hoc non casu sed devoto perfecisse affectu, ut similitudini unici amatoris sui corpore conformata, simul et gloriæ ipsius mereretur configurari. Sicque Domino pro amore suo in cruce manibus pedibusque confixo ad horam Sextam, vicem pro modulo suo reddens, mediante hora Sexta pedes suos voluntarie consternens, in laudis æternæ sacrificium immolavit. Hinc visus est Dominus tamquam amicus suavissimus membra infirma præmortua dulcissima blanditate contrectare.

1. Illa quæ hæc in spiritu cognovit, est manifeste eadem persona quæ supra, id est, sancta Gertrudis, cujus nunc sunt omnes reliquæ de sancta Mechtilde in hac ultima parte visiones. Quæ sequuntur ab his verbis: *Inter hæc*, usque ad cap. XI. desunt in *Legatus* ubi cætera reperiuntur, sed multum abbreviata.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## CAPUT XI.

### DE EVOLATIONE EJUS, ET INTRA COR DIVINUM EJUS SUSCEPTIONE.

INSTANTE autem hora illa desiderantissima, cum jam omni humanitate exuta, et secundum optimum beneplacitum Dilecti sui perfecte composita, sponsa illa delicata de carcere carnis egressura foret ad thalamum Sponsi imperialis, exurgente Conventu a mensa, et prima Matre monasterii cum quibusdam circumstante, ecce facies infirmæ subito in quamdam suavissimam commutata blanditatem, certissimam internæ suavitatis efficientiam prætendebat; velut advenientes prædilectas sibi in Christo consorores, quas non poterat verbis, motu tamen oris et amicabilitate vultus suscipiens ad gratulandum sibi super ineffabilibus a Domino impensis sibi beneficiis invitaret. Tunc deliciis affluens Dominus majestatis, solus satians satietas animæ se amantis, sponsam suam lumine divinitatis circumfulgens, totam et perillustrans, ipse Cantor cantorum omnium, suavissima voce omnemque humanam capacitatem supergredienti melodia, Philomenæ suæ, quæ toties ei dulciter cantando, multo magis devota intentione quam sonoritate vocis, Cor ejus divinum allexerat in terris, vicem rependens intonabat: « *Venite vos, benedicti Patris mei, percipite regnum*, etc. commonefaciens eam doni illius prædignissimi, quo per octo annos in eisdem verbis Cor suum divinum donaverat sibi in pignus amoris et securitatis. Hinc blandissime ipsam salutando ait: « Et ubi est xenium meum [1] ? » Ad quod illa ambabus manibus cor suum ape-

Divinus cantor Philomenæ suæ vicem rependit.

1. Cf. Part. I. c. 20. II. c. 19. III. c. 37; item *Legatus*, lib. V. c. 4.

Xenium Cordis repetitur.

riens, contra Cor dilecti similiter contra se patefacti, et Dominus Cor suum sanctissimum cordi illius applicans, totam eam suæ divinitatis virtute absorptam, gloriæ suæ sociavit. Ubi memor memorum suorum, saltem continua stillicidia de superabundantia deliciarum suarum precibus suis sanctis nobis obtineat apud eum, cum quo unus spiritus effecta, exultabit in æternum. Amen.

---

## CAPUT XII.

### DE GAUDIO ET AUGMENTO MERITI SANCTORUM.

Post hæc, cum commemoratio more solito fieret pro defuncta, apparuit Dominus in majestate suæ gloriæ sedens, et animam defunctæ in sinu suo suavissime repausantem blandissime delicare. Et dum legeretur : *Subvenite Sancti Dei, succurrite ante Dominum, suscipientes animam ejus*, Angeli cum magna reverentia exurgentes, quoniam eam suscipere necesse non habebant, quam tanta Domini sui dignatione videbant honorifice susceptam et tam magnifice honoratam, coram Domino genua flectentes, ad instar Principum ab Imperatore prædia bonorum suorum suscipientium, receperunt merita sua, quæ pridie obtulerant in augmentum meriti dilectæ Christi, quasi ex meritis ejus duplicata et mirifice nobilitata. Similiter singuli Sanctorum sigillatim faciebant in Litania ad invocationem nominis sui. Tunc illa quæ hæc videbat [1], commonuit animam ut oraret pro defectu singulorum specialium amicorum suorum, eo

1. nempe sancta Gertrudis.

affectu quo ipsos dilexerat in hac vita. Cui illa respondit : « Ecce jam in luce veritatis tam perspicue agnosco quod omnis affectus meus, que ma daliquem habere potui in terris, vix est quasi una gutta ad pelagus totius maris , respectu dulcissimi affectus illius, quo divinum Cor ineffabiliter afficitur erga illos ; et quod incomprehensibiliter perutili dispositione permittit Deus homini defectus aliquos, per quos homo frequenter humilietur et exerceatur, sicque de die in diem proficiat in salutem; quia nec uno vel minimo cogitatu velle possum quidquid aliud quam quod omnipotens sapientia, et sapientissima benevolentia dulcissimi et amantissimi Domini mei secundum optimum beneplacitum suum circa singulos ordinavit. Unde me totam pro tam ordinatissima divinæ pietatis dispositione in laudes et gratiarum actiones extendo. »

Prima oratio ad animam per S. Gertrudem.

---

## CAPUT XIII.

### DE MODO ORANDI DEUM PER HUJUS VIRGINIS MERITA.

SEQUENTI vero die inter Missam, scilicet, *Requiem æternam*, videbatur anima ejus de Corde Dei aureas producere fistulas ad omnes, qui specialem ad eam habebant devotionem, vel affectum ; per quas fistulas sibi de Corde divino attrahere deberent quidquid desiderarent. Habebat autem quælibet fistula ducillum aureum, per quem his verbis ad obtinendum quodcumque desiderarent extrahere deberent ; confidentes quod per talia verba facilius allicere possunt divinam benevolentiam ad quæcumque desiderata.

ORATIO DEVOTA SÆPIUS DICENDA PRO DONIS DEI IN ISTA VIRGINE.

A Deo quid petendum per merita B.M:chtildis

PER amorem quo dilectæ tuæ Mechtildi, vel unquam alicui Electorum tuorum benefecisti, vel benefecisses, si habilitatem in hominibus invenisses, et adhuc facturus es in terris et in cœlis, exaudi me, benignissime Domine Jesu Christe. per merita ipsius et omnium Electorum tuorum.

Ad elevationem vero hostiæ videbatur quod anima illa beata simul cum hostia desideraret offerri Deo Patri, in laudem æternam pro salute universitatis. Unde Unigenitus Dei, qui nihil consuevit desiderio dilectorum suorum denegare, ipsam totam sibi attrahens, et secum Deo Patri offerens, ex illius unione duplicatam salutem omnibus in cœlo, et in terra, ac in purgatorio, Electis suis dignantissime ministravit.

---

## CAPUT XIV.

QUOD UTILE SIT OFFERRE AD OFFERTORIUM CHRISTI MERITA ET SANCTORUM PRO ANIMABUS.

INTER sequentem etiam Missam, visa est tamquam in Dei Corde residens, per ipsum mellifluum Cor ad modum lyræ suavisonæ, per quatuor chordas suavissimas revolvendo, allicientissimum resonare discantum laudis, gratiarum actionis, querimoniæ et orationis; scilicet supplementum sufficiens negligentiæ omnium qui tunc exsequias ejus celebrando præsentes decantabant; et etiam pro omnibus

in toto mundo qui libenter vellent celebrare, si scirent omnia beneficia sibi gratuito a Deo impensa. Hinc ad Offertorium interrogata quid ex hoc consecuta esset, ut ad Offertorium pro animabus offerret merita Jesu Christi et Sanctorum, illa inclinans se, dimittere videbatur canistra pixidibus plena, porrigens ea animabus in diversis pœnarum locis constitutis. De quibus quælibet pixidem cum magna hilaritate accipiens, mox ut ipsam aperuit, a pœnis omnibus est erepta, et in amœnissimæ requiei mansione collocata. Per canistra quæ animabus porrexit signabantur suæ virtutes; per pixides vero exercitationes virtutum quibus se per opera exercitavit : ut est humilitas, benignitas, compassio, et similia. Unde cum singula canistra ad singula pœnarum loca dirigeret, animæ ibidem commorantes, quæ aliquid unquam illius virtutis habuerunt in terris, meritis ipsius, de pœnis ad gaudia sunt translatæ. Sicque ad cumulum gaudii et gloriæ suæ dilectæ, Dominus innumerabilem multitudinem animarum transvexit ad limina cœli. Et quas exigente justitia nondum decebat cœlestibus sociare, ob amorem tamen dilectricis suæ dignatus est amœnis sociare locis beatæ requiei.

Animas purgatorii liberat.

---

## CAPUT XV.

### QUOD IN DIE TRANSITUS SUI NULLA ANIMA CHRISTIANA INTRAVIT IN INFERNUM.

Hoc idem de animarum liberatione aliis duabus divinitus est revelatum. Sed et una in Deo pro certo hoc cognovit : quod die illa cum felix anima ejus transiit, ex superabundantia benignitatis dulcissimi Cordis Christi,

nulla in toto mundo ex Christianis ad infernum descendit; quia omnes mali illa die decedentes, aut meritis tam felicis et Deo tam dilectæ animæ pœnitentiam sunt adepti ; aut si omnino tam perversi et indurati fuerunt, quod se omni gratia privaverunt, die illa Dominus eos a corpore non permisit exire, ne tam districtum judicium, in die tantæ solemnitatis et lætitiæ Cordis sui, in aliquam animam desæviret.

---

## CAPUT XVI.

### QUOD LAUS DEI-SUPER OMNIA EST QUÆRENDA, ET PURA INTENTIONE FACIENDA.

Visio de meritis et virtutibus B.Mechtildis

Item in una Missarum visa est inter amplexus Domini delicate pausare; quam dum illa quæ hæc videbat [1] alloqui affectaret, Dominus brachia sua distendens, animam parumper dimittebat. Tunc vidit animam ineffabili circumdatam gloria, habentem vestem præclaram, quasi de crystallis factam ; quare quædam ut stellæ radiabant, quædam ut specula perspicua erant : quæ singulæ aureis circulis erant inclusæ, et per quamlibet crystallum gemma elucebat. Quædam gemmæ rubei, quædam purpurei, quædam viridis erant coloris ; aliæ diversos colores et species præferebant. Hæc vestis desubtus erat serica, et de bonis operibus et virtutibus animæ illius felicis erat perfecta. Per crystallos, ejus designabantur opera ; per circulos aureos, figurabatur quod omnia sua opera fecit in charitate. Per

1. Illam quæ hæc videbat opinamur esse Sanctam Gertrudem, quæ quidem solet antea hujusmodi locutione dessignari, cujus quoque visionum series, post caput XV ubi revelatio duabus personis facta narratur, iterum in his verbis *illa quæ hæc videbat* resumitur, nec jam nisi opere absoluto, cessabit.

gemmas, Christi virtutes quibus suas adjunxerat; quia omnia sua in unione et intentione Christi virtutum faciebat. Et surgens vestem illam in latitudinem tetendit, quasi eam perspiciens, et se in eam speculans; eratque multæ amplitudinis, et tanti splendoris ut totum cœlum nova gloria illustraret. Tantæque dulcedinis tinnitum reddebat, ut cœlum et omnia quæ in eis erant sua resonantia commoveret.

Laudem Dei propter suam gloriam commendat.

Tunc illa quæ hæc videbat, quid maxime a Congregatione sua vellet, interrogabat. Cui illa respondit: « Super omnia laudem Domini mei desidero, qui me super omne meritum meum in tantum glorificavit et extulit, ut omnia quæ mihi contulit, sola gratuita pietate mihi donasse videatur. Ideoque gratissimum mihi est, ut ipsum pro me sine intermissione laudetis. Ipse denique inter illos me transtulit Sanctos, in quibus maxime sibi complacet, et in quibus excellentissime delectatur, et maxime laudatur. Et ista: « Et qualiter in vobis Deum collaudemus? » Respondit: « Omnia quæ agitis vos, ego cum essem in terris faciebam. Ergo breviter quidquid agitis in unione puræ intentionis et perfecti amoris (facite), quo omnia ad laudem Dei, et fructum universitatis feci, ut verbi gratia, cum intratis Chorum ad adorandum sive cantandum, cogitetis quam pure et ferventer Deo intendebam, et in quantum potestis, me imitari studeatis; similiter cum itis dormitum sive comestum, cogitetis quam pura intentione et ferventi amore commoda corporis mei et usum creaturarum suscepi. Et sic de aliis. Sic omnia vestra pro me in laudem mei Dilectoris cedant; et vobismetipsis proveniet in salutem. » Hinc ista iterum ait: « Et quid ex hoc habetis, quod Deum pro vobis laudamus? » Quæ respondit: « Singularem amplexum et osculum, in quo omne gaudium meum innovatur. » Tunc illa vivit tres radios de Corde Dei per animam ejus tendere in omnes Sanctos, a quibus illi mirabiliter illustrati

et jucundati, Dominum per illam animam (*a*) cœperunt laudare, dicentes : « Laudamus te pro amœnosa pulchritudine sponsæ tuæ, pro amabili placentia tui in ea, pro unione perfecta qua tecum una est effecta. » Cumque ista videret Dominum in his se laudibus plurimum delectare, dixit ad eum : « Mi Domine, et cur in tantum laudari in hac anima delectaris? » Respondit: « Quia in vita sua super omnia laudem meam semper desiderabat : ideo ipsius desiderium quod habuit retinuit, et hanc incessabili laude mea cupio satiare. »

Dominus in hac anima se laudari delectatur.

---

## CAPUT XVII.

### DE NOMINE ET UTILITATE HUJUS LIBRI, SCILICET *specialis gratiæ*.

Hinc ista animam iterum interrogavit, quid gloriæ pro singulari dono gratiæ accepisset. At illa respondit : « Hoc omnem gloriam meam excellit. Incontinentissima enim charitas quæ Deum hominem fecit, hoc donum sua potenti sapientia, et divina dulcedine, et liberalissima benignitate mihi gratis influxit. » Interrogante autem illa : Si carum aut molestum sibi esset quod liber de his conscriptus esset, anima respondit : « Maximum gaudium meum est; quia Dei mei laudem et voluntatem, et utilitatem proximorum ex eo proventuram agnosco. Liber namque ille *lumen Ecclesiæ* [1] vocabitur, quia ipsum legentes, lumine cognitionis

(*a*) pro anima illa. Edit. Lips.

1. Quod nomen pro elogio libri accipiendum est, non autem pro primario titulo.

illustrabuntur, et cujus sint spiritus ex eo agnoscent, et tristes in eo consolationem invenient. » Quisquis ergo hoc donum diligit. ejus tam veraciter est, sicut illius qui hoc a Deo accepit. Sicut qui donum regis per nuntium suscipit, tam proprie possidet et tantam inde consequitur utilitatem, sicut ille qui hoc a manu regis accipit. In hoc enim dono Deus laudem, gloriam et gratitudinem solus vult habere.

Ista scribi debent ad illustrationem proximi.

---

## CAPUT XVIII.

### DE SECURITATE EXSEQUIAS EJUS CELEBRANTIUM.

DEINDE cum ad sepulturam cantaretur Responsorium *Libera me Domine*, visa est attentis precibus Domino supplicare pro omnibus ibi præsentibus, et ejus exsequias celebrantibus, ne unquam experirentur æternam mortem. Unde et super hoc a largitate divinæ benignitatis, certam securitatem accipere meruit in promissis. Cum etiam Responsorium *Regnum mundi* cantaretur, ad illud verbum, *quem vidi*, cantabat et ipsa dicens: « Vere vidi eum in divinitate, quem toties in terris aspexi oculis intellectus, *quem amavi* totis viribus, *in quem credidi* toto corde, *quem dilexi* totis affectionibus meis. »

Et conversa ad Conventum ait: « Rogo vos omnes et moneo, quatenus hoc Responsorium libenter cantetis et legatis, quia Dominus Pater in hoc jucunditatur, Filius Dei salutatur, Spiritus Sanctus delectatur. Quare putatis quod Dominus per sororem Mechtildim[1] illud vobis legendum

B. Mechtildis Responsorium virginum commendat.

1. Ipsa anima beatæ Mechtildis ita de se loqui videtur.

tradiderit, nisi quia tam inæstimabili gaudio a vobis audire delectatur. » Hinc cum eidem etiam Responsorium *Surge, virgo* cantaretur, visa est coram Domino stare, velut regina decentissima ornata, et ruens in amplexum Domini, caput suum super cor ejus reclinabat. Cui Dominus : « Gaudium et deliciositas Cordis mei, omnia mea tua sunt; secundum desiderium tuum, omnes adstantes qui tuas peregerunt exsequias, in suis necessitatibus volo exaudire, et eis adstare. »

---

## CAPUT XIX.

### QUOD DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS SUOS DILIGIT ET CORRIPIT.

Post hæc in festo sanctæ Catharinæ visa est cum Deo per chorum transire et more solito cantantes regere. Quod illa quæ vidit cum miraretur, anima respondit : « Cum vobiscum in choro cantarem totis desideriis et viribus meis, cantu ascendente, vestra simul desideria sursum ad Deum et in Deum trahebam, cantu vero descendente, totis iterum affectionibus gratiam vobis a Deo reportabam; et hoc facio adhuc incessanter. » Tunc ista ait : « Quid Sororibus vis demandare? » Quæ respondit : « Gaudete præcordialiter in Dilecto vestro, cujus amor circa vos est tam tenerrimus et diligens, sicut matris ad unicum suum, quem eximio affectu semper vult ut in sinu suo sedeat; quatenus omnes vias nocivas sibi præcludat. Ita Deus amator vester desiderat ut illi semper inhæreatis et nunquam devietis; quod dum non facitis, permittit vos affligi; ad hoc ut vos iterum revo-

cet ; sicut fidelis mater, quæ puerum, dum a se discedit et cadit, verberibus corripit, ut per hoc discat quod a se ulterius non recedat. Et sicut mater in hoc delectatur, ut puer amicabilibus sibi blandiatur verbis, ita et multo amplius amabilis Sponsus vester a vobis audire desiderat verba, in tantum ut divini Cordis sui medullam penetrent. Eia date illi cor vestrum totum, quia ipse vobis Pater, ipse Dominus, ipse sponsus, ipse amicus, et ipse vobis omnia in omnibus erit. » Quod illa divinitus sic intellexit: quia Pater est, debemus ei omne bonum credere; quia Dominus noster est, omnem spem nostram in ipsum ponere : quia sponsus, toto corde et anima ipsum diligere; quia amicus, debemus omnem tribulationem et necessitatem nostram ipsi cum fiducia exponere, et per ipsum solum consolari.

Cœlestis sponsus dulcibus verbis allicitur.

---

## CAPUT XX.

### DE FELICI ANIMA B. COMITIS FUNDATORIS.

Hinc infra tricesimum ejusdem, in anniversario scilicet Domni B.[1]. Comitis fundatoris Cœnobii, vidit animam ejusdem Comitis in splendore mirabili, tunicam habentem purpuream, omnibus virtutibus adornatam, et desuper albam vestem ex rubeo et viridi colore compositam. In rubea parte leones aureis circulis inclusi, de quorum cordibus rosæ pulcherrimæ exeuntes apparebant; in viridi colore omnes virtutes inedicibili opere relucebant. Monile quoque in

1. Burchard I. de Mansfeld. Cf. Part. V. c. 10. Iste defunctus est in die festo sanctæ Luciæ, 13 decembris, juxta notitiam Abbatissæ Sophiæ de Stolberg. » Cf. Documenta ad calcem, nº 2.

modum stellæ splendidæ; et amictum ex auro rubeo et purissimo, et desubtus ex argento perspicuo habebat; et in capite suo coronam nimis decoram. Tunc illa quæ hæc videbat ait illi: « Unde Vobis tantarum virtutum tam copiosa varietas. » Cui anima: « Non meis meritis hanc tam magnificam promerui gratiam, sed ex Dei mei pietate et virtutibus dilectæ mihi Congregationis utor. Hanc autem tunicam omnibus virtutibus redimitam, in ascensu magnificæ reginæ, videlicet Domnæ Gertrudis Abbatissæ accepi. Ipsam denique velut regina præpotens, innumeris virtutibus, divitiis, cœleste palatium in insigni gloria intravit; ut de illa dici possit illud Regum: *Et ingressa regina in Hierusalem*, etc. » (III. Reg. x. 2.)

Gertrudis abbatissa iterum commendatur.

« In multo enim tempore, nulla talis et tanta anima, cum tam magnificis virtutibus, et tam variis ornatibus atria cœlorum est ingressa. Hoc rubeum et viride vestimentum similiter ex meritis jam dictæ Abbatissæ habeo; quod ex virtutibus suorum subditorum est perfectum. Rubeus color martyrii designat gloriam; quam Religiosi ex vera obtinent obedientia. Quia qui voluntatem propriam libens Deo obtulerit, digniorem et cariorem hostiam quam corporis caput immolat. Per leones, fortia obedientiæ opera; per circulos, vincula obedientiæ; per rosas, patientia quam Religiosi in omnibus operibus habere debent, est expressa. In viridi colore, omnium virtutum viror exprimitur; et hinc mirabilis desuper ornatus, cujuslibet virtutis meritum distincte repræsentat; et hunc decorem ex meritis singularum personarum possideo. quæ in meo claustro Deo deserviunt. Monile hoc, præclarum desiderium prædictæ Abbatissæ designat, quod ideo stellæ præfert similitudinem; quia sicut stella semper in motu est, ita ejus desiderium fuit continuum; et sicut stella purissima est, sic intentio sui desiderii; semper enim et super omnia Dei laudem desiderabat, et proximorum

salutem. In auro et in gemmis, quæ hoc monile adornant, studium et labor sui cordis, quæ habuit ex desiderio, innuuntur. Hoc vero amictum aureum, quod amorem et cognitionem præfigurat, et hanc amoris coronam nuper, cum illa mirabilis aquila cœli petiit secreta, a Domino ex meritis ipsius accepi. » Tunc illa dixit : « Eia, edicite, quid tunc gaudii habuerunt Sancti. » Anima respondit : « Cum ultimo in infirmitate communicasset, Deo in tantum est unita, ut eam intra Deum in cœlo videremus, novusque radius a divinitate progrediens omnes illustravit Sanctos, in quo vidimus et agnovimus omne meritum et dignitatem, quam anima illa felicissima erat perceptura; et exinde in magno et festivo gaudio fuimus nos præparantes. In exitu vero ejus, Dominus suo divino afflatu animam ejus tanta suavitate et blanditate sibi intraxit, ut impossibile sit effari. Sancti etiam omnes a maximo usque ad minimum ibi affuimus. Et dum eam Dominus secum assumeret, omnes Sancti insimul dulcissime jubilando cantabant : *Prudens et vigilans virgo, qualis es cum sponso illo, qui te elegit !* Ad illud autem, *quam pulchra es, quam mirabilis, quanta luce spectabilis !* anima illa deliciis affluens, velut sponsa de thalamo, a Corde divino processit, stans coram throno amicta divinitate, et tota plena Deo. Cum vero Sancti cantarent : *Thalamo gaudes regio, conjuncta Dei Filio*, Dominus iterum in amplexus suos amantissime eam suscipiens, dulcissime in ejus laudem decantabat : *Ista est speciosa inter filias Jerusalem, sicut vidistis eam, plenam charitate et dilectione*, Dei videlicet et proximi ; *in cubilibus*, hoc est in contemplatione ; *et in hortis aromatum*, hoc est, in fructuosa doctrina, qua in cordibus proximi laboravit. »

De gaudio Sanccorum pro gloria G. Abbatissæ.

Omnes autem Sancti merita sua Deo ad honorem Sponsæ suæ offerebant, inter quos dum ego accederem, Dominus me

Fundatoris claustri præmium.

dulcissime amplexans, hoc amictum aureum, quod amoris et cognitionis insigne præfert, meritis suæ dilectricis mihi dedit, et amoris coronam capiti meo imposuit; et ex tum majorem cognitionem et amorem semper venerandæ Trinitatis habui, et in æternum sum habiturus. » Hinc ista ait : « Quid splendor hic designat, qui Vos circumdat? » Respondit anima : « In hoc lumine agnosco benignitatem et misericordiam Dei mei erga me; et degusto ejus ineffabilem amorem et dulcedinem, qua me dilexit ab æterno. » Interrogante etiam ista, quid sibi proficeret quod ejus anniversarius festivis cantibus a Congregatione ageretur in terris, ille respondit : « Dominus meus omnia quæ mihi fiunt, in purgatorium animabus mittit, ex quo plurimæ liberantur; et has animas proprias mihi donat, sicut Imperator qui principibus suis milites tribuit: et hoc mihi perpetuus honor erit in cœlestibus. »

---

## CAPUT XXI.

### DE MIRABILI AFFECTIONE DEI ERGA ANIMAM BEATÆ SORORIS MECHTILDIS.

Inter tricesimum, cum iterum animam beatæ memoriæ M. videret, et eam de gloria sua interrogaret, illa respondit : « Meritum meum et gloriam meam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » Quo audito, illa cœpit contristari ; sed anima consolabatur eam dicens : « Carissima soror, noli mœrere ; cum enim puer patrem

amplecti desiderat, nec ad ipsum patrem præ sua parvitate attingere valet, pater ex affectu nimio et compassione puero se inclinat, quatenus eum amplexari valeat et osculari. [1] Sic et benignus Dominus amanti animæ dignanter se inclinans, invisibilia et ineffabilia cœlestium secretorum per similitudines eidem demonstrat. Ego autem in divinitatem sic translata sum, eique felicissime unita, ut quodam modo ab omnipotente omnipotens, a sapientia sapiens, a benignitate benigna effecta; et sic de omnibus, quæ in Deo sunt, bonis ditata. Ideoque omnia quæ mihi his triginta diebus, orationibus, gratiarum actionibus pro me, cæterisque bonis operibus impendistis, Dominus totaliter, ac si ipsi in propria persona fecissetis, acceptavit; et orationes vestras secundum benignissimæ voluntatis suæ beneplacitum exaudivit. Insuper quodcumque pia devotione et credulitate ad sepulcrum etiam prædilectæ sororis meæ petieritis, scitote vos exaudiri; ita ut si illud quod oratis vobis non expediat, clementissima Dei liberalitas in aliud melius et vobis utilius commutabit. » Tunc illa ait : « Habent omnes Electorum animæ hanc de qua dixistis felicissimam cum Deo unionem ? » Anima respondit : « Etiam ; sed differenter secundum quod hic meruerunt : aliæ majori liberalitate, aliæ cognitione alias præcellunt. Et sic de singulis. »

Mechtildis anima perfectionum Dei fit particeps.

1. Hic adductum pueri et patris exemplum formam Gertrudi solitam in suis revelationibus feliciter in memoriam revocat.

## CAPUT XXII.

### QUOD HÆC ANIMA BEATÆ VIRGINI MARIÆ IN VIRTUTIBUS ALIQUALITER SIMILETUR.

Inter Missam vero, cum gloriosa Virgo Maria eidem appareret, requisivit ab ea si hæc felix anima in aliquo ei similis esset. Cui benigna Virgo Maria respondit : « Etiam ; in cunctis virtutibus mihi multum similari videtur, specialiter tamen in septem. Scilicet in humilitate præcipua : pro nihilo enim se habuit et nulli se prætulit ; et pro eo Dominus eam inter summos transtulit Sanctos. Secundo in puritate et munditia cordis, et vitæ innocentia, pro quibus nunc his qui Deo proximi sunt et maxime in ejus cognitione vigent sociatur. Tertio in fideli amore, pro quo omne bonum, quod anima capere potest, potiori modo eam influit, scilicet gaudium, lætitia, honor et beatitudo. Quarto, in desiderio laudis Dei, quo in omni quod potuit Dei laudem in terris quæsivit et promovit. Et propterea inter eos translata est, qui Deum in maximo laudant delectamento, omnemque laudem seu gratiarum actionem pro ea factam, ac si ipsi oblata sit, Dominus computabit. Insuper omnia desideria sua quæ non impleta sunt vult adimplere. Quinto in misericordia et compassione, pro quibus hunc accepit honorem, quod omnes eam invocantes in suis necessitatibus potest adjuvare. Sexto in benignitate et gratitudine ; idcirco eam modo Deus influit, velut fontem, in cujus redundantia omnes Sancti singulari jucunditate perfusi pro ea Dominum benedicunt. Septimo, in familiari unione, pro qua adhuc Deo familiarius consociatur ; insuper et hoc speciali meruit prærogativa, ut omnes qui Deum ado-

In septem B. Mariæ assimilatur.

Id 1260 2x



raverint per amorem mutuum, quo Deus eam et ipsa Deum dilexit, dignanter velit exaudire. » Et adjecit : « Ex illa die qua Deus matrem vestram quam ut animam vestram dilexistis subtraxit, in ea fide et amore quo me sibi in matrem elegit, vos mihi commendavit : unde omne studium meum est, quomodo vos, ut decet, Filii mei sponsas adornem. Nunc autem pro eo quod hanc consolatricem vestram vobis abstulit, seipsum vobis in consolatorem cum omni quod ipse est redonavit. »

QUI SIT BENEDICTUS PER INFINITA SÆCULA SÆCULORUM. AMEN.

EXPLICIT PARS SEPTIMA

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB Karlsruhe
43 03393 7 031

43 03393 7 031

BLB Karlsruhe

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

97 A
50994
2

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# REVELATIONES

GERTRUDIANÆ AC MECHTILDIANÆ

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

*Jus proprietatis et translationis in quamvis linguam vindicabitur.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

REVELATIONES

GERTRUDIANÆ AC MECHTILDIANÆ

II

# SANCTÆ MECHTILDIS

VIRGINIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI

## LIBER SPECIALIS GRATIÆ [2.]

ACCEDIT

SORORIS MECHTILDIS

EJUSDEM ORDINIS

## LUX DIVINITATIS

OPUS AD CODICUM FIDEM NUNC PRIMUM INTEGRE EDITUM

SOLESMENSIUM O. S. B. MONACHORUM

CURA ET OPERA

APUD H. OUDIN FRATRES

PICTAVII
4, VIA DICTA DE L'EPERON, 4

PARISIIS
68, VIA DICTA BONAPARTE, 68

MDCCCLXXVII

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

G (Xerox)

97 A 50994,2

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

5

# ORATIO

PER QUAM FINEM ACCIPIT HIC LIBER IN CODICE GUELFERBYTANO.

*Domine Jesu Christe, Fili Dei, per intercessionem et merita, et unicum amorem tuæ unicæ Matris, beatissimæ Virginis Mariæ, et beatarum virginum Mechtildis et Gertrudis, et omnium Sanctorum et Electorum tuorum, miserere mei peccatricis et Alberti sacerdotis, et omnium fidelium vivorum et defunctorum. Amen.*

Anno. Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, sequenti die post festum Sti. Lucæ, Albertus sacerdos, vicarius Sti-Pauli Erfordi, libros istos conscripsit et finivit. Deo gratias.

Quæcumque virgo intus legerit, orat unum *Pater noster* et unum *Ave Maria* pro eo; quia dignus est operarius mercede sua, dicit Dominus Jesus Christus in sancto Evangelio.

# SORORIS MECHTILDIS

## LUX DIVINITATIS

### FLUENS IN CORDA VERITATIS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# ARGUMENTUM

## IN LIBRUM SORORIS MECHTILDIS.

I. Priusquam hæc volumina diversis ad ipsa spectantibus instrumentis absolvantur, forsitan abs re non erit hic Librum subjungere, cui titulus : *Lux Divinitatis*, SS. Gertrudi et Mechtildi utique notum, et in eorum revelationibus, etiam Christi testimonio, comprobatum. Auctor ejus fuit virgo quædam, Mechtildis et ipsa nomine, quam istæ sibi familiarem et in eodem cœnobio per duodecim annos sociam habuerunt, imo consimilis divinarum revelationum doni participem commendant. Equidem in libro S. Gertrudis legimus hujus Sororis Mechtildis, multos propter scripta sibi contrarios, quod et ipsa non semel testatur, expertæ, librum a Domino fuisse acceptum et servatum. Item in *Libro specialis gratiæ*, eadem Soror extollitur pro dono contemplationis, et Frater Ordinis Prædicatorum, qui ejus scriptis tamquam a Deo ipsi revelatis fidem habuit, atque illa studuit commendare, pro hoc specialem dicitur laudem meruisse et bonam in cœlo recepisse mercedem.

*Legatus* V. 7.
*Lib. specialis gratiæ II* 42 V. 6. 7.

Quia vero diversæ jam quæstiones de Sororis Mechtildis persona et libro, præsertim in Germania et in Helvetia sunt exortæ et variæ itidem opiniones evulgatæ, jam de his quod verius est inquirendum.

II. Quæ de vita hujus Mechtildis supersunt, admodum quidem pauca, colliguntur, tum, ut supra, ex revelationibus SS. Gertrudis et Mechtildis, tum præsertim ex nonnullis passim indiciis quæ in ejus operis Codicibus aliasve deprehendi potuerunt; quæ scilicet vel soror ipsa obiter protulit, vel compilator seu interpres ejus libri subjunxit vel notavit.

Ex his compertum habemus Sororem Mechtildem duodecimo ætatis suæ anno primam revelationum gratiam suscepisse, nec multo post, relictis cognatis et necessariis, ad quamdam perrexisse civitatem, in qua nullus qui eam curaret erat, præter unum. Ex his quæ narrat ipsa de Theoderico Magdeburgensi Decano constat Magdeburgum illam fuisse civitatem, ad quam patria exul confugit. Ibi cœpit scribere librum qui, ut in Præfatiuncula Codici teutonico Einsiedelnensi præ-

Prolog. nº 3.

Ibid.

Lib. III. c. 1.

missa legitur, anno Domini MCCL fere per annos XV ipsi fuit per gratiam a Domino inspiratus. Verum ex ipsius testimonio patet donum illud diutius ipsi fuisse servatum, scilicet per annos saltem XXXI. Quinimo etiam ulterius certe referri debet pars libri septima, quæ a latinis codicibus prorsus abest, siquidem in claustro Mechtildis eam scripsit, idque stylo utique novo, quia ipsi antea ignotis vitæ monasticæ jam vacabat exercitiis, Horis canonicis studebat, etc. In Prologo suo Fr. Henricus hoc claustrum fuisse Helpede, seu nostrum Helfta, recte affirmat, addens Mechtildem ibi duodecim annos commoratam obiisse. Sed antea tamquam Beguina vixit, nulli tunc regulæ claustrali adstricta, sed sola in paupertate, in exilio, in amicorum inopia, Deo sic disponente, permanens, et « Fratrum Prædicatorum, » prout in Præfatiuncula supra memorata traditur, « sequens vestigia semper se melior fiebat. » Ex his sane Fratribus, qui tunc temporis per Germaniam præ cæteris florebant, rectores animæ suæ adhibuit, apud quos tantam hausit erga sanctum Dominicum venerationem, ut ipsa tamquam suum Patrem eum invocet, ac præcipuis inter alios cœli cives laudibus extollat. Unde etiam effectum est ut fratrem suum, nomine Balduinum, in Ordinem Prædicatorum suscipi curaverit, qui meruit ad officium Sub-Prioris in domo Hallensi eligi; ubi manu propria integrum Bibliæ sacræ scripsit exemplar, quo in lectionibus publicis utebantur. Ibidem ipse ante sororis suæ obitum feliciter animam Creatori suo reddidit.

Ad calcem. Docum. nº 9

Prolog. nº 3

III. Dum dicti Fratres cum Sorore Mechtilde spirituali vinculo ita jungerentur, iidem circa id temporis etiam cum Helftensis cœnobii Sanctimonialibus pia necessitudine devincti erant. Harum charitatis ac religionis haud ignari, Sorore n Mechtildem, quæ multa propter sua scripta Magdeburgi sustinuerat adversa et majora reformidabat, quatenus in senio pacem et tranquillitatem inveniret, Abbatissæ Gertrudi ut inter suas pauperculam exulem et propter dona sua undique exagitatam reciperet, ut videtur, commendarunt. Quod et revera contigit circa annum 1268 (ita quidem lege in Præfatione *Legatus* p. XII. pro 1278 mendose posito.) Forte id fieri potuit paulo post, sed omnino haud prius. Vixit enim hæc Soror duodecim annos in Helfta; porro de ea, cum in extremis ageret, revelatio S. Gertrudi facta est: id vero non ante Purificationem anni 1281, quo Deus Gertrudi sua secreta primum patefecit. Annis igitur XII ab his retrocedendo, ad annum prædictum 1268 circiter pervenitur.

B. Mechtildis et ipsa de transitu et de gloria ejusdem Sororis nonnulla vidit in spiritu, sed quo tempore nescimus; nam licet didicimus revelationes ejus non ante annum 1291 fuisse conscriptas, attamen plurimæ ex his antea ipsi potuerunt innotuisse quas silentio reticuerat. Nil igitur ad rem inde colligendum.

IV. Jam ex præmissis quæstio illa facile solvitur, utrum scilicet Soror Mechtildis, cujus est Liber *Lux divinitatis*, sancti Dominici Ordini possit adscribi, ut censuit DD. Greith in suo Opere DIE DEUTSCHE MYSTIK IM PREDIGER-ORDEN, *Germana Mystica in Prædicatorum Ordine*. Etenim inter præclaras Sorores hujus Ordinis, quæ in diversis Germa-

niæ Superioris monasteriis propter sanctitatem et dona cœlestia claruerunt, nostram induxit Mechtildem, quam ex Einsiedelnensi codice tantum noverat, cujusque ex multa revelationibus decerpta laudat, et primus in medium profert; verum propter ejus devotionem erga S. Patrem Dominicum deceptus, Dominicanam fuisse prodit: quem D. Gallus Morel, O. S. B. secutus, illam margaritam scrinio suæ paternæ domus, Ordinis dico Patris Benedicti nedum restitueret, nimium liberalis alienis reliquit. Alius, scilicet Fridgar Mone, cum diplomata perscrutatus Cisterciensis Cœnobii Sanctæ-Agnetis juxta Magdeburgum, in his ad annum 1273 quamdam Mechtildem et ad 1270 quamdam Juttam inter abbatissas reperisset, illam arbitratus est esse Sororem nostram Mechtildem, et alteram esse Juttam, quam in opere suo laudat Soror Mechtildis, sicque illam fuisse Cisterciensis familiæ alumnam. Sed immerito: siquidem ejus scripta testantur maximam vitæ suæ partem in statu Beguinæ Magdeburgi transegisse, duodennium vero ætatis suæ novissimum consummasse, postquam vitam sanctimonialium assumpsit in monasterio Helftensi, quod in præfatione ad *Legatum* fuisse simpliciter Benedictini Ordinis probavimus; ideoque Sororem Mechtildem Ordinis S. Benedicti Sanctimonialem vixisse et obiisse omnibus recte tenendum.

V. Liber Sororis Mechtildis et ipse fata sua habuit. Nondum completus erat, cum jam a multis coævis ex ordine cleri impugnaretur, unde ipsa Soror ad monasterium Helftense confugere coacta est. Deinde oblivione per sex sæcula quasi sepultus nostris temporibus rursus prodiit. Unum teutonica lingua digestum exemplar, RR. D. Greith Ecclesiæ San-Gallensis tunc Decanus, nunc Episcopus, primum notavit, anno 1861. Cum ex ipso multa passim excerpta in opere suo, *Die Deutsche mystik* cum laudibus inseruit. Ex hoc animos sumens, anno 1868, doctus abbatiæ Einsiedelnensis bibliothecarius, D. Gallus Morel, textum teutonicum in libraria monasterii asservatum typis excudi curavit, in suo antiquo tenore, adjuncta etiam veteris idiomatis in modernum germanicum translatione. Verum codices latini Bibliothecæ Basileensis, de quibus infra, ipsum prorsus latuerunt. Attamen operis Sororis Mechtildis translationem in latinam linguam jam dum ipsa viveret confecerat quidam frater Henricus ordinis Prædicatorum. Nunc verum cum illum Henricum nominavimus, ad Libri fata elucidanda operæ pretium erit diversos ejusdem nominis Henricos, de quibus in hac re agendum erit, ab invicem distinguere, ne similis intercedat confusio nominum et personarum, quæ erga Gertrudis et Mechtildis nomina tot spargit errorum semina. Quivis igitur de Sororis Mechtildis libro quæstionem agitaverit, quinque Henricos offendet. Primus ille est quem inter Sanctos nondum canonizatos libro IV. c. 17 laudat soror Mechtildis; II^us^ Frater Henricus qui compilavit librum Sororis. III^us^ auctor Prologi. IV^us^ Henricus a Nordlingen, qui librum ex inferiori teutonico idiomate in superius transtulit, et V^us^ Henricus de Rumerschein qui codicem ad Sorores Einsiedelnensis Sylvæ misit.

De primo quidem Henrico nihil, præter quod in Libro Sororis loco

citato legitur, nobis notum atque dicendum. Secundus est « Frater Henricus dictus de Hallis, lector Rupinensis. » In codice latino Basileæ, numero qui de illo Henrico agit, legitur (lib. 11. c. 19): « Hic litteratus et bonus vir, Lector prædictus, dictas hujus Mechtildis omnia collegit et in unum volumen redegit, ac in sex partes illud distinxit, sicut legentibus nunc apparet. Hujus animam Soror Mechtildis, quæ postmodum supervixit, vidit in aspectu Domini in cœlo librum hunc in manu tenentem, et de ipso risu jucundissimo gloriantem. Per scripturam namque hujus voluminis multa sibi præmia comparaverat, quibus in conspectu Sanctorum apparuit gloriosus. »

Quæ historica documenta de Henrico libri compilatore in teutonico Einsiedelnensi codice desunt; operi Sororis Mechtildis videntur esse addita, et quidem ab eodem scriptore qui Prologum scripsit, et ipse in Prologi titulo Fratris Henrici lectoris, etc. nomine designatur. Item præfatiuncula codicis Einsied. fert sequentia: « Conscriptus autem a fratre quodam prædicti Ordinis, et continet multa bona, prout in titulis prænotatur. » Sed hæc de Henrico Rupinensi dicta videntur. D. Preger, Monacensis, unum esse et eumdem Henricum qui librum compilavit et eum qui scripsit Prologum, de hoc aliquo ne suspecto quidem dubio, affirmat in sua priori thesi de Sorore Mechtilde. Verum plura ipsi obstant: primum, auctor Prologi Sorori Mechtildi supervixit, qui illam a sponso virginum assumptam asserit, et ipso perfrui quem amavit, cujus charitas suam multis decoravit miraculis dilectricem. E contra illius, qui librum compilavit, animam Soror Mechtildis, quæ postmodum supervixit, vidit in aspectu Domini. Ergo duos ab invicem distinctos Henricos habemus. Nec obstat quod allegat D. Preger, Sororem Mechtildem Henrici superstitem, illam esse Mechtildem cujus est *Liber spiritualis gratiæ*, hoc est, sanctam Mechtildem, quæ *Librum specialis gratiæ* reliquit. Quo pacto in librum *Lux divinitatis* statim ex improviso induceretur nomen illius Domnæ Mechtildis, de qua in eodem uspiam minima mentio sit facta? Quomodo simpliciter *soror* Mechtildis illa nuncuparetur, quæ in aliis scriptis, in libro Gertrudiano, præ veneratione ipsi debita, semper *Domna* Mechtildis laudatur, et eadem designatione a poeta *Dante* in carmine suo per vocabulum *donna Matelda* celebratur? Una tantummodo in Libro *Lux divinitatis* occurrit *soror* Mechtildis, et illa est ipsius libri scriptrix.

Docum. ad calc. n° 9.

Infra pag. 426. 437.

E revera Fr. Henricus, qui compilavit librum, sex tantum primas hujus libri partes agnovit et collegit; septimam vero quæ, postquam Soror Mechtildis cœnobium Helftense fuit ingressa, scripta est, penitus ignoravit, ex hac scilicet causa, quod a Sorore illa scripta est, quæ postmodum supervixit. Unde sex illæ partes quoad librum sæpe dictum, Fr. Henrico compilatori solæ assignandæ sunt. Illum liquet scripta sororis Mechtildis collegisse, in unum volumen redegisse, et in sex partes distinxisse; non autem illum ex inferiori teutonico idiomate in latinam linguam vertisse, vel quidquam de septima parte, quæ tota in Helftensi claustro a sorore conscripta perspexisse.

Henricum vero qui Prologum scripsit, ipsum esse opinamur qui librum

Sororis Mechtildis, qualem illum Fr. Henricus compilator redegerat, ex teutonico in latinum transtulit. Siquidem Prologum latine, ut moris erat, conscripsit, in quo testatur se inceptaturum esse barbara lingua conscriptum librum, etc. et insuper aliqua huic libro historica superaddit, v. g. de Fratre Baldwino, de Fratre Henrico, etc. Quæ Frater Henricus compilator de seipso nequivit, ac de aliis superfluum duxit inscribere.

VI. Quidnam vero incœptat Fr. Henricus, auctor Prologi, cum de libro barbara lingua conscripto opus suum aggreditur, nisi hunc librum doctorum lingua reddere, et mysteria ibi contenta communi tunc temporis latini sermonis interpretatione revelare, non alio sane pacto quam quo prologum et quædam huic libro historica addimenta exaravit. Igitur, post Sororis obitum, atque etiam post illa, quæ de ista scripta sunt in libris SS. Gertrudis et Mechtildis, quæ in testimonium ejus virtutum invocat auctor Prologi, hæc translatio in latinum sermonem facta. Quis vero cæterum fuerit ille Frater Henricus, Lector de Ordine Prædicatorum, et quo tempore vixerit, ignoratur.

Exemplar teutonicum quo ad suam latinam translationem usus est, in quibusdam ab illo differt quod in Einsiedelnensi libraria asservatur. Ordo rerum, distinctio librorum et capitum prorsus alia, et operi Fr. Henrici de Hallis propior exstat, quod translator, ut videtur, sequitur, licet quamdam sibi in vertendis sententiis libertatem vindicet. In stylo etenim latino conficiendo ad duplex propositum inflecti se permisit, quo se doctiorem et elegantiorem prodere studuit, et revera ad minorem fidem librum reddidit. Priori proposito, doctus Lector verba Scripturæ sacræ multis in locis inseruit, cujus omnino alienam se esse Soror Mechtildis et asserit et exemplo confirmat, cum nullibi ad sacram Scripturam se referat, licet ab his quæ docent Libri sancti nunquam sensu, etiam in difficillimis et maxime sublimibus, discrepans inveniatur, quæ de Deo nihil nisi articulos noverat simplicis fidei. Deinde ad elegantiam, prout sua ætas ferebat, trahitur translator, quamdam redundantiam affectans, et præcipue vocum assonantias. Unde simplex Sororis ingenium et veram sententiam, simul ac vigorem aut sublimitatem non tam fideliter servavit, quam in teutonico exemplari Einsiedelnensi reperire est. Attamen propter satis congruum rerum ordinem, quem ab Henrico de Hallis retinuerat, illum nos sumus in nostra editione secuti.

VII. Hujus latinæ translationis scriptorum Sororis Mechtildis Basileensis publica bibliotheca servat unum et alterum exemplaria, quæ nobis perhumane commodavit D. bibliothecarius ad nostram editionem perficiendam. Quorum prius in pergameno in bibliotheca sic designatur B. IX. 11. et varia opuscula continet per 163 folia distributa : horum præcipuum est liber noster inscriptus : *Lux divinitatis fluens in corda veritatis*, qui folio 51 incipit et 91 terminatur. Scriptura videtur esse XIV sæculi exeuntis, cujus caracteres et sigla refert. Lepide quidem, incorrecte vero scriptus, sæpe nævos præfert, quibus evincitur amanuensem rem non intellectu, sed oculo legisse, manuque sicut legerat rem confecisse. Alterum exemplar chartaceum sub hac designatione A. VIII. 6. inscriptum, etiam varia continet, et ad

ultimum XVI sæculi saltem decennium est reducendum. Folio 99 incipiunt multa nostri Libri capitula continua ad folium 154, quibus maxima pars operis conficitur, et quidem accurate et sapienter. Post hæc, idem amanuensis duo capitula inseruit quæ ad quamdam Agnetem Blannbekin sunt referenda, nec cum Sorore Mechtilde quid commune præ se ferunt, nisi quod eadem ætate Agnes illa floruerit et a Deo fuerit ipsa mire illustrata; cujus vitam et revelationes R. P Bernardus Pez, Mellicensis, edidit, Viennæ, 1731. Deinde ad folium 159 inscribuntur capitula prius omissa, sed licet eadem manu, non pari successu, cum vestigia codicis B. IX. 11. vel in mendis suis, sequuntur, sub hac indicatione: *Sequuntur plura alia capitula ejusdem libri intitulati: Lux divinitatis, non scripta in exemplari, quod solum fuit excerptum totius libri.* Primo folio hujus codicis A. VIII. 6. legitur: *Liber domus Vallis beatæ Margaretæ ordinis Carthus. in Basilea minori, proveniens a Cofre nro DnoLeonardo Wettinger de Rinfelden.* Similis nota codice B fuit recisa; hæc tantum supersunt verba... *rum domus Basilensis.* Diversa opuscula in illo contenta, cum sint præcipue Fr. ord. Prædicatorum, ex horum monasterio ablatus in Religionis destructione existimandus est.

Exemplar teutonicum in Einsiedelnensis Abbatiæ libraria servatur, nº 277, in codice minusculis litteris gothicis XIV sæculi exarato. Pars prior, sororis Mechtildis revelationes continens, folio 166 explicit; sequuntur quædam piæ de septem Horis canonicis sententiæ, et alia fragmenta, tunc denique pars altera, quæ ab 169 folio ad calcem quædam mysticorum scripta continet.

In folio codici paulo recentius affixo item teutonice legitur: « Sororibus in anteriori prato: noveritis quod liber qui ad vos ab illa (quæ ad *aureum annulum* mittitur), hic est, *Lux divinitatis*, sic accipere debetis, quod singulæ domus *Sylvæ* illo utantur, nec e *Sylva* unquam exeat, et per unum mensem in una domo permaneat, ita ut ex alia ad aliam prout opus erit veniat, et hujus singularis custodia habeatur, cum singularis fiducia in vobis poneret. Orate etiam pro me ejus confessario heu! indigno. Ego Domnus Henricus de Rumerscheim, Basileæ in Sancto Petro. » Codex quidam alius, nº 268, mysticæ etiam rei refertus, ab eadem donatrice missus, ejusdem Henrici commendationem fert scriptam: « Noveritis quod liber qui vobis a Virgine *Margareta ad aureum annulum* mittitur, etc. Igitur quædam Margareta *ad aureum annulum* hunc codicem per Henricum de Rumerscheim, confessarium suum, miserat ad Sorores, quæ quatuor mansiones in *Sylva* juxta Einsiedeln spiritualem vitam degebant. Basileam his temporibus confugerant quietis et pietatis causa Magistri, inter quos Henricus de Nordlingen, cujus exstat epistola ad quamdam aliam Margaretam Ebner in claustro Medingen, anno 1345 missa, in qua de nostro libro sic agitur: « Ego ad te mitto librum, qui vocatur *Lux divinitatis*, et est teutonicum scriptum mihi omnium gratissimum, et intime maxime movens amoris verbum, quod in teutonica lingua unquam legerim. Nobis in alieno teutonico pervenit, ita quod sane duorum annorum studio et labore perfecimus, prius quam aliquantulum in nostro teutonico transferremus. »

Scriptum, quod cœlestem hymnum vocat, tamquam inauditi pretii commendat

Sic liber Sororis Mechtildis, quem præfert codex Einsiedelnensis, a Margareta ad *aureum annulum* in mediam Helvetiæ regionem ad quasdam Sorores missus, qui Basilea circa annum 1344 ex alieno (inferiori) teutonico in superius ab Henrico de Nordlingen et ejus amicis, Margareta, Henrico de Rumerscheim, etc. translatus fuerat.

Quæ translatio ex uno idiomate ejusdem linguæ germanicæ in aliud facta, majorem exhibet quam versio latina Henrici Lectoris, fidelitatem. Nec mirum : stylus, locutionem, dictiones et ipsa verba non tantum inter se discrepabant quod originis caracterem versio in se facillime retineret.

VIII. Codex Einsiedelnensis visiones profert Sororis Mechtildis vix ullo ordine distinctas, prout vero ipsas scripserit Soror.

Quidquid id sit, lectori qui rem mysticam aliquantulum curaverit, vel cum mediæ ætatis theologis et poetis versatus fuerit, non parum gratum erit atque mirandum, illud opus e femina litterariæ sicut et theologicæ rei penitus ignara prodiisse.

« Materiam suorum sive carminum, sive contemplationum, sive moralium sententiarum, inquit Dr. Greith (p. 208.) e christiana fide sumpsit Mechtildis, et ex propriis quæ in mystica vita fuerat experta. In his intima celebrat Dei et animæ consortia, quæ per amorem fiunt, et ad ima respiciens, rursus explicat animæ et corporis sive sensuum commercia, quæ propter peccati concupiscentiam in hostile bellum sunt versa. Ejus sententiæ de virtutibus et vitiis, de perfectionibus et defectibus animæ, cum ad alta peregrinatur, tractant; ipsaque gaudet sæpe formam dialogi, inter Deum et animam, Amorem et Cognitionem, non imperite usurpare. S. Hildegardis more, de Christianitatis depresso statu aliquantulum acrius accensa lamentatur, tum in Ecclesia, tum in imperio, apud clerum et laicos, de quibus frequenter querelas movet. Quin et hujus viæ metas prætergressa, ad illa quæ ultra patent loca, cœlum nempe, Purgatorium et Infernum, felici ausu penetrat, cunctaque ibi infracta oculorum acie perlustrat atque contemplatur. In his quibus fuit illustrata, nullam humanæ sapientiæ scholam agnoscit, quacum, ut ipsa pulchre ait, et multa acquirere, et multa rursus perdere potuisset. Ipsa e contra testatur ab alto omnia accepisse. »

Cum nullo humanæ scientiæ freno impedita esset, verum in alto mentis excessu facile raperetur Soror, sæpe factum est ut in dictionibus et notionibus quædam hujus libri, si ad rigorem sensus, nulla contextus habita ratione, reducerentur, aliquam notam audaciæ vel falsi non fugerent. Sic de B. Maria dicit : « Ejus filius est Deus et ipsa dea », et in alio loco vocat animam « omnium creaturarum deam »; quod manifesto intelligendum est de excellentia quædam B. Mariæ, vel animæ humanæ, a Deo super cæteras creaturas collata, non vero de divina natura, cujus stricto sensu particeps foret B. Maria vel anima. De homine, ratione Incarnationis, notandum est Sororem Mechtildem multa præ Angelis potiora prædicasse, quæ alibi rarissime tam intensive affirmantur.

Quando contra abusus et vitia quorumdam in Ecclesia invehitur, non ultra S. Hildegardim, S. Petrum Damiani, vel S. Catharinam Senensem, multosque alios excedit; verum illud et in Germaniæ indigena maxime notandum : tot malis in ipsa Ecclesia ingruentibus, remedium a solo Romano Pontifice humiliter et enixe Mechtildem deprecari, minime vero sæcularem potestatem, ut apud Germanos pessimo sensu solet, de hac restauratione rogare, sicut insinuare D. Preger videtur.

De spirituali amore liberiores simplicioresque voces aut expositiones nihilo magis reprehensionis dignæ sunt in libro Sororis Mechtildis, quam in mysticis scriptis tot aliorum sanctorum, qui eumdem amorem Deum inter et animam prædicaverunt. Si quid autem incautius Mechtildis expresserit, ex ipsius ingenita simplicitate, solitaria vitæ consuetudine, ingenii impetu, et ex rudi illius ævi dicendi genere profluxit; si vero nonnulli in hoc scandali occasionem opposuerint, meminerint illius Apostoli : *omnia munda mundis*, dum immundis omne videtur immundum, nempe vitiorum et mali fomitis jam nimium in se consciis atque expertis.

Quanquam poeticæ artis numeros aut diversa genera sane ignoraverit Soror Mechtildis, quæ, sui ævi lingua adhuc in cunabulis vagiente, fere nihil legerat, et de humana scientia minime curaverat, attamen ejus librum quasdam rhythmi artes resonare juvat in assonantiis, vel alliterationibus, quæ in plerisque partibus libri ad certam poeticæ normam rude idioma ferre videtur. Diversa quoque genera, ut sunt epos, oda, et dramata, ejus sublimi ingenio feliciter attentantur; verum quidquid de regulis vel diversorum generum sit formis, certissimum et nobilissimum fere in omnibus profert ex natura afflatum, qui legenti cuilibet stuporem injicit et mirationem. Cum vero tam alto volatu etiam profunda Dei, tamquam aquila circumvolans, perspicit, vero dogmati semper fidelis remanet, cumque maxime intima animæ supra se raptæ mysteria cantando discutit, numquam a Christiani philosophi recto tramite declinat. Maximis theologis in doctrina, poetis in sublimitate, animarum rectoribus in perspicuitate non impar, se vere ex altis spiritum accepisse, cum orat, cum cantat, in omnibus testatur.

IX. Editio codicis Einsiedelnensis per D. Gallum multum laudi Sororis Mechtildis statim contulit. Siquidem Doctor Guilelmus Preger, in Monacensi academia duplicem libellum legit, in quo primum Sororis sublime ingenium merito extollit, et de ejus vita, multa acri studio et cura inquirit. In secundo vero libello, cum exorta fuisset quæstio de *Matelda*, quam poeta Dante in suum carmen induxit, D. Preger, cum apparatu eruditionis Germanis solito, et phantasiæ vi indita, *Matelda* in Purgatorii cantu introductam contendit præcipuam et solam esse Sororem Mechtildem. Quam opinionem in præfatione *Libri specialis gratiæ* haud probantes, nihilominus D Preger studiis congratulamur, quippe quæ et Sorori Mechtildi et nostris Prophetissis non ignobiles vel despectas inter doctæ Germaniæ auctores partes assignent et easdem apprime commendent.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

Verumtamen tot præconia ingenii superant laudes quas sanctæ Gertrudis Mecthildisque sorori suæ et ejus libro tribuunt. *Speciale donum* siquidem in ipsa agnoscunt. Illam videt S. Mechtildis in modum avis contra faciem Domini directe volitantem; per quod innuebatur *cognitio* illa qua in terris præ cæteris illustrata vigebat. *Liber specialis gratiæ*, part. II. c. 42. Igitur scriptorum ejus vis præcipua, propter quam hominum etiam dyscolarum laudes assequitur, a Spiritu divino certe profluit, qui, ut dicit Scriptura, prout vult et ubi vult spirat, et infirma eligit ut fortia confundat.

Nos igitur hunc Librum sororis Mechtildis, qui nondum, nisi germanice prodierat, hic ponimus juxta codices latinos, e Basileensi libraria transcriptos, his additis et ex codice teutonico Einsiedelnensi translatis, quæ in latina versione Fratris Henrici desiderantur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LUX DIVINITATIS

## PROLOGUS

### FRATRIS HENRICI LECTORIS

### DE ORDINE FRATRUM PRÆDICATORUM [1]

LEGIMUS *in libro Judicum quod Debbora mulier sancta uxor Lapidoth, spiritu prophetiæ plena, in monte Effraim collocato sub arbore palmæ tentorio, ut soli Deo vacaret, solitaria residebat, ad quam populus Dei Israel ad quærendum omne judicium ascendebat. Sed et liber Regum quartus narrat quod Olda prophetissa in Jerusalem habitans regem sanctum Josiam, de arcano Dei judicio edocta a Spiritu Sancto, de futuris instruxit flagellis quæ populo imminebant. Miserat enim ad eam rex justus et pius sacerdotes et levitas, ut pro malis imminentibus pro ipso Dominum femina sancta consuleret et oraret. Erant certe tunc Pontifices de semine Aaron sacerdotesque et alii levitici generis in lege eruditi, et vita probati; quibus tamen Spiritus Sanctus consiliorum suorum secreta non aperuit; quæ his*

1. Prologus iste et alia passim quæ in codice teutonico non reperiuntur, hic typis distinguuntur, ut aiunt, italicis; nonnulla vero quæ ipse vetus interpres omiserat, nos vero latine reddidimus, uncis includuntur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

*sacris infirmi sexus mulieribus pro illis temporibus sicut ei complacuit revelavit.*

*Elegit namque persæpe infirma mundi omnipotens Deus ut fortiora salubriter erubescant. Non miretur igitur quisquam nec discredat infideliter, si Deus tempore gratiæ mirabilia innovat, sexui fragili sua revelans mysteria, qui tempore legis mosaïcæ dignatus est similia misericorditer operari. Et quia populus Israel Debboræ vaticinio credidit. liberationem ab oppressione et de hostibus victoriam est adeptus. Rex quoque cultor Dei, per orationem et consilium Oldæ prophetissæ, consolationem et misericordiam meruit invenire. Sic etiam omnes qui hunc librum scripturi vel lecturi sunt, si tamen pia intentione intenderint, incrementum consolationis et gratiæ spiritus, sicut in ipso promissum est a Domino, consequentur.*

*Legenda est autem hæc scriptura pie, et religiose intelligenda, et secundum morem aliarum sanctarum scripturarum, sane et fideliter; sic nullum in ea lector scandalum habebit vel offendiculum, ipsaque scriptura nullam calumniam perfidiæ sustinebit. Auctor quippe ejus Pater et Filius et Spiritus Sanctus est, materia ejus Christus et Ecclesia est, et Satanas cum corpore suo. Modus agendi, historicus et mysticus; finis vero, præsentis vitæ ordinatio, et præteritorum utilis recordatio, et prophetica insinuatio futurorum. Sufficere debet omnino pro testimonio veritatis piorum credulitati fidelium ejus, per quam hæc scriptura innotuit, sincera devotio et simplicitas columbina; quæ a pueritia innocentem et immaculatam ducens vitam, et in juventute a Domino præmonita, omnia quæ habere potuit reliquit, exul in terra aliena, degens in voluntaria paupertate. Tandem post multas tribulationes, in senectute, vita sanctimonialium in Helpede assumpta, et per annos duodecim commorata, omnium virtutum perfectione floruit, ut earumdem testimonio comprobatur, maximeque charitatis, humilitatis, patientiæ et mansuetudinis cultrix fuit. Super omnia autem contemplatione suspensa et divinarum illuminationum ac revelationum particeps effecta, plurima secretorum Dei mysteria de præteritis, præsentibus et futuris prophetico spiritu digna fuit a Domino percipere. Nunc a Sponso Virginum assumpta, virgo sancta ipso*

*perfruitur quem amavit, cujus charitas mirabilis suam multis decoravit miraculis dilectricem.*

*Revelationes et visiones, quas omnipotens Deus electis suis manifestare dignatur, fidei simplicitas in ipsis fundat et inchoat, mentis puritas requirit et expectat, vitæque sanctitas authenticat et confirmat. Talibus namque patent secreta cœlestia, suntque in cordibus audientium eorum testimonia credibilia.*

*Inceptaturus igitur barbara lingua conscriptum librum istum, in quo mira quædam et inaudita continentur mysteria, aliqua de sanctitate personæ, cui hæc demonstrata sunt cœlitus, præmittere dignum duxi, ut mirabilia dicta factis mirabilioribus fulciantur. Et quis nobis expressius electorum enarrabit perfectionem quam ipsi, in quibus et per quos Deus sua perfecit opera? Et quis utilius vel melius perfectionem Pauli quam Paulus Ecclesiæ intimasset? Sic hæc sancta persona, quid in ea et cum ea Spiritus divinus gesserit, ad laudem ipsius et gloriam eloquens profert dicens :*

## DE INSTRUCTIONE PERSONÆ AD INCHOANDUM LIBRUM.

PRIMA cognitio, quam post contactum amoris et affluentiam sermonis accepi a Domino, venit cum mœrore. Nam cum pulchra et mihi placentia respicerem, suspiravi et lacrymas fudi, et cogitavi et querulans dixi : Custodi te; hæc non sunt dilectus tuus, qui animam tuam alloquens salutavit, sensus perlustravit, cor tam dulciter vinculavit[2], ut hæc multiplex terrena suavitas te ab ipso non abstrahat, sed nobilitate, pulchritudine, utilitate creaturæ utar, ut in ipsis Deum diligam, non meipsam. VI. 5.[1].

Quæ priusquam hujus libri opus aggrederer, et anima mea de his quippiam attigisset, eram puella simplicis- IV. 2.

1. Hujusmodi numeri spectant ad libros et capitula quibus in editione germanica opus dividitur.

2. *Hic in codice ad oram paginæ legitur* : Die gnade grusset erlichtet und bindet.

sima, omnis diabolicæ singularisque malitiæ et hypocrisis penitus ignara ; [oportet me loqui ad Dei honorem et etiam propter hujus libri doctrinam]. Duodecimo ætatis meæ anno, tam affluenter sum Sancti Spiritus dulcibus labiis salutata, quod deinceps ad quodcumque leve etiam veniale peccatum non poteram inclinari. Hæc amica salutatio quotidie affuit et crevit, amaricans tam amabiliter sæculi blandimenta. Hæc per annos triginta et unum acciderunt. De Deo nihil nisi articulos noveram simplicis fidei Christianæ ; cui adhæsi firmissime toto corde, studens semper cordis munditiam retinere. Testis mihi est Deus quod nunquam voluntate vel desiderio concupivi a Domino, ut horum quæ in hoc libro scripta sunt mihi cognitio præstaretur ; imo nec credidi quod cuiquam mortalium concedi potuisset. Inter cognatos et necessarios amicos degens nihil horum sapui; præhabui vero diu ante desiderium, ut præter culpam meam in oculis hominum abjecta et contemptibilis reputarer. Perrexi ergo ad quamdam civitatem, in qua nullus qui me curaret erat, præter unum, per quem tamen ab amore Dei et desiderata despectione timui retardari. Tunc me solam Dominus non reliquit, transferens me amica dulcedine in tam admirabile sapientiæ suæ lumen, quod mihi terrestria minime sapiebant.

Tunc primum raptus est spiritus meus inter cœlum summum et infimum, ubi in majestate conspexi humanitatem Domini nostri Jesu Christi. In cujus facie Patris æternitatem, Filii laborem, Spiritus Sancti dulcedinem recognovi. Ibique vidi Angelum meæ salutis consultorem et Satanam omnis turpitudinis persuasorem. Et dixit Dominus ad me: « Hunc angelum tollo a te, aliosque duos tribuo, qui in his mirabilibus te foveant et conservent. » Quos videns humili valde gratitudine stupui, postrataque Domini pedibus gratias egi, plangens me indignam, cui tales principes deservirent. Erat unus Seraph, divini amoris incensor et delicatæ animæ illustrator ; alter Cherub, donorum conservator et in amantem animam sapientiæ ordinator. Aderant tunc permissione Dei bini spiritus maligni, de schola assumpti Luciferi, qui raro egressi, *acuti erant nimis et terribiles, præcipuique ad decipiendum magistri*. Quos intuens expavi paululum, et

in Domino confisa eos gratanter admisi. Quorum unus falsarius et deceptor vestitu angelico pulcherrime amiciebatur. O quantas mihi in principio prætendit insidias ! Venit enim tempore quodam [intra Missam] quasi de excelso dicens : « Intuere, intuere pulchritudinem meam et adora me. » Et respondi : « In omnibus prosperis et adversis solus adorandus est Deus. » At ille : « Si velles saltem, inquit, inspicere quis sum ? » Tunc ostendit sub aere quamdam fallacem claritatem, quæ multos seducit hæreticos *et damnavit* ; dixitque : « In hoc throno tu sola eris virgo præcelsa, egoque juvenis pulcherrimus tibi junctus. » « Non esset, inquam, sapiens qui acceptaret deterius, prævalens attingere bonum majus. » At ille : « Sancta es et ego humilis. Unde, licet acquiescere nolis, te tamen adorabo *meis votis*. » Respondi : « Nil hinc reportabis, si stercus fœtidum adorabis. » Ostendit ergo pedes et manus vulnerum stigmatibus picturatas, et ait : « Nunc recognoscas quis sum. Si mihi acquieveris, a me valde sublimaberis; si hoc hominibus revelaveris, multa bona consequeris. » Propter cautelam autem in futurum et custodiam, licet invita et multo tædio, hæc inutilia sustinui dicta et blasphemias. Et dixi ad eum : « Tu dicis, Deus ego sum ; dic ergo, quis ille sit qui jam in manibus sacerdotis præsens est Filius Dei ? » Tunc volentem recedere tenui dicens : « Per Omnipotentem dico tibi ut me audias. Scio insidias tuas ; nam si, ut suades, arcana cordis [mei] panderem, post brevem favoris auram, illusionibus totis viribus me repleres ; unde in desperationem et tristitiam, in infidelitatem et libidinem malam, et postremo in cordis molestiam perpetuam me jactares, si mihi sanctitatem quam non habeo, falso et inaniter usurparem. O deceptor antique et hypocrita pessime ! quousque Deus adjuvat me, malitia tua non prævalebit in me. » Tunc ejulans ille : « Eheu, inquit, hæ sunt incantationes maleficiorum tuorum; permitte me nunc, ait, ut abeam, et ego te deinceps non tentabo. »

Alter ad exercitium adjunctus mihi Satanas , dissipator pacis et incensor occultæ libidinis appellatur. Huic inhibuit Deus, ne ad me per se veniat. Ideoque perversi spiritus homines adversum me concitat, ut bene facta mea invertendo obnubilent, et quantum possunt infamando perturbent.

Inter bonos quoque, si carnalis forsitan sermo intervenerit persuasione ejus, commorata, imperturbata non sinor, usque ad hoc tempus talis injuriæ [nondum] consueta. Tempore quodam in principio noctis, dum orarem, venit idem Satanas in aere, insidians valde actibus terrenorum. In morem immanis gigantis apparuit, curtam habens caudam, nasum curvum, caput grande et horribile, de cujus ore scintillæ volitabant igneæ flamma nigerrima superinductæ, cachinnans fallaciter crudelissima nimis voce. Interrogavi tunc cur cachinnaret, quid quæreret, vel quid ageret. Respondit : « Exulto cum mihi te punire non liceat, quod multos angelos lucis similes invenio, qui pro me cruciant te et vexant. » Et addidit : « Ego [clericorum] cubicularius sum, duobus modis ipsos facillime a Deo suo segregans : secreta videlicet turpitudine, et abscondito rancore cum discordia manifesta. Quæ ubi sine cordis pœnitudine fuerint, longævi criminis fundamenta sunt et totius perditio sanctitatis. » Et dixi : « Tu cum sis nequam, quomodo hæc utilia mihi pandere potes, *unde cautior fiam* ? » Respondit dæmon : « Quantumcunque versutias meas exerceam, divina tamen manus sic me coarctat, quod nil prævaleo nisi quod relaxat. »

### DE CASTIGATIONE ET AFFLICTIONE CORPORALI QUA FEMINA SANCTA ATTRIVIT CORPUS SUUM.

Ego infelix et misera sic erraveram in pueritia, quod decennii purgatorii puniri merui pœna, si non hæc perfecta confessio diluisset. [Eia, dilecte Domine, quando moriar, volo propter amorem tuum libenter adhuc illic cruciari. Hoc ex intellectu non dixi, sed ex amore prompsi.]

Abrenuntians autem sæculo, vidi carnem meam armatam adversus animam meam, ex abundantia temporali et fortitudine corporali ; [simulque hoc vidi], quod si mortem æternam volui evadere, oportuit tamquam hostem domesticum expugnare. Assumpsi ergo armaturam animæ meæ, quæ me protexit in omnibus, passionem Domini nostri

Jesu Christi ; stetique constanter in timore magno subjiciens corpus meum in juventute plagis pungibilibus, videlicet , gemitibus , fletibus , confessionibus , jejuniis , vigiliis , virgarum plagis, orationibus assiduis. Hæc sunt arma animæ meæ, quibus vici corpus meum. Nam infra viginti annos, nunquam fuit hora in qua requiem haberet caro mea, lassata principaliter per pœnitentiam et dolorem , per desiderium sanctumque laborem , necnon per multiplicem naturæ debilitatem et languorem. Accessit ad hæc fortis amor , qui me per hæc mirabilia, quæ apud me retinere non licuit. etiam totis viribus spoliavit.

In simplicitate ergo mea contristata vehementer, dixi Deo meo : « Eia, pie Deus, quid in me respexisti ? Tu scis quia fatua et peccatrix ego sum, infirma corpore et spiritu. Hæc tam sublimia sanctis forent et perfectis revelanda, per quos tui nominis potentia posset ampliari. » Tunc iratus Dominus valde dixit : « Responde mihi judicium. Numquid non mea es ? » Et dixi : « Hoc opto Domine. » Et Dominus : « Non licet mihi, inquit, de te facere quod volo ? » Et aio : « Operare, Domine, etiamsi ad nihilum redigar. » Tunc dixit Dominus : « In his voluntatem meam sequeris, et confidens et fidelis eris. Diu infirmaberis, egoque te procurabo, et omnia corpori tuo et spiritui necessaria ministrabo. » Sic instructa abii misera. tremens in humili verecundia, ad confessorem meum, narrans ei hæc omnia, per eum desiderans [consolari, et] utiliter erudiri. Qui dixit mihi quod confidenter procederem ; Dominus enim qui me traxerat ipse etiam me in omnibus custodiret. Jussitque me, unde frequenter erubesco, quod mea magna indignitas ante oculos meos est, in hoc quod vili vermiculo imperavit ex corde et ore divino, conscribere librum istum : per hanc viam in charitate prodiit ex Deo liber iste ; nec humano sensu editus est vel intellectu.

DE SANCTIS PER QUOS ILLUSTRATUR LIBER ISTE.

III. 20. DOMINUS locutus est mihi, pollicens quod hunc librum quinque luminaribus illustraret. Moysi singularis familiaritas grandisque sanctitas, immerita despectio quam sine culpa pertulit, gloriosa prodigia quibus effulsit, dulcis doctrina quam effudit, amabilis et electa collatio qua cum Altissimo resplenduit, elucidant librum istum. Dabitque [lumen], et vult ut per omnes hostium meorum falsas insidias sua protectione sine culpabili verecundia pertranseam, [et amori inhæream], sicut Moyses cum populo Dei pertransiit mare rubrum. [Pharao autem cum suis qui nos nimis longius persecuturi erant, o væ! quomodo in hoc mari sunt submersi! Eia miserere, Domine, quatenus nostris convertantur inimici.] David rex et psalmista egregius sit hujus libri jubar; sua docet cithara, plangit, orat, [hortatur] Dominumque collaudat. Salomonis verba lucent; opera non refulgent, [quia ipse obscuratus est;] in canticis sponsæ dicta amabilia, sponsique eloquia dulciter casta. Jeremias quoque hic effulget, loquens de matre Virgine virum circumdante. Erat enim purissimus castitate, altissimus charitate, martyr in Christi fide. Adest etiam Daniel, præclara fulgens sapientia, quem Dominus inter hostes corporis et spiritus cibo pavit. Ita me indignam pascit Deus; ideoque hostes multipliciter me
IV. 13. affligunt. [In hac hujus libri dignitate] nihil scio nec possum scribere, nisi intellectualibus oculis perspexerim et auribus insonuerit cordi meo, et nisi virtutem Sancti Spiritus præsenserim in universis corporis mei membris.

*Omnia etenim Dei dona quæ in hoc volumine continentur scripta, tribus viis in meam notitiam pervenerunt* [1]. *Primo quidem per delicatam suavitatem, postea per excelsam familiaritatem; nunc autem per pœnarum gravium acerbitatem, in qua desiderabilius manere eligo quam in præcedentibus; licet enim in seipsis bonæ et pretiosæ existant, tamen in hac vita tam raræ sunt, quod qui eas veraciter*

1. Cf. supra, *De instructione personæ*. pag. 437.

*agnoscunt, nequaquam de eis eloqui permittuntur. Voluptatem etiam præcipue pertimesco, pro eo quod Christus tam multas acutas pœnas et tribulationes pertulit in hoc mundo.*

DE CONTINENTIA HUJUS LIBRI TRIPLICI ET HUMILIATIONE ET RECUSATIONE HUJUS OPERIS.

TIMOREM et turbationem humana admonitio cordi meo intulit de hoc libro, quem nisi caute custodirem, ignis incendio cremaretur. Mox secundum consuetudinem meam ad orationem confugi. Nam quando conturbor orare me oportet, et inclinata ad Dominum dixi: « Turbata sum pro te, Domine, nisi consoleris me; seduxisti me, nam scribere me jussisti. » Mox apparens Deus animæ meæ tristi, tenens hunc librum dextera sua [1] dixit: « Non turberis usquequaque; veritas namque nec exuri poterit aliquatenus nec consumi. Quicumque hunc librum de manu mea conabitur rapere me fortior debet esse. Liber hic triplex est, significatque me solum. Membrana hic ambiens designat meam mundam, pulchram, justamque humanitatem, quæ pro te diram pertulit mortem. Verba inscripta notant mirabilem deitatem, quæ verba fluunt de die in die in te ex ore meo. Vox verborum declarat vivificantem Spiritum meum, perficientem in seipso omnem veritatem. Aspice nunc in omnia verba ista, quam gloriose occulta sapientiæ meæ promunt, et noli diffidere in te ipsa. » Et dixi: « O Domine, si valens et docta forem persona, laus tuæ majestatis excresceret; nunc autem quis credet quod in luto auream domum extruxeris, ubi quiescas cum matre tua omnique cœlesti familia ac universa creatura. Hic terrena sapientia non invenit te, Domine. » Et respondit: « Multi sapientes pretiosum aurum ex negligentia perdunt, unde [ad altiorem scholam] promoveri poterant, quod necesse est aliquem invenire. Ego semper in donis spiritualibus collocandis infimos, mini- II. 26.

1. Cf. *Legatus*, lib. V. c. 7. p. 543.

mos, familiarissimos requisivi ; altitudo terrestris apparitiones meas non capit. Spiritus enim meus sanctus fluens, humiles valles quærit. Multi in scripturis approbati, in conspectu meo sunt fatui reputati, et hæc est gloria mea apud ipsos ; fidemque confirmat catholicam quod indoctum os Spiritu meo plenum linguam edocet eruditam. » Et dixi ad Dominum : « O Domine, cum gemitu, cum desiderio peto pro scriptoribus qui hunc librum post me conscripserint, ut gratiam tuam eis in mercede conferas, qualem adhuc alius non accepit. In infinitum namque excedit donatio tua valentem eam accipere. » Respondit Dominus : « Aureis hæc conscripsere litteris ; ideo cuncta verba in meo regno eorum amictum, super omnem gloriam eorum ascripta, perpetuo decorabunt ; [nam liber amor in homine altissimas debet partes tenere.] » Dum hæc Dominus loqueretur, vidi honorabilem veritatem in æternitatis præsentia, et dixi : « O Domine, conserva librum istum a falsitatis observatione, quæ ab inferis orta non de cœlis venit, in corde Luciferi concepta, in spiritus superbia nata, in odio educata, crevit in immani iracundia, adeo ut nullam virtutem sibi æstimet coæquari. Oportet ergo filios Dei abjici et in despectionem calcari, ut possint in altissimis cum Jesu gloriari. Igitur nos ipsos semper observare studeamus in gratia ne qua nobis adhæreat corruptela. Observemus etiam pie proximum ut sequamur bona quæ approbamus et mala quæ displicent humiliter caveamus.

## DE NOMINE ET PERPETUITATE HUJUS LIBRI.

I Proœmium 1.

DEVOTE suscipiendus est liber iste de quo sic loquitur Deus : « Hunc librum Religiosis omnibus, *qui columnæ sunt Ecclesiæ*, tamquam nuntium et legatum [1] dirigo. Nam cum columnæ nutant et corruunt, non valet subsistere supereminens his structura. Solum me notificat hæc scriptura,

1. Cf. *Legatus*. Prologus.

proditque secreta mea abdita et obscura. » [Omnes qui hunc librum intelligere voluerint, illum novies perlegant.] Et dixi : « Eia Domine Deus, quis edidit librum istum ? » Et respondit Dominus : « Ego ipse in mea impotentia edidi, quia me in meis donis non prævaleo continere. » Et dixi : « Eia Domine, quod erit hujus libelli vocabulum ad laudem tuam ? » Et dixit Dominus : « LUX DIVINITATIS SEMPER FLUENS IN CORDA VERITATIS [1] appellabitur liber iste. In hoc libro omnes desolati, turbati, consolationem invenient; *universi qui alienam admittent consolationem his dictis amplius turbabuntur. Et erit liber iste in perpetuum inconcussus, dicit Dominus, quia universorum acceptatio gratum, et dilectio firmum, ejusque perfectio stabilem constituent, ut nulla contradictio valeat obviare.*

I Proœmium. 2.

1. id est, *falsitatis nescia.* Cf. ed teutonicam.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER PRIMUS

## DE OMNIUM PRINCIPIO ET HOMINIS CREATIONE; ET DE EJUSDEM REDEMPTIONE.

### I. [DE QUINQUE DEUS LAUDATUR. OBLATIO PRO PECCATIS.]

O SUMMA et ineffabilis divinitas, melliflui roris distillatio! O delicate flos, Virginis matris exultatio! O fertilis, vernantis pulcherrimique floris fructificatio! O sacrosancta æterni Patris acceptissima oblatio! O fidelis et copiosissima totius universitatis redemptio! Tu es, Domine, animæ meæ dulcissima refectio, et in te latet meæ ariditatis refloritio. Tu es mihi modicus tuæ dignationis parvitati, et ego tibi grandis miseriarum mearum innumerabili pravitati. Offero oculis tuæ majestatis quotidie meam qua plena sum iniquitatem: tu superfunde propitius tuam qua exuberas dulcifluam charitatem, ut in tua laude inchoata secundum tuum placitum perficiamus, et tuæ æternitatis gloriam consequamur. V. 20.

### II. DE JUBILO ET CONCENTU SUMMÆ TRINITATIS.

PRINCIPIUM *et princeps Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sibi ipse sufficiens et nullius indigens, in seipso deliciis affluens et redundans, delectabatur antequam quidquam faceret, cui suæ dulcedinis abundantiam communicaret, qua feliciter frueretur.*

V. 26. Audi nunc sanctam Trinitatem gloriantem in sua increata sapientia, infinita clementia, æterna veritate, et interminabili æternitate. Audi nunc dulcissimum, [altissimum], jocundissimum Trinitatis jubilum, quo in seipsa concinit plena voce, de quo etiam universa suavitas sacrorum insonuit eloquiorum, [quæ unquam in cœlo et in terra sunt decantata et adhuc in æternum decantabuntur.] Intonat itaque auctor omnium Deus Pater : « Ego sum fons effluens, cujus nunquam emanatio obturatur. Infelix tamen homo culpas suas objicit, ne sine labore laborans inquieta divinitas [animam] influat et fecundet. » Filius sic succinit modulando : « Ego sum thesaurus regrediens, quem nulla creatura a suo regressu prævalet cohibere. » Omnis enim liberalis donatio in cuncta procedens a Domino, in idipsum revertitur in Filio. Spiritus quoque Sanctus concinit dulci voce : « Ego sum virtus veritatis invicta, quæ manifestatur in homine laudabiliter cum Deo perseverante, tribulatione qualicumque irruente. » Tota autem Trinitas hunc personuit jubilum : « Ego sum in mea sic indivisa firmus unitate, cujus dividi nequit soliditas, nec frangi valet æternitatis integritas. »

## III. DE IGNIS DIVINI INEFFABILI VIRTUTE ET MIRABILI EFFECTU.

VI. 29. Deus noster ignis consumens est, sursum tendens super omnem creaturam ineffabiliter, sine fine dulciter semper ardens. Hic tamquam vitalis calor æternam in se continens vitam, ex se protulit universa. Hujus ardentissimi ignis scintillæ volantes, sunt supernorum lucidissimæ spirituum claritates ; radii vero sunt Sanctorum omnium deifici splendores, quibus sanctam Ecclesiam dum viverent mirifice perlustrarunt. Hujus ignis carbones vivi sunt omnes justi, qui in hac vita adhuc positi amore divino ardent, et conversatione proximis lucent, per quos, si quorum refriguit charitas, si valuerint, denuo accenduntur *et filii lucis efficiuntur*. Hujus ignis cineres sunt corpora Sanctorum *qui ex hoc sæculo transierunt*, qui adhuc in pulvere dormiunt, expectantes beatam spem et adventum magni Dei

et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui est redemptio nostra, cui Pater judicium omne dedit. Ipse in novissimo renovabit cineres corporum humilitatis nostræ in vasa gloriæ, de quibus Pater in die solemnitatis suæ bibet cum Filio, et sociabitur de omni sanctitatis gratia, quam Sanctorum mentibus et corporeis sensibus infuderunt. Ego ex te et tu ex me vicissim bibemus, et satiabimur ex omnibus bonis quæ contulit in nos Deus. Beatus qui nunc firmiter stat, et non effundit hic tamquam fatuus a Deo gratiam sibi datam. Hujus ignis fumus omnia temporalia sunt et terrena ; quæ licet pulchra et delectabilia sensibus carnalium et cordibus appareant, multa tamen amaritudine sunt respersa. Elevata enim sicut fumus disparent et excæcant sublimes, generantque lippitudinem sanctitati. Hujus ignis quieta commoditas, jucunda voluptas est, qua intus divino amore accendimur, ut in charitate vicaria in Domino maneamus, subjicientes jugiter ligna virtutum, quibus ille charitatis igniculus foveatur. Hujus ignis adustio est verbum asperum quod dicetur reprobis : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Splendor hujus gloriosissimi ignis limpida contemplatio serenissimæ Trinitatis, quæ corpora animasque nostras perlustrans, capaces reddit illius admirandæ amandæque beatitudinis, cujus celsitudinem in hac vita nec cogitare nec edicere prævalemus. Hæc de hoc igne prodeunt [in eumque redeunt] secundum divinum judicium, ad ejus gloriam sempiternam. Quicumque voluerit iis aliquid adjicere jactet se in ignem, videatque et gustet quemadmodum fluit divinitas, fundit humanitas, luctatur cordaque cogit Spiritus Sanctus, satagens ut super omnia diligatur Deus.

## IV. DE ALTITUDINE MAJESTATIS DIVINÆ, ET QUIBUS MODIS HOMO CONSCENDAT AD EAMDEM.

In raptu subito vidi montem. Corpus namque non sustinet nisi momentaneam visionem. Erat autem radix montis sicut nubes lucida, vertex ejus ignea, ut sol clara ; finis ejus et initium non sunt visa. Intra semetipsum jubilans in II. 21.

modum fulgoris aurei, in deliciis innumeris effluebat. Et dixi : « Domine, beati oculi qui hanc supernam ac tanti amoris effluentiam, et hæc mirabilia perpetuo contemplantur, quæ ego non possum verbis aliis nominare. » Et dixit mons : « Oculos qui me intueri desiderant, oportet radio septemplici clarescere, sine quibus nullus oculus me videbit. Hoc est : nolle mutuare, libenter solvere, nihil in se retinere, fidus odientibus [vicem non reddere], benignus et amicus crudelibus, purus a culpis, paratus et gratus in adversis et prosperis acceptandis. » *Dicam hoc expressius ut intelligas luculenter. Accedens ad contemplandum Deum, emunda prius oculos mentis, intellectum videlicet et affectum. Si peccandi, libidinem invidiæ odiique rubiginem, ac iracundiæ insaniam a voluntate tua absterseris, affectionis oculus est purgatus. Age pœnitentiam, emunda conscientiam, expelle desidiam, apprehende patientiam, et sic illustrata intelligentia, in montem istum leva oculos tuos, et veniet tibi auxilium a Deo tuo.*

## V. DE CONSILIO DIVINARUM PERSONARUM, ET DE CREATIONE OMNIUM RERUM A SPIRITU SANCTO INCHOATA.

III. 9. PATER misericordiarum Deus, ego indigna gratias ago fidelitati tuæ, qua me eduxisti extra me in mirabilia tua, quod in tua veritate (*a*) vidi et audivi consilium et factum ante sæcula præordinatum. Cum enim esses solus, in tuis deliciis nulli communis, in Filio et Spiritu Sancto resplenduisti, et hi vicissim in te. Eratque Trinitatis hujus unitas indivisa ; in Patre omnipotentia, in Filio sapientia, in Spiritu Sancto clementia ; *et hæc in tribus æqualiter adorantur*. Spiritus Sancti liberalitas in his Trinitatis deliciis ludens, dixit ad Patrem : « Charitatis consilium ex teipso tibi, Pater, offero, venerande, infecunditas nos non decet ; regnum habere volumus creatum. Nam Angelicos spiritus mihi conforma-

*a*. perfecta Trinitate. *Ita codex B. ad oram paginæ.*

bis ut spiritus sint creati[1]; multitudinis enim numerositas verum gaudium appellatur. » Respondit Pater : « Tu unus mecum spiritus es ; voluntas tua et consilium complacet ergo mihi. » Dedit itaque Spiritus Sanctus increatus spiritibus creatis benignitatem, ut hominibus ministrarent et eorum saluti congauderent; qui si in sua felicitate perstitissent, homo tamen nihilominus factus esset.

### DE CONSENSU FILII CUM PATRE ET SPIRITU SANCTO SUPER PROPOSITO CONSILIO.

Coæternus Patri et Spiritui Sancto Filius cum disciplina sic locutus est : « O Pater, fecunditatis gloriosæ expers esse nolo; ex quo mira inchoare disponimus, hominem ad imaginem et similitudinem nostram faciamus , et licet magnas miserias præconspiciam,oportet me tamen hominem perpetua diligere charitate. » Respondit Pater : « Tangit me, o Fili, dulcor charitatis intrinsecus, nec se viscera mea continent præ amore. Igitur *creando* fecundi erimus, ut reamemur, et ut immensitas majestatis nostræ aliqualiter agnoscatur. Præparabo mihi sponsam, quæ me ore suo salutet, et aspectu suo vincat; et hæc initia sint amoris. » Et ait Spiritus Sanctus : « Et ego tibi, Pater, sponsam hanc ad thalami tui lectulum præsentabo. » Et intulit Filius dicens : « Tu nosti, Pater, quod tandem pro charitate moriturus sum, tamen in sanctitate magna cum gaudio producere volumus creaturam. »

### DE CREATIONE HOMINIS AD IMAGINEM DEI.

Hoc præhabito consilio, decrevit tota Trinitas universam condere creaturam ; faciens hominem ex anima ratio-

1. hominemque facies. *Hæc clausula in margine codicis fuit addita.*

nali et corpore compositum in præcipua charitate. Filius Dei imago Patris est, qua Adam et Eva insignes creati sunt, sapientia et potestate præditi per ipsum, ut eum perfecte diligerent et amarent, et in sanctitate firmi rebus creatis omnibus imperarent, [quod nunc nobis magni est pretii]. Accepit ergo Adam a Deo uxorem omni virtute conspicuam, et corporis pulchritudine decoratam. Erat enim amabilis et disciplinata, conformata in his Dei Filio. Corpora eorum sine fomite creata sunt, vestita angelico vestimento : parvuli eorum in amore sancto generandi fuerant, sicut sol fulgens aquam penetrat incorruptam. Gustato vero cibo vetito, deformata sunt corpora, sicut nunc, proh dolor ! experimur. Quod si in tali deformitate Deus Trinitas nos creasset ex vi creationis, homo erubescere non valeret.

### DE SUBLIMATIONE ANIMÆ QUAM DEUS EIDEM IN CREATIONE CONTULIT.

PATER Deus deorum dedit animæ divinum amorem dicens : « Ego sum Deus deorum et [tu] dea creaturæ ; et ecce agam pactum tecum in eo quod nunquam te desero, nisi tu negligens perdideris temetipsam. Angeli mei servient tibi, spiritumque sanctum meum tribuam tibi pro pedissequo, ut non labaris in crimen damnabile ignoranter, et liberum arbitrium concedo tibi. Nunc ergo, o prædilecta, diligenter prævide futura, *et præcedant palpebræ tuæ gressus tuos*. Præceptum modicum servabis, ut me recogites Deum tuum. » Cibus mundus, ipsis in paradiso concessus et licitus, in sanctitate magna et firmitate eorum corda solidasset. Cum autem inobedienter de arbore prohibita comederunt, diffusum est venenum in membris eorum mortiferum, tollens ab ipsis angelicam munditiam et pudicitiam virginalem. Tunc anxiata est anima, et magnis tenebris obscurata clamabat de exilio lacrymabili vocedicens : « O præcordialis dilecte, quo evanuit prædulcis amor tuus ? Valde abjecisti reginam legitime tibi junctam. O magne Deus, quousque sustines has longas miserias , et non transfers iniquitates nostras !

scio quod nasciturus es *pro nobis in terris*. Perfecta sunt omnia opera tua, perficiatur ira tua quousque finiatur. »

### DE DESIDERIO SANCTORUM PATRUM PRO LIBERATIONE HUMANI GENERIS.

CLAMOR iste nubes penetravit, et in aures Domini Sabaoth introivit, et dixit Pater æternus : « Pœnitet me laboris : feceram ego sponsam tam laudabilem, quam [meæ] summæ designaveram majestati. Ejus obsequio omnes supremas deputaveram potestates, cui et Lucifer, si in sua perstitisset gloria, servus esset. Ipsi [sponsæ] enim soli erat lectus in sponsi thalamo præparatus; at ipsa Dei formitatem retinere respuens, deformis effecta est, et vilis nimis, *iterans vias suas*. Et quis dignaretur talem sibi spurcitiam assumere? » Unigenitus autem Dei, imaginem suam in homine recognoscens, majestatem suam coram Patre dignanter inclinans ait : « Pater, cum tua benedictione, libens humanam naturam licet cruentam assumam, et per sanguinis mei innocentiam perungam vulnera, et sanabo omnes confractiones ejus linteolis despectionis exilii mei usque ad mortem. Ego pro peccato ejus animam meam ponam, et per mortem quam non merui, quæ non rapui tunc exsolvam. *Revertar autem ad te vita comite, regno accepto cum duabus turmis Judæorum et Gentilium, reducens ad te cum victoria Israel universum.* » His auditis, dulcis amborum Spiritus dixit Patri : « Omnipotens Deus, pulchra erit in mundum nostra processio et mirabilis nimis valde; procedemus hinc cum multa gloria, nec tamen ab hac majestate recedemus, altitudinem nostram hic (*a*) existentibus præsentiam substrahendo. Ego usque nunc Mariæ Virginis fidelis custos et pedissequus exstiti *in idipsum*. » Igitur utriusque votis flexus in amorem Pater Spiritui Sancto dixit : « Tu eris luminis mei ante Filium meum portitor in omnium corda, quæ pie movebuntur ad ejus ignitum eloquium vehementer. Et tu, Fili,

*a*. hinc. *Cod.* A.

tolle crucem tuam, *et perge in Ægyptum et libera populum meum.* Ego ero tecum *plusquam cum Moyse*, et ambulabo tecum in omnibus viis tuis, *tenebo manum dexteram tuam, voluntate mea deducam te, et reducam ad me cum gloria sempiterna.* Ego *intemeratæ virginitatis* Matrem immaculatam et intactam præparavi tibi, quo ignobilis vulgi naturam *pestiferam* honorabilius omnibus et purius assumere valeas, *et tibi unitam ineffabiliter exaltare.* » Tunc facta est a summo cœlo cum gaudio processionis egressio usque ad templum Salomonis *mysticum*. in quo per novem menses, omnipotens Unigenitus Dei dignatus est manere et adorari, *donec implerentur dies Matris Mariæ Virginis pariendi.*

## VI. DE GLORIA TRIUM PERSONARUM ANTE INCARNATIONEM CHRISTI, ET CONTEMPLATIONE ANGELORUM.

IV. 14. Vidi et video tres personas in celsitudine sempiterna priusquam Dei Filium Virgo conciperet; beati Angeli cum distinctione has personas in unitate contemplati sunt, ipsarumque nomina, et quod hæ tres personæ unus Deus verus sunt. Quantumcumque tamen perspicaces sint, *non* tamen *omnia incarnationis futuræ mysteria prævideruntt, quia* nec carnem, nec sanguinem, nec vultum, nec gloriosum nomen Jesu viderunt. Abscondita erant hæc mirabiliter ab oculis eorum, in pectore Patris æterni. Patrem nominaverunt Deum æternum, increatum; Filium, sapientiam inprincipiatam, utriusque Spiritum rectam veritatis scientiam vocaverunt. Ardentes Angeli, de supremo consilio ad conspectum amantis deitatis attracti ipsius Spiritu, servierunt, videruntque illud deliciosum consilium: Deum futurum fieri incarnatum. Gabriel solus cum salutatione divina adduxit nobis de cœlestibus nomen Jesus; neque datum est ei ut ossa vel carnem vel sanguinem secum deferret *ad Virginem perpetuo incorruptam.* Secunda in Trinitate persona semper fuit Filius, licet necdum hominem assumpsisset; noster semper erat, licet per Gabrielis nuntiationem nondum nobis insinuatus esset. Quod si hæc persona

secunda ante incarnationem hanc propter nos redimendos caro extitisset, principium esset caro, quod nunquam fuit.

### DE OPPORTUNITATE INCARNATIONIS FILII DEI.

Hæc eadem secunda persona unita fuit *in prædestinatione* humanitati Adæ, priusquam per culpam depravata sua naturali gloria privaretur. Cum igitur natura ejus corrupta et mutata, perpetuoque [pro parte sua] fuit damnata, non hanc elegit Deus : ideo reparari potuimus et in pristinam restitui dignitatem. Deus suam nobilem, amantem naturam integram retinuit, idcirco se *a nobis* continere non potuit. Deus extemplo abjecit Luciferum, æterno carcere condemnatum ; Adam vero pie sequitur interrogans ubi sit, ipsumque ad viam reduxit. Lucifer non habuit nisi simplicem in Deo naturam, quæ perdita nequaquam potuit reparari. Homo plenam in sancta Trinitate habet naturam, quam [Deus] etiam propriis manibus creando formare dignatus est. Qui suæ sanctæ creationis diligentia frustratus, coactus in seipso delectatione æterna voluit nos recolligere suis manibus et pedibus, propter magnam naturæ conformitatem. Si homo in paradiso mansisset, Deus cum ipso singulariter [omni hora] affuisset, animam ipsius alloquens et salutans, corpus lætificans *et confirmans* (*a*). Vidi Dominum de cœlo in paradiso venientem, similem Angelo glorioso. Hæc eadem natura cogit ipsum ut cognitione in præsenti et devotione intima nos salutet, prout virtutibus et innocentia invenerit præparatos. Cum mente revolvo quod divina natura in se carnem et ossa, corpus habet et animam, elevor cum gaudio longe super propriam dignitatem : Angelus est Dei signaculum, simplex tamen spiritus; anima vero cum carne sua cœlorum est domina, ad dexteram Dei residens, in gloria majestatis. Ibi oculus in oculo, spiritus in spiritu affluit deliciis; ibi manus manu contingitur, os ori colloquitur; [et cor

*a. conformans. Cod.* A.

corde salutatur] : *hæc est ineffabilis gloria, qua Dominus divinam* [1] *in sua sublimat et magnificat dignitate.* [Sic hospes ad dexteram suam honorat hospitam.] Verumtamen principes et ministri sancti Angeli divino semper assistant conspectui; quorum famulatus, omnisque laus humanitati Christi, quæ cœlorum est domina, tribuitur et ascribitur per gratiam unionis. Juxta quod hic *gratia* et sanctis virtutibus refulgemus, ministrorum nostrorum nobilitas æstimatur.

## VII. DE DESIDERIO VIRGINIS ET INCARNATIONE VERBI DEI.

V. 23. Vidi speciosam Virginem in suis orationibus constitutam : corpus quidem ejus ad terram inclinatum erat, divinitati vero spiritus elevatus intendebat. Nam antequam Christus cœlum suæ Crucis clave reseraret, non est tam sanctus inventus quisquam, qui posset vel *præsumeret* laboribus conscendere, vel desideriis attingere, vel amore complecti celsitudinem Trinitatis. Ipsa etiam Virgo mundissima, Adæ obstante peccato, capere nequivit, quam postmodum attigit spiritu, excellentiam majestatis. Verum inclinavit se interdum majestas, consolans amicos suos ut ejus intelligerent voluntatem. Amabant Prophetæ, ipsum [Dominum] invitantes [ut descenderet] ; præcipue tamen Virgo hæc altitudinem illam ad hæc infima voce sua melliflua inclinavit, dicens in orationibus suis : « Domine sancte Pater, gaudens gaudeo in te, gratias agens quod Unigenitum tuum ex utero virginis carnem sumere pro salute hominis constituisti, sicut per Prophetarum oracula spopondisti. Quam tantæ dignationis et salutis gratiam, ut humana consequatur indigentia, virginitate mea humili omnibusque donis mihi collatis, a te totis visceribus desidero impetrare. » *Missus ergo* angelus Gabriel *a Deo ad eam* astitit, fulgens cœlesti lumine et vestimento, cui in terris simile non videtur. Circumfulsit etiam Virginem lux divina, videnque Angelum expavescens, cum reverentia assurrexit. Intuens autem vultum coram se stantis Angeli, pudicitiæ suæ et virginitatis in eo similitudinem recognovit, stans cum disciplina erectis ad Deum sensibus, aure sua ad obedientiam

1. *lege* humanam.

inclinata. Tunc eam salutans Angelus, mittentis se ei exposuit voluntatem. Erant eloquia angelica cordi ejus *super mel* dulcia, replebanturque sensus ejus *delectatione divina*, animaque ejus facta est *calore Spiritus sancti* ignea; virginali tamen verecundia charitate Dei plena, quærens prudenter ab Angelo, delegationis suæ concupivit edoceri oraculo. Qui cum per Spiritum Sanctum quod nuntiabat complendum assereret, apertum est cor Virginis ad piæ voluntatis affectum et ad plenum divinissimæ conceptionis consensum. Et *humiliato corde et devoto spiritu* flexis genibus *inclinata* dixit : « Ecce ancilla Domini ; fiat mihi secundum verbum tuum ». Ad hanc vocem deprimentis se humillime virginitatis et desiderantis ardentissime charitatis, sanctæ Trinitatis infinita majestas et immensa benignitas exultavit. Stabat enim charitas, capite rore pleno, ad ostium Virginis et pulsabat, moxque ut dilatati cordis per fidem pessulum aperuit, Spiritu Sancto superveniente, virtuteque altissimi obumbrante, ex purissimis Virginis sanguinibus conceptus est desideratus cunctis gentibus, electus ex millibus, sempiterni Patris Filius, perfectus in anima et corpore Homo Deus, integritate salva, virginitate fœcunda. Exsurgens igitur Virgo *impregnata divinitus gratias agens* dixit : « Laudo te, Pater adorande, magnificasti enim me, eritque cœli et terræ mea progenies veneranda. »

### DE PARTU ET LACTE VIRGINALI ET INVOLUMENTIS VILIBUS CHRISTI NATI.

APPROPINQUANTE partus tempore, cum solent gravari et tristari puerperæ, *Evæ prævaricationis æmulæ*, levigata est et exultavit nova nostræ salutis puerpera. Quamvis enim uterus prægnantis tumesceret Virginis matris, non gravabatur tamen carne concepta de Spiritu Sancto Filii Dei Patris ; portabat enim Verbum, quod virtute sua portat et condidit universa. [Maria tempus nesciebat quo ex se Deus nasceretur, antequam ipsum in suo gremio videret.] Processit itaque natus in Bethleem diversorio, *mundi conditor* carens hospitio, *ut nos in cœlesti collocaret palatio*. In via nascitur

*via, ne erremus per devia, dum in hac tenebrosa peregrinamur via, lucente stella maris prævia.*

[Omnipotens Deus cum sua sapientia, æternus Filius cum sua humana veritate, Spiritus Sanctus cum sua delicata suavitate, totum pertransiit parietem, Mariæ corpus, in deliciarum extasi, sine quovis labore; qualis sol dulcem post rorem mox suos in jucunda quiete emittit radios.]

Aspiciens autem jam natum Virgo Filium, inclinans ad faciem speciosi infantuli caput suum, dixit: « Advenisti, innocens *et desiderabilis* Fili, omnipotens mi Domine; tua est universitas creaturæ. »

O jucundum indicium et stupendum miraculum! Dum conciperetur et in utero Virginis gestaretur, dum nasceretur et in gremio matris, priusquam in præsepio poneretur, dulciter foveretur puer iste, Trinitatis lux inaccessibilis tam potenter affuit, ignisque charitatis tam vehementer in corde Virginis Matris ardens ferbuit, quod infernalis spiritus, qui ubique insidiando circumvolat et circuit, nunquam terræ aut loco ubi Maria mansit sic appropinquare potuit, quod hoc inusitatum experiretur miraculum, quemadmodum infans venerit in hunc mundum.

Sumpsit itaque Virgo pannum asperum, qui sub Joseph sellula aselli tergo adhæserat, superioremque propriæ vestis partem, qua adhuc in utero latentem Deum contexerat [altera parte vestis circa se revincta]; hisque involumentis vilibus ac duris, regalis mater et delicata Virgo protexit debilia membra recenter ex se geniti Dei sui, eumque in præsepio reclinavit. Tunc vocem primam similem omnibus emisit plorans. Dicitur quousque parvuli sunt infantes, non plorant nisi legitimi doloris anxietate coacti; sic parvulus puer iste nobilis, *qui natus est nobis*, dum in vili stabulo pro peccato sordido super jumentorum duras stipulas locaretur, humani generis miseriam deplorabat. Ibi absconditæ sunt deliciæ et potentia majestatis. Tunc qui dat escam omni carni esuriit, et refriguit qui venit mittere ignem in terram, quo omnis fidelis anima accendatur.

Blandiens ergo materna compassione Virgo, parvulo puellari obsequio inclinata, dulcia ubera præbet nato. *Erantque de cœli rore redundantia, talis infantis alimento congrua,*

*et divinissimi corporis aptissima nutrimento. Delectabatur tunc infans ab ubere, materque de Filii misericordia et amore. Concinebant Angeli gloriam et laudem in excelsis, quippe parvulus in humanitate, Virgo mater in dignitate, partus in inaudita novitate.* Audite nunc *nova*, mira, *inaudita:* lucens pudicissimi, serenissimi visus floritio, et spiritualis virginalis vultus pulchritudo, affluensque ac redundans mundissimi cordis dulcedo, deliciosa quoque nobilis animæ jubilatio, Dei Patris voluntate ac Sancti Spiritus suavitate, pro incarnati Filii necessitate in pudici pectoris ubera sunt collectæ; fluxitque lac de Virginis corde sine afflictione et dolore. Suxitque tunc magnus Deus ut parvulus homo, et lætabatur mater [secreto], *quæ post partum lactabat Virgo.* [Angeli laudes canunt Deo.] Venerunt et pastores festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in præsepio. Et dixi ad Mariam : « Quo abiit *dilectus tuus sponsus* Joseph, *o pulcherrima mulierum ?* » « Civitatem, ait Virgo, ingressus est, ut panem pauperem parvosque pisciculos nobis emat, quibus cum aquæ poculo refecti Deo gratias referamus. » Et aio ad Virginem : « O Domina, tu pane pulcherrimo vinoque delicatissimo refici *super omnes hujus mundi reges et principes* meruisti. » « Nequaquam, ait humilis Virgo ; divitum sunt hæc, nec potest nostra paupertas hujusmodi comparare. »

### DE OBLATIONE MAGNIFICA TRIUM MAGORUM ET INSIDIIS SATANÆ.

Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in Oriente stella novæ claritatis apparuit, per quam Magorum intuentium corda nova gratia illustrantur. Dispositisque Regis muneribus in Judæam proficiscuntur, adoraturi parvulum quem radiante stella in mundo didicerant regnaturum, quos insidians, versute insecutus est Satanas in Bethleem, crudelique intuitu respexit parvulum *vagientem.* Quem dum tam magnificis muneribus a regibus conspiceret honorari, anxia cogitatione dicit intra se : « Heu me infelicem ! quid nunc accidit ? Forsitan hic puer est de quo prophetæ prædixerunt. Ad ejus concep-

tionem maculandam me venire Lucifer rex meus tam crebro mandavit, ut ejus durissimo universitas humani generis subjiceretur dominio, ac gehennali damnata periret supplicio. Nisi sine peccato conceptus foret et natus, a me non esset utique occultatus. Delusa est ars mea, et omnis versutia; revertar ergo ad Luciferum, imminentem nobis calamitatem significans, quia super nos confortabitur puer iste, et quomodo nostra sustinebit proterva calliditas, ut sibi donetur talis infirmitas? A sæculo non est infans natus, cui honor tam magnificus sit oblatus. » His auditis, inimicus dentibus infremuit, totaque infernalis officina tremuit, et dixit : « Si homo judex noster constitutus fuerit, formidabit et contremiscet fortitudo nostra coram omni homine, qui secundum ejus vixerit voluntatem. » « Egredere igitur, ait Lucifer ad Satanam, et accipe principes terræ in adjutorium cum magistratibus Judæorum, ipsosque instigando commone [quomodo illum in infantia interficiant, antequam eat ad scholam], *ne vivendo diutius quidquam adversus nostram fortitudinem moliatur.* » Veniens autem ad Herodem Satanas, in damnato homine similitudinem Luciferi, videlicet invidiam, superbiam et avaritiam, reperiit et conspexit. In hac similitudine possedit diabolus cor ejus, et diffundens se in omnibus sensibus ejus, sitim validam sanguinis innocentis immisit ei, quorum multa millia furibundus interfecit.

### DE LIBERALITATE VIRGINIS QUÆ DONA MAGORUM PAUPERIBUS EROGAVIT.

Accepta *in charitate fiducia* a Virgine Maria, sciscitabar quemadmodum solemnis illa trium Regum oblatio adeo defecerit, quod nec Agnum quem offeret pro Filio, habuit, *cum eum, secundum legem Moysis, in templo Domini præsentavit.* Respondit : « Pia effluens liberalitatis gratia, egentiumque compassionis misericordia, sanctæque intentionis paupertas voluntaria, illa me terrena substantia spoliaverunt. Agnus meus, quem in templo obtuli, est Jesus Christus omnipotentis Dei Filius, quem de meis genui visceribus; quem omnis in lege agnorum et animalium immolatio præfigurat. Aliam igitur agni hostiam offerre

non decuit, nec debui, oblata victima per quam omne sacrificium consummatur. Cum thesauro, quem Reges Deo Filioque meo obtulerunt, subveni omnibus quos inveni veraciter indigentes, pupillis, pauperibus, virginibusque desolatis, ut matrimoniis jungerentur, ne secundum legem tamquam adulteræ lapidarentur; postea alienigenis et advenis infirmis, et longævis senectute confectis de hoc thesauro largiter et misericorditer ministravi. »

DE VELO TEMPLI QUOD VIRGO DE OBLATO AURO COMPARAVIT.

« Post hanc erogatam eleemosynam et exhibitam in miseros pietatem, auri triginta marcæ meis opportunis necessitatibus remanserunt, de quorum pretio velum [1] templi sacris mysteriis plenum, [ad quod vulgus in suis orationibus posset convenire], constitui *divinitus inspirata*. Erat autem medietas ejus coloris nigri, et medietas altera candida albedine superfusa ; ad sinistram templi erat nigredo veli, significans tenebras et umbras legis veteris diuturnas, et erat depictum imaginibus coloris virentis acu pictum. Quamvis enim lex ad perfectum nihil perduxerit, erant cum sub lege a peccati ariditate immunes, legalibus tum observantiis obscurati ; expressit pictura hæc abominationes, quæ Dei irritabant furorem per culpas ut omnem diluvio carnem perderet, Noe justo cum sua familia conservato. Ad dexteram templi erat velum micantis albedinis, venustate nitidum, significans illustrem Mariæ virginitatem, quæ potens est ab omni nos anxietate et cordis molestia liberare ; erantque acu sutæ auro volatilium imagines, [quos Noe ex arca emiserat,] significantes eos qui virtutum alis gratia contemplationis semper ad sublimia sustolluntur. Inerat etiam specialiter pictura columbæ ramum olivæ in ore suo virentibus foliis deferentis, cujus os innoxium cadaver horrendum non contigerat et immundum. [In illa figurabantur qui quotidie cum novis virtutibus ad Deum veniunt, et attractu Sancti Spiritus in fideli ad cœlum volatu perdurant.]

1. en hungertuch. *Cod. B. in margine.* Vox ista proprie significat *velum jejunii*, scilicet, cortinam quæ in Quadragesima ante altare extenditur.

Per medium veli ubi albedo nigredini jungebatur, limbus[1] in medio aureus a summo usque deorsum descendebat. Per medium latitudinis veli coloris viridis opus textile[2] tendebatur pulcherrimum, gemmis pretiosissimis insignitum; hic veli hujus ornatus præcipuus mysterium est ligni pretiosissimi, quod corpus portavit Dominicum, quo cœli janua reseratur, vulnerum Christi malleis obex, quem Adæ peccatum objecerat, dissipatur. Bina hæc hujus veli pretiosa ornamenta, licet ab oculis multorum abscondita, erant tamen sanctæ Crucis expressio manifesta. Super hanc crucem acu picta lucebat species agni albi[3], insignis pretiosis lapidibus et auro valde rutilanti, [quasi igne probatum esset]. Hæc figura tunc impleta est, cum Agnus Dei [innocens] in charitate mortem in corpore suo pertulit super lignum; unde etiam velum figurale tunc scissum est, ut umbris cessantibus manifesta veritas adoretur.

Virgo nato parvulo tunicam tam subtili confecit suturæ artificio, ut eadem ampliandi facultatem retineret, et pro tempore dilatandi; eratque coloris subnigri, filis bistortis confecta. Joseph *vir justus* faber erat lignarius, pauperum operarius, pro vitæ necessitatibus suis laborans manibus. Maria autem apprehendens acum et fusum, *consilio manuum suarum* Filio et viro, sibique providit, et præbuit vestimentum. Qui dum in Ægyptum fugerent, ipsos Angelus Domini sic cœlesti circumfulsit lumine, ut lateret Satanam, qua maneret Dei Filius regione[4].

## DE INSIDIIS ET VERSUTIA SATANÆ INCITANTIS PHARISÆOS CONTRA CHRISTUM.

Cum autem Dominus Jesus Christus annos triginta implesset secundum humanam naturam, recognovit eum

1. en liste. *Cod. B. ad marg.*
2. en borte. *Cod. B. ad marg.*
3. en opherlamb als ez rehte verburnen solte. *Cod. B. ad marg.*
4. In originali dicitur quod hæc occultatio duraverit usque ad tentationem deserti. *Nota in margine codicis B.*

Satanas in deserto, et deinceps in multis miraculis gloriosis. Conversus ergo ad principes et pontifices magistratusque Judæorum, qui intus lupi rapaces existentes, foris ovinam innocentiam prætendebant, *callidis suggestionibus* persuasit, ut perversis sermonibus *veritati* Jesu resisterent, ejusque doctrinam non susciperent; ut in gloria lex Moysi permaneret. Reversus iterum Satanas ad Luciferum dixit : « Heu magister , necesse est ut intereat honor noster; inveni nunc inter peccatores virum cujus virtus et sapientia nostram et etiam cœlestem [1] superat. Nullam enim totis viribus meis, vel minimam, ei possum ingerere maculam, etiam levissimi cogitatus. » Tunc frendens et ut canis latrans Lucifer, infernalia urgens labia, dixit ad Satanam : « Omnem contra ipsum concitabis hominem, qui si super omnes est, omnem potest culpam evadere. » Satanas autem : « Magister, inquit, nos faciliter hunc timorem declinare possumus; multos enim video inter filios hominum qui sitiunt mortem ejus. » « Non sic , ait Lucifer, non sic : in hoc metuo periculum; nam qui virtute Altissimi a corporalibus infirmitatibus et morte homines tam facile liberat, si post mortem anima ejus ad nos descendere voluerit, liberabit suos, *qui hic originalis peccati vinculis detinentur*. Valde [enim] supra nostram virtutem eminet, qui sic potenter contra naturam ab omnibus doloribus et morte eripit *solo verbo*. Verumtamen propter Adæ culpam, ad inferni tenebras devolvetur; nullus enim Angelus vel homo damnatus sine crimine unquam fuit; si autem sine macula inventus, innocenter occisus fuerit, ab inferno anima ejus non detinebitur, *nec a morte corpus*; est namque solus nobilis et *inter mortuos* liber, et quæcumque voluerit perficiet, nec est qui resistere possit. Tu vero, Satana, facili versutia obtinebis quod nobis multitudo populi maxima societur; hoc autem totis viribus tyrannidis tuæ ages, ut ab omnibus despectionis pedibus conculcetur, maximisque et acutissimis cruciatibus torqueatur ; qui si purus homo est, in desperationem potest labi, et sic a nobis perpetuo detineri.

1. id est, quam in cœlo habuimus ante casum nostrum. *Nota in margine cod. B.*

## VIII. DE VERITATE SANGUINIS CHRISTI QUI DE LATERE EJUS POST MORTEM FLUXIT.

VI. 24. Mihi in gravi ægritudine laboranti manifestavit se, *infirmitatis humanæ singulare præsidium*, Jesus Christus, ostenditque mihi vulnus lateris sui dicens : « Aspice et attende quam diris me doloribus affecerunt. » Et dixi ad eum : « Cur, o Domine, tam immania tormenta pati voluisti, cum in tua pura oratione pretiosæ guttæ decurrentes in terram ad reparationem totius orbis suffecissent ? » Respondit mihi Dominus : « [Patri meo non suffecit]. Omnis enim paupertas, labor, passio, despectio portam cœli tangendo pulsaverunt, quousque sanguis Cordis mei effusus *per lanceam militis* terram irroravit. Tunc reserata est janua regni, *et patet ostium omnibus viatoribus desiderantibus introire.* » Et dixi ad Dominum : « O Domine, cum hic de tuo latere sanguis cum aqua flueret, mortuus extitisti, quomodo ergo de mortuorum cordibus sanguis effluit ? » Respondit mihi Dominus : « Corpus quidem meum tunc humanitus morti succubuerat, cum sanguis mei Cordis de latere exanimis corporis effluebat; sanguis quippe ille virtute divina sic emanando fluxit, quemadmodum lac quod de virginalibus uberibus Matris suxi. Immutabilis divinitatis majestas omnibus membris corporis mei unita, sic in morte perstitit ut post resurrectionem resumpsit, anima autem mea post diuturnum humanitatis mœrorem in divinitatis splendoribus requievit. Spiritualis vero meæ humanitatis imago dulcis, in idea majestatis suaviter omnibus supernatans, æternaliter eminebat.

## IX. DE SANCTIS QUI CUM CHRISTO RESURGENTE SURREXERUNT.

V. 9. In die qua Dominus noster Jesus Christus, triumphator mortis, gloriose ab inferis resurrexit, ressumptoque corpore clausoque sepulchro mirabiliter egressus est, Judæi et Gentiles confusione operti sunt, et ignominia contabuerunt ;

omnesque vere fideles æterni Patris complacito, Filii Dei potentia benedicti, Sancti Spiritus doctrina illustrati amplius claruerunt. Surrexerunt tunc cum Domino septuaginta viri. Isti præcepto divino valde se subjecerant. Hi dum in prælio cum Deo perstitissent invicti, fideles et justi sunt inventi ; dum tentati in siti gravissima aquam ad os manibus projecerunt. Horum animæ adeo sic sunt corporibus restitutæ, ut eos mortales fuisse homines non lateret. Sapor vero immundi fomitis, quem Adam ex pomo vetito momordit, qui posteritatis omnia membra penetravit, sanguisque maledictus, qui per Evam omne mulierum genus infecit, illis corporibus non adhæsit. Debebant enim divinitus cum ipso testes fieri, quod mors æterna mortua suum perdiderit tyrannicum dominatum ; ideoque deinceps mortui non sunt quia expertes fomitis extiterunt. Verumtamen ipsorum animæ a corporibus sine mortis cruciatibus sunt divisæ. Reservantur autem [corpora eorum] cum decore super aerem et super sidera collocata. Et cum more humano non sunt denuo mortui, ideo eorum corpora postmodum in terra recondi vel sepeliri non debuerunt Adam omnesque filii ejus fomitem hunc retinuerunt, sed et Eva cum filiabus, verecundiam sanguinis maledicti. Hoc est solummodo quod exorbitare facit carnem nostram, sensusque nostros inclinat obscurando, tandemque nobis commanens, amaræ morti subjicit et prosternit. Jesus Christus Dominus ab æterna morte nos eripuit, et æternitatis nobis aditum per pœnitentiam præparavit. Alias tamen pœnalitates non abstulit, *sed propter exercitium virtutis reliquit*, tribuens consolationes, consilia, doctrinam, per quæ infirmitatis hujus molestiam evadere et ad sanitatem convalescere valeamus.

## X. DE GLORIOSA FILII ASCENSIONE DUM ASCENDERET AD PATREM.

REVERTENTEM ab exilio Pater æternus post triumphum Filium coæternum sic excepit congaudendo, prorumpens in jubilum : « Advenisti, venerabilis, consubstantialis V. 27.

mihi et Spiritui meo Fili ; dextera majestatis meæ in tuis operibus, gloria mea in tua fulget ineffabili potestate ; virtus mea in tuæ congressionis miro certamine, laus mea in glorioso trophæo tuæ victoriæ, in tuo adventu desideriorum meorum voluntas, in tuo ascensu mirabilium meorum novitas, in tuo judicio consiliorum meorum profunditas adimpletur. Immaculata, quam conspectui meo offers, sponsa mihi tibique perpetuo conregnabit. Mea divinitas corona gloriæ tibi est. Tu in assumpta humanitate Filius meus es, utriusque Spiritus una voluntas, una operatio, una virtus in omnibus ; sine fine ex principio est anima tua, hujus Trinitatis proxima sponsa. O quam deliciose Christi anima in hac individua ludens jucundatur Trinitate, quemadmodum admirabilis scintillatio in sole discurrens claritate, quam nemo nisi pergratissimis oculis intuetur !

## XI. DE OCTO DIEBUS HUMANITATIS CHRISTI.

1. 45. DILIGENTER *considera et devote octo redemptionis nostræ clarissimos dies*. Primus annuntiationis Dominicæ Verbique incarnati, qui est desiderii et felicitatis perpetuæ. Secundus nativitatis Christi incorruptæ, qui requiei beatæ amabilitatisque delicatissimæ merito nominatur. Tertius consecrationis corporis Christi in cœna, qui est fidelitatis et unionis. Quartus passionis, qui liberalitatis et charitatis maximæ appellatur. Quintus resurrectionis, qui est majestatis et lætitiæ. Sextus ascensionis, qui fidei et exilii *terminus et* gemitus *in capite et membris sibi cohærentibus* nuncupatur. Septimus dies Spiritus Sancti Pentecostes , qui est veritatis et ardentis consolationis. Octavus extremi judicii et examinis, qui justitiæ et veritatis confirmatio comprobatur. Hujus hebdomadæ septem dies cum devotione semper decet nos recolere, ut ad octavam valeamus securi pertingere, *qui magnus erit et terribilis, in quo creatura movebitur universa ; accipietque finem peccatum et prævaricatio ; justi quoque accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini*, et regnabunt cum ipso *in sæcula sæculorum*.

## XII. DE SPIRITUALI ANIMÆ PASSIONE QUA CHRISTO CONFORMATUR ET COMPATITUR UT CONREGNARE MEREATUR.

AMANS et colens Deum anima trahitur ad eum suspirando, venditur mœrore sui amoris, quæritur lacrymis pro ipso [dilecto quem tam libenter possideret] fusis, capitur in prima cognitione, cum osculum dulce a Deo suscipit unionis. Comprehenditur sacris meditationibus, ut carnem mortificet ne rebellet; ligatur Sancti Spiritus potentia, fitque felix ex ejus præsentia; colaphizatur *in salutari* deficiens, æternæ lucis adhuc expers; judicatur tremens et erubescens peccatorum maculas, propter quas secretorum Dei patitur ignorantias; benigne ad omnia respondet cum patientia, nec cuiquam nisi dulcia loquitur tanta clementia; alapis in judicio cæditur, cum a diabolo spiritualiter tentatur. Ad Herodem mittitur, [cum se ipsam vilem et indignam confitetur et cum grandibus suis cogitationibus aspernatur. Ad Pilatum remittitur], cum implicari terrestribus compellitur. Dura flagella sustinet, dum corpori suo necessaria providet. Vestibus tunc plane spoliatur, cum charitatis purpura cœlitus decoratur. Regio diademate insignis fit, cum remunerationem pro meritis non requirit. Irrisione sacræ levitatis despicitur, cum in Deum absorpta humanæ prudentiæ expers efficitur. Genibus coram se positis illuditur, cum omni creaturæ humiliter subjicitur. [Oculi ejus velantur per sui corporis ignobilitatem, cum in ejus tenebris detenta tantopere dolet.] Arundine caput ejus tunditur, cum ipsius sanctitas fatuitas reputatur. Crucem pie portat, cum in afflictione Domino [sincere] se commendat. Clavis cruci clavo fortis amoris affigitur, a quo nullius creaturæ affectione retrahitur. Sitit, in cruce amoris deficiens, vinum merum salutis omnium [Dei filiorum] cupiens; sed proh dolor! malitia infinitæ multitudinis offertur ori ejus fel amaritudinis. Corpus ejus in amore vitali moritur, cum supra humanos sensus spiritus ejus erigitur. Post hanc mortem cum potentia descendit ad inferos, desolatas animas consolans suis orationibus, ignaris corporis viribus. III. 10.

Transfigitur in latere cæci amoris lancea, de cujus corde profluit sacræ doctrinæ scientia. In altum ad æterni solis calorem in cruce superni amoris leni Sancti Spiritus aura suspenditur, ut arescat perfecte *velut testa* a terrenis omnibus virtus ejus. Dicens ergo : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, quia jam consummata et perfecta sunt omnia, beato fine de cruce sua solvitur; et in sepulcro profundæ humilitatis ponitur, indigniorem se reputans omnibus creaturis. Cumque in delicato sponsi thalamo amoris dulcia miscuerit eulogia, die solemni Paschæ resurgit lætabunda. Deinde mane per Mariam consolatur alios, cum plenam a Deo securitatem percipit quod in amoris pœnitentia ejus peccata diluerit sua clementia. Ad discipulos clausis januis ingreditur, cum sensibus exterioribus divinum dogma frequenter ab ipsa proponitur. Ascensura in cœlum [de Jerusalem], id est, de Ecclesia, cum virtutum turmis egreditur, corpusque sensibile turbatum confunditur, cupiens secundum suam naturam suam voluntatem perficere. Dicit ergo ei : Ego tibi præsideo; mihi teneris in omnibus obedire. Nisi ego abiero, tibi a Spiritu Sancto non veniet consolatio. Ascendit ad cœlestia, cum eidem ex Dei gratia vilescunt hæc terrestria. Suscipitur in nube candida protectionis Dominicæ, dum amabiliter progreditur, et cum jucunditate in excelsis suscipitur. Angeli consolantur discipulos, cum electorum gesta recordamur et exempla veneramur.

Hæc est mystica et felix compassio, et crux in qua cum Apostolo configimur Christo et compatimur ut cum ipso postmodum conregnemus.

## XIII. ITEM, QUALITER FIDELIS ANIMA CHRISTO CONFORMATUR.

DIE *quadam, dum Sorores omnes ad audiendum verbum Dei properarent, remansit Soror Mechtildis sola in quodam cubiculo clausa. Cœpit contristari et mœsta esse, dicens in corde suo : « Heu me, Domine, quod verbo tuo auscultando propter infirmitatem non valeo misera interesse ! » Mox apparuit ei consolator mœrentium in habitu*
I. 29. *Prædicatorum, et dixit ei :* « Vide, mea sponsa : *et* aspice

oculorum meorum claritatem, oris mei veritatem, Cordis igneam charitatem, brachiorum strenuitatem, pedum velocitatem, et sequere me. Oportet te complantari similitudini mortis meæ. Tradent enim te per invidiam, quærent per insidias, capient per odium, [alligabunt par calumniam,] velabunt faciem tuam per mendacium, colaphizabunt per amaram despectionem et irrisionem. Portabis hic patienter vincula per obedientiam ; judicium per confessionem, alapas per satisfactionem, flagella per paupertatem, [mitti ad Herodem per irrisionem], spinis coronari per tentationem, conspui per abjectionem, vestibus exui et reindui per exilii elongationem. Bajulabis crucem, peccatum odiendo ; crucifigeris votorum tuorum protractione ; figeris in cruce virtutum operatione, vulneraberis amando, morieris in cruce immobiliter perseverando. Aperietur cor tuum lancea per amorem. Solveris a cruce per hostium devictionem ; sepelieris per humiliationem ; resurges a morte per devotam expirationem ; ad cœlos duceris per Spiritus Dei attractionem. »

## XIV. DE EXCELLENTIIS ANIMÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, SALVATORIS NOSTRI.

NOCTIBUS cum a somno evigilo, nitor prudenter et attento si ego misera pro infideli christianorum multitudine, per quam Dilectus meus tam incessanter offenditur, valeam deprecari. Interdum in aliam viam deducit me, [in qua nec pons nec scala occurrit] sequorque eum nudis pedibus et corpore, a terrenis scilicet separata. Quis [enim] tam facile hominem cohiberet, et animam sursum erigeret, sensus tam excellenter illustraret, sicut Deus qui nos creavit et in nobis mirabilia facit. Sic cogitavi nocte [quadam] cum corde meo, in dulci affectione animæ meæ, absque omni labore, de sanctissima Trinitate; et ecce vidi in excelso ejus, sine desiderio, animam Domini nostri Jesu Christi. Ipsa incessanter super omnem exaltata dignitatem in sancta permanens Trinitate ; ibi circumdata mirabiliter et ornata, et super omnem creaturarum pulchritudinem irradiata, transparet in trium excellentia per- VI. 16.

sonarum. Concupivi ergo, cum maxima sicut oportet disciplina, ut ad ipsius gloriam loqui liceret cum illa anima benedicta. Intellexi enim quod singularia per ipsam fierent mirabilia. Et ecce rapta sum ad ipsam, et eam salutavi dicens : « Benedicta sis tu, prædilecta, quæ mira operaris in hoc æternitatis [1] speculo, in quo se omnes electi mirabiliter intuentur. Tu dulci exerceris labore in deliciosa jucunditate. » Respondit gloriosa anima miserabili : « Bene venisti, similitudo mea, nam et ego sicut et tu anima sum ; ego onus omnium portavi et sustuli animarum in meo corpore innocenti. Hoc est officium meum : ego sine intermissione contingo profundissimam divinitatem, moneoque cœlestem Patrem, et ad mentem revoco sibi eam qua animas diligit interminabilem charitatem. Saluto quoque meam divinissimam humanitatem, gratias agens de mea felicitate ; revoco memoriæ ipsius suam societatem, quoniam et ipse homo terrestris fuit, memineritque unde venerit, magnificans ac nobilitans consanguinitatem nostram in seipso, et perire non sinat hominem, quia nullus suæ nativitatis exordium fuit : *nisi tu Deus Dei Filius solus.* Tu enim tuam nativitatem ordinasti, quam sine peccato de Spiritu Sancto procreasti. Sic divinam flagito humanitatem et inclino ad misericordiam singularem, ut recogitet hominis fragilitatem, *hostiumque ipsius crudelitatem*, et contra ipsos pugnandi observo corde continuam necessitatem, cum nondum sit liber ab hostibus, quod oportet ut homo sit usque ad mortem, in continua pugna velut vir bene armatus, cujus tamen velati sunt oculi, tenebris videlicet humanæ fragilitatis. Memento, Fili Dei nobilissime, quam misere in terris conturbata sum in te, et cunctis mortalibus paterna pietate assiste, qui meam, quia tua sum anima, similitudinem gerunt in se. Spiritum quoque Sanctum invoco, cujus gratia replet orbem terrarum, per quam donorum omnium influxit plenitudo. Quod si tu, Pater æterne, obice justitiæ tuæ regni cœlestis aditum, ne [infelix] peccator ingrediatur, obstruxeris, hoc ad Jesum Filium tuum quærulosa refero, qui clavem regni tui cum potestate omnipotentiæ tuæ in humanitatis suæ dextera tenet,

1. Trinitatis. *Cod.* A.

Judaïci populi manibus fabricatam in terra, *in qua obses et captivus populus tuus detinetur*, quem cum Jesus ad aperiendum commoverit, venia abjecto non negabitur peccatori.

### DE (RESPONSIONE PATRIS SUPER) INTERPELLATIONE FILII AD PATREM PRO PECCATORIBUS.

Hæc est responsio Dei Patris : « Cor meum non sustinet ut a se peccatorem repellat. Sequor ergo tamdiu plurimos, quousque apprehendam eos. Quos in tam angusto conservo loco, quo me nullus consequi poterit intellectu. » Ad hæc anima Christi : « Hæc est mea dignitas, et sic ornata decore divinitas corona mea est, humanitas præmium meum. Spiritus Sanctus circumdedit me et sic deliciose transfluxit, ut nulla mihi similari vel attingere valeat creatura. Hoc modo sine intermissione sanctæ Trinitati omnes [de hora ad horam] offero peccatores, ne in profundum abyssi perpetuo demergantur. Illa vero juvencula, cujus uterus, dum de sinu Patris egrederer, meum fuit hospitium, est pudicitiæ defensatrix, tentatorum advocata, qui fideli timore sanctam reverentur Trinitatem. Judicium enim adhuc pendet in hujus Virginis bonitate. »

### XV. DE DESIDERIO AMANTIS ANIMÆ.

« O nobilis aquila, o mansuetus Agnus, o ardor igneus, succende intima cordis mei; usquequo tam arida permanebo ! una morula gravis mihi est : una dies mille anni ante oculos meos sunt. Octo dierum spatium quibus alienus mihi fueris, pro inferno computo ; amanti enim tolerabilior est mors corporis quam ejus alienatio ab aspectu Creatoris. Philomela jubilat [ad quod eam amor incensat, a quo eam impedit, mortem ei ingerit. Igitur, Deus omnipotens, intuere angustias cordis mei. » Cui respondit Spiritus Sanctus : « Præpara te, o nobilis juvencula ; dilectus tuus ad te venit II. 3.

cum gloria. » Expavit ergo lætificata ex intimo et dixit : « Eia, fidelis legate, utinam, ut loqueris, properaret ad me! ego tam vilis tamque sum infidelis, ut sine ejus præsentia requiem non inveniat mens mea ; cum ipsum adesse sensero, et ex ejus amore refrigerium capio; ex omni parte dolorem sustineo, tamen in hoc gaudeo, quod post ipsum mœrens curro. »

Dicit ei nuntius : « Oportet te purgare, pulverem aqua respergere, lectum præparare et flores in cubili spargere. » Respondit exul anima : « Cum purgo, erubesco ; cum perfundo, ploro ; cum lectum sterno, spero ; cum flores colligo, amo; cum Dominus meus advenerit, spontanea occurro : venit enim cum ipso dulcis symphonia, per quam moritur in me omnis carnis concupiscentia, ejusque melodia [adeo est omnis plena suavitatis quod] elongat a me omnem cordis molestiam.

## DE PATRE ET FILIO ET SPIRITU SANCTO, ET ANGELIS.

Lingua divinitatis veridica locuta est in me verba virtutis magnifica, quæ suscepit parvula humilitatis meæ auricula. Lux quoque splendidissima oculis mentis meæ illuxit, in qua prospexi ineffabilem ordinationem, innumerabilem gloriam, et incomprehensibilia mirabilia. Vidi etiam singularem et amabiles contactus cum distinctione, et sufficientiam delectabilem ; in summo, magnam in cognitione disciplinam, fruitionem cum distributione, secundum virtutem capacitatis animæ diligentis. Conspexi etiam impermixtum gaudium, in societate unitatis, viventemque vitam æternitatis, sicut nunc est in sæcula sæculorum. Vidi præterea quatuor sagittas de nobilissimo ac fortissimo sanctæ Trinitatis arcu simul directas, per novem Ordines Angelorum quibus nec dives, nec pauper intactus remanet, sed omnes amabiliter vulnerantur. Sagitta divinitatis penetrat eos incomprehenso lumine ; amans Christi humanitas fraterna societate : Spiritus Sanctus tangit eos effluenti et æterna deliciositate ; indivisus Deus splendoribus eos satiat suæ mellifluæ speciei ; replens eos affluentia

dulcedinis spiritus oris sui. Aspexi etiam quomodo ambulant sine labore, sicut avis pennam non movens in aere, et quomodo pergunt, quo libet, cum anima et corpore, manentque in suo sine fine ordine. Vidi quomodo divinitas clangit, humanitas cantat, Spiritus Sanctus citharizat; quibus concinit omnis electorum chorus cum clangore, quorum mentes extenduntur in amore.

### DE UBERIBUS VIRGINIS MATRIS ET VULNERIBUS JESU CHRISTI.

Vidi post hoc illud vas honorabile, quo Christus novem mensibus requievit cum corpore et anima, sicut permansurum est in sæcula. Cujus in novissimo magnificentior erit gloria, cum electi omnes conveniunt in patria. Vidi etiam qualiter Regina cœli stat in throno in Patris gloria, manifesta in omni virginalis dispositionis natura, corpusque ejus contemperatum et formatum in lucernam nobilem ipsius animæ præelectæ. Vidique ejus ubera incorrupta plena lacte mellifluo, stillantia in honorem Dei Patris, pro dilectione hominis, qui omni quodam modo perfectior creatura est. Nempe mirantur angelicæ potestates, quod humanos super se intuentur principes exaltatos; [sicque omnino laudabile est nostrum genus plene hic adesse.]

Ad dexteram Dei Patris stat Jesus Redemptor noster, patentibus vulneribus, non alligatis, sanguine perfusis, ut Patris placet justitiam quæ peccatoribus minatur vindictam. Nam quousque finem non habet prævaricatio super terram, tamdiu vulnera Christi patebunt hiantia, sanguinea sine pœna. Post diem vero judicii induetur Christus alio vestimento, quod nisi per revelationem nescio an quis viderit. Tunc illa dilecta vulnera sanabuntur, eruntque ac si rosarum foliis sunt contecta, ibique videbuntur cicatrices amoris delectabiles, quæ in perpetuum non delentur. Tunc Creator omnem renovabit creaturam, ut non deficiat in æternum. Lingua [teutonica] mihi deficit, et latinum non cognosco; quidquid boni hic sonuit a me non prodiit, nec in me fuit. Verum canis, quantumcumque

vilis et stolidus, festinat ad dominum, panis buccella modica advocatus.

## XVI. COMMENDATIO ET LAUS VIRGINIS MATRIS ET DE PRÆDESTINATIONE GLORIÆ EJUS ANTEQUAM NASCERETUR IN MUNDO.

I. 22. Dulcis stilla roris incomprehensibilis Trinitatis de fonte veræ divinitatis respersa est super florem electæ virginitatis, cujus fructus est Deus immortalis, factus homo mortalis, qui est consolatio viva futuræ immortalitatis. Et ecce Redemptor noster factus est sponsus, et sponsa arsit ex aspectu [nobilis] vultus ejus. Ex summa virtute deficit a seipsa, in præclara pulchritudine cæcatur in seipsa, et in [maxima] cæcitate clarissime intuetur, in qua claritate [simul] vivens et mortua demoratur; cujus mors quanto diuturnior [tanto jucundior] vita, et quanto jucundius vivit, tanto amplius experitur. Hic quanto minoratur, tanto majus effluit; et quanto plus timet... tanto ditior efficitur, quanto pauperior est; tanto manet profundius, [quanto latius extenditur;] et quo potentior est, eo longanimior est et quo profundiora ejus vulnera sunt, eo ad pugnandum audacior invenitur. Quanto amabilior ei Deus præsens est, tanto altius nititur, et quanto clarius lucet ex refulgentia divina, tanto eidem lumini appropinquat. Mira res! Ista quanto plus laborat, tanto tranquillius quiescit, et quo plus comprehendit, eo facilius conticescit. Quanto altius clamat, tanto virtute Dei plusquam valet, operatur. Quanto delectatio sponsi crescit, tanto solemniores nuptiæ celebrantur; et quo osculum oris sapit dulcius, tanto se mutuo amicitius speculantur; et quo difficilius separantur, eo sponsi donis cumulatur; et quo magis expenderit, eo plus habet. Hæc quanto humilius sponsum discedendo relinquit, tanto citius redit; et quo calidior manet, eo facilius scintillat; et quo magis ardet, eo clarius lucet; et quanto laus Dei dilatatur, tanto ista avarior reperitur.

### DE SPECIALI NOBILITATE HUMANÆ ANIMÆ.

Eia, Redemptor noster factus est sponsus, utique in jubilo beatissimæ Trinitatis; cum enim Deus se in seipso continere non voluit, animam condidit, et seipsum illi proprie tradidit, nimio præ amore. Unde creata es, o anima, quæ sic præcellis omnem creaturam, et præstantissimæ Trinitati jungeris, manens integra in teipsa. Respondit anima: « Tu de meo principio enuntiasti, et ego vere dico tibi, quod ego ibi creata sum in amore, ideo nihil meam nobilitatem consolari vel liberare potest nisi solus amor.

### QUALITER DE PLENITUDINE MATRIS MISERICORDIÆ SANCTI ET PECCATORES RESTAURANTUR UNIVERSI.

Domina mea sancta Maria, quorum mirabilium tu es mater, quando tanta gloria collata est tibi! Respondit Virgo: « Cum Dei Patris jubilus per casum Adæ turbatus juste irasceretur, hunc furorem omnipotentem mecum ei coæqualis sapientia intercepit; tunc Pater pius ut haberet quod diligeret, in sponsam me elegit; mortua enim erat anima quam formaverat sibi sponsam; elegit quoque me Filius Dei in Matrem et Spiritus Sanctus in dilectam, eramque sola sponsa Trinitatis, et mater piorum orphanorum, protegens eos coram oculis ejus, ne omnes sicut plurimi interirent. Cumque sic exulum mater essem, repleta sunt ubera mea impolluto lacte largissimæ miserationis, ut lactarem prophetas et vates, antequam nascerer corporaliter huic mundo. Dehinc in pueritia lactavi *meum et omnium Dominum* Jesum Christum. Ex hoc in juventute lac præbui Ecclesiæ sponsæ Dei, stans sub Cruce, ubi arens et misera facta, pertuli gladium pœnæ filii mei Jesu animam meam spiritualiter penetrantem. Tunc Filii Dei vulnera et matris ejus ubera patuerunt. Vulnera fuderunt et [ubera] fluxerunt, et revixit anima et sanata est *tam salubri poculo delibata.*

Cum sic de patentibus vulneribus nata et vivificata fuit, infans erat et infirma; quæ si incrementum vitæ acceptura erat, necesse fuit ut mater Dei mater ejus et nutrix esset; nec immerito; nam Deus legitimus Pater ejus, simul et Virgo sponsa *(a)* ejus simillima ei in omnibus membris ejus.

### QUOD EJUS BENEFICIO OMNES STATUS ECCLESIÆ RENOVENTUR.

DOMINA, in senectute tua sanctis Apostolis [maternæ] doctrinæ et [validæ] orationis ubera præbuisti, ut in eis Deus suam gloriam, et tuam *(b)* perficeret voluntatem; martyres quoque fidei fortitudine, confessores Ecclesiæ defensione, virgines tua integritate, viduas constantiæ stabilitate, conjugatos pietate, peccatores lactas et foves benigna longanimitate. Domina Mater, necesse est ut adhuc nos lactes et nutrias, nam ubera tua adhuc adeo sunt plena quod non deficiunt nec arescunt. Quæ si recusares præbere sitientibus lac miserationis, et sitis nostræ ariditas te urgeret. Ego namque vidi ubera tua lactis plenitudine sic tumentia, quod septem venæ tamquam sagittæ ex uno ubere redundantes, simul corpus meum infunderent, et animam humectarent. In illa hora sustulisti a me laborem, quem nullus Dei amicus sine cordis molestia poterit tolerare. Sic, o Domina, usque ad novissimum diem tuis uberibus nos lactabis. Tunc enim omnes filii Dei ad incrementum perducti, ablactati, evellentur ab ubere cibo solido refovendi. Tunc cum ineffabili delectatione videbimus lac et ubera, quæ in terris osculatus est sæpius Dominus noster Dei Filius Jesus Christus.

*a.* mater. *Cod.* A.
*b.* suam. *Cod. teut.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XVII. QUOD VIRGO BEATA IMMUNIS AB OMNI PECCATO FUIT IN HAC VITA PER GRATIAM NON PER NATURAM.

O Maria, [gloriosa] imperatrix, [Mater Dei] et domina mea, interrogata sum si in carne vivens peccare potueris super terram. Spiritus Sanctus, sanctificator et inhabitator tuus, me instruxit quod culpas committere humanitus potuisti, cum in vera humanitatis femineaque natura nulloque ejusdem naturæ defectu omnipotentis Dei dextera te creavit, quæ et castitatem tuam nobilem pretiosamque reddidit coram ipso ; attamen insuper super omnes homines deificata per gratiam immunis ab omni peccato extitisti. *In tota vita tua similis angelicæ puritati permansisti.* Omnipotens quippe Pater tuam benigne protexit infantilem pueritiam, per prædestinationis electionisque providentiam sempiternam. Spiritus etiam Sanctus tuæ gratissimæ juventutis gubernavit florem per suavissimam suæ dilectionis præsentiam, *delectationisque divinissimæ internam experientiam.* Ipse quoque, Dei virtus et Dei sapientia, Jesus Christus, sicut florem roris stilla, universa tui corporis perlustravit membra, inhabitandoque penetravit viscera, quod tibi permanet perpetuo virginitas incorrupta. Naturam tuam occupavit [virtus sanctæ Trinitatis], quod in ea nunquam nec minimus motus illicitus pullulavit. Æterna sapientia omnipotentis divinitatis te sic, o Domina, obumbravit ut naturaliter secundum hominem viveres pœnalitatesque communes omnibus sine culpa sustineres, tuaque florens essentia, ne in nihilum in tam potenti [sole divinitatis] redigeretur, potentia firmaretur. In hac umbra refrigerii mirabilis gratissima concipiens, Jesum portasti sine pondere, et educasti Virgo materna dulcedine. Vere, Domina, Angelica legatio a summo Patre porrecta, immaculata nativitas Filii Dei ex te perfecta, sic te igne divino succenderat et lumine gratiæ perfunderat, ut merito rubus incombustus, ardens et lucens, visione præsignatus Moysi, nomineris. Deinceps, o Domina, refrigeravit te pauperies indiga, inquietudo eventuum varia, exilii protractio longissima, cordisque III. 4.

molestia gravissima. Verumtamen igne qui sine initio fomentoque *lucet et* ardet extraneo, qui tuæ mentis templum illustravit, intus in corde ardens inextinguibiliter permansisti ; cujus lucis claritas omnes a te tenebras expulit et fugavit.

## XVIII. DE INCOMPARABILIBUS REVELATIONIBUS.

V.23. in fine. Cum adhuc in hac peregrinatione terrena Regina cœli exularet, Virgo gloriosa loquebatur piis mentis affectibus ad dulcem Filium cum voluit. Filiusque matrem honorans venerabilem, ut oportuit, divinarum illuminationum responsionibus desideriorum suorum voces exaudivit, ut decuit. Unde confortata cordis molestias in patientia sustinuit et libenter. Hæc autem talis et tanta familiarium revelationum celsitudo nulli sanctorum est communicabilis, quorum etiam nullus fuit vel erit Matris Virginis dignitati similis.

Nam et illa specialissima Christi amatrix, cui dimissa sunt peccata multa, quæ ipso teste dilexit multum, a tam præcelsis illuminationibus longe fuit. Cum enim Dominum Jesum corporalibus oculis non videbat, vehementissime tristabatur, et cor ejus *amore languens* dolore inconsolabili vexabatur. Ardebat quidem charitate magna sed simplici, carens illuminationum plenitudine divinarum , donec adveniente [in Apostolos] Spiritu Sancto , divinitatis amore est magnificentius vulnerata. Nostra autem imperatrix, Dei Genitrix Maria, cujus anima præ omnibus creaturis ardentissima flagrabat divinitatis charitate, ac limpidissima sanctæ Trinitatis fulgebat cognitionis claritate, in omnibus Filii actionibus, passionibus, miraculis, glorificationibus, patienter et quiete disciplinam Patris sustinuit in humili molestia, in bonis et gloria Filii gaudens, et gratias agens in Domino exultavit.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XIX. DE FIDELI PATROCINIO MISERORUM.

PATRIS et Filii et Spiritus Sancti personalis Trinitatis et essentialis majestatis unitas, indiviso et ineffabili fluentis impetu, inenarrabilibus bonis, claritate eximia, cœlesti gloria, Mariæ vultui se offerunt et influunt bonitate consummata. Cujus magnificis irradiata fulgoribus resplendet ex intuitu præsentiæ majestatis. Replet nihilominus humilia charitatis vascula præ cæteris gloria et splendore In hac lucis fulguranti resplendentia, imperat cum potentia Mater luminis Virgo Maria, ac postulat humilitatis qua Deum conceperat reminiscens. VI. 39.

Nunquam in regno necessaria est Reginæ humilitas; reveretur honorans Mater Filium cum omnibus humilibus, corde super omnia præsidente. In omnibus quæ accepit Virgo beneficia clarificata, est in Dei præsentia; nam ea conservaverat incorrupta; præterea decoratur omnium perfectione virtutum, coronatur universarum prærogativa dignitatum, sicque refluit gratissima gaudens *et laudans* in Deum *qui est fons et largitor omnium gratiarum.* Porro ejus fruitio et cum Deo unio super omnes [purissimas] creaturas inenarrabilis est: quæ quanto hic humilior exstitit, et deiformior, tanto illic excellentior, cunctisque incredibili pulchritudine speciosior invenitur. Grandis est ejus virtus et ad repellendos ab hominibus dæmones; ideoque cum dulci memoria ejus attollamus præconia, ut ejus mereamur percipere suffragia in sæcula sæculorum. Amen.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER SECUNDUS

## I. DE ANGELIS, DE LAUDE CREATORIS PRO COLLATIS SIBI A DEO DONIS.

AUDI nunc aure cordis concentum laudis supernorum Spirituum in excelsis. « Gloria tibi Trinitas, Domine Deus, qui nos creasti tua omnipotentia, ordinasti tua sapientia, conservasti tuæ pietatis clementia. Benedicimus te, qui nos honoras suis mysteriis, foves bonis, reples donis, contines imperio majestatis. Adoramus te, Domine, qui nos sanctificas tua benignitate, illustras familiaritate, exaltas charitate, et perpetua claritate. » I. 6.

## II. DE EXCELLENTIA ANGELI ET HOMINIS AD INVICEM COMPARATA.

O ANIMA, unum de duobus dicito quod magis cupias et præoptes : velles ne unus esse Seraphim, vel homo in infimo ordine Angelorum? » Respondit anima : « Tu nosti quod beata Seraphim unus cum Deo spiritus dilectionis ardore igneo et lumine sunt præexcelsi. » « O anima, non te latet quod Angeli personæ simplices sunt, qui nec laudare, nec amare, nec agnoscere amplius possunt quam eis per gratiam est donatum. Hic infimus homo per fidem, per contri- II. 22.

tionem, per desiderium, per bonam voluntatem recompensat, licet ejus anima non tam fortiter in amore ferveat Creatoris. » « O contemplatio, tu prævidisti quod spiritus Seraphim et filii et famuli Dei sunt; anima autem Christiana[1] filia Patris, soror Filii et Spiritus Sancti est amica, et vere sanctæ Trinitatis sponsa. » His in statera appensis, quid præponderet videamus: Angelum *magni consilii*, Jesum Christum, qui unus cum Patre super omnes Angelos est, ego [paupercula anima] intimis meis complector brachiis, ejusque carnem manduco et sanguinem bibo, pro modulo meo; quod non possunt Angeli. Eo modo quoque divinitatis participatione anima mea et omnis corporis mei sensus sanabuntur; ideo nequaquam Angelicorum Spirituum beatitudini invidebo.

## III. DE MINISTERIO ANGELORUM.

VI. 41. COGITIS me ulterius scribere, sed non possum; nam deliciæ, honor, claritas, amicabilitas, veritas, sic meam intelligentiam excedunt, quod prorsus obmutesco et obstupesco, nec eloqui valeo quod cognosco. Verumtamen est in cœlis in uniuscujusque hominis pectore speculum summæ Trinitatis, cujus splendores penetrant adeo ut cognoscantur corporis opera gratuita, animæque dona spiritualia, quæ accepit. In hoc splendore fulgido refulget Filius in Patre, et Spiritus Sanctus in utroque; fulgor autem Angelicus amoris micat lumine; amant enim nos, nostramque promovent salutem, absque labore serviunt, crescitque eorum præmium quousque stat hoc sæculum. [Verus Deus amor eamdem virtutem in Angelis quam in hominibus possidet; nos vero cum labore servimus, quapropter in peccatum defectibiles sumus.]

1 Cf. *Legatus*, Lib. III. c. 9.

## IV. DE OFFICIO ANGELORUM ET EXPUGNATIONE DÆMONUM.

PECCATOR compunctus per gratiam, tribus modis per pœnitentiam restauratur, ut sigillo [per peccatum in nobis confracto]. quod in carne Christi in cruce *clavis et lancea* effossum est, imprimi mereatur. Primo, pro culpa commissa tam acriter doleat, ut in corde, quod malum concepit, sit salubris tristitia; in sensu, qui delectatus est, verecundia; in actione, quæ scandalizavit, exemplaris vita. Hæc compunctio Patri cœlesti reconciliat, et a pœnis infernalibus liberat pœnitentem. Secundo peccator satisfaciat studiosa operatione, perseveranti securitate et tentationum omnium victoriosa conculcatione. Tertio, sequitur efficacissima compunctio, videlicet amantis animæ charitas, quæ magis æternas pœnas eligeret quam Dilectum suum mortali crimine offenderet. Pœnitentialis amor hominem in hac vita sanctificat, et exaltando glorificat in æterna. Cum ad hunc statum felix anima pervenerit, tunc plus Deum quam se diligit, et culpam super omnia detestatur. V. 1.

Qui hac triplici pœnitentia dotatus fuerit, hunc Spiritus divinus sine intermissione irradiat, fitque ex mutua resplendentia candens, sicut in clypeos aureos sol refulgens. Estque hæc refulgentia virtuosa, et apparens magnifice coram beatis et purgandis et damnatis. Huic animæ superiores Angeli familiaritate junguntur speciali, in hoc ipso splendore flammeo et ignito. Illi enim angelici spiritus et hominum spiritus connaturali conformitate castitatis sociantur; verum corporalis voluntaria castitas ex charitate assumpta, animam decorat et amabiliter superornat: Angeli inferiores in nostrum ministerium deputati, fideli nos custodia promoventes, noxia cuncta removent, et salutaria in nobis consiliis et orationibus suis fovent. Attamen igneus et magnificus splendor a Patre luminum in amantem animam descendens, dæmones terret, ne audeant illum divinitatis radium pertransire. Erubescunt igitur et vehementer confunduntur, quod vias in aere a Deo concessas, sic præcludit terrestris hominis

charitas. Vias peccatorum qui eos admittunt pertranseunt, sed ubi animam amantem in corpore conspiciunt, procul territi illico fugiunt, nec licet eis aerem inficere in quo constat amantes animas habitare. Tentationes quas ingerunt a terrenis semper incipiunt; quas nos Angelico suffulti suffragio fideque confortati vincamus, et erigamur ad Dominum orationibus ferventius insistentes. Tunc informati sicut cera liquescent et cadent a facie Dei dissipati.

## TRACTATUS DE SANCTIS.

### V. DE MISSA SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

II. 4. NIHIL offertur Deo ditius bona voluntate, [etiamsi opus perfici nequeat.] *Velle enim sæpe adjacet nobis, sed perficere non invenimus; Deus vero operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* [Quod pauperculæ, cum nihil posset, nec heu! divino Officio interesse, Dominus ostendit.] Et dixi ad Dominum: « O Domine, numquid hodie Missa carebo? Mox rapta in spiritu invenit se in templo glorioso, in quo prorsus nullus erat. Cogitabat ergo intra se dicens: « O misera et pigra, cum nimis tarde veneris, quid tibi proficit huc venisse? » Et ecce venit juvenis portans florum manipulum candidorum, quos in turri dispergens ecclesiæ abiit. Aderat alter ferens pondus violarum, quos in medio templi spargit. Venit tertius rosarum deferens manipulum, quas decenter sparsit ante altare Mariæ Virginis gloriosæ. Affuit quartus onustus liliis, quæ in choro dispergendo adaptavit. Quibus paratis, inclinantes reverenter discesserunt. Erant hi nobiles, et tam ad intuendum speciosi, ut quantumcumque homo gravi torqueretur corporis ægritudine ipsos aspiciens sanaretur. Advenerunt autem duo [scholares] albis induti, portantes lumina bina, quibus super altare locatis, inclinantes cum disciplina in choro stantes remanserunt. Et ecce venit vir mediocriter longus, valde macie confectus, non tamen antiquus. Vestes ejus viles et adeo pauperes, ut nuda ejus crura et brachia apparerent. Erat autem lucens in

pectore ejus agnus candidus. Duas ampullas in digitis suis gessit. Qui ad altare accedens agnum superposuit, et devotissime inclinavit. Hic erat Joannes Baptista, qui celebraturus erat Missam. Venit quoque juvenis delicatissimus in suis gestibus, præferens in pectore suo aquilam *avem* regiam; et hic erat Joannes Evangelista. Accessit etiam quidam homo simplex, videlicet Apostolus sanctus Petrus. Supervenit etiam magnus juvenis præparamenta deferens, quibus prædicti tres induti solemniter ornabantur. Tunc multitudo cœlestis familiæ superveniens templum replevit, adeo quod paupercula ancilla in eo locum ubi requiesceret non invenit. Abiit ergo ad inferiorem partem Ecclesiæ, ubi vidit homines in vestibus albis, non habentes capillos sed coronas simplices in capitibus suis. Hi sunt qui rite secundum legem matrimonii non vixerunt, ideo decore capillorum, hoc est bonorum operum, caruerunt; ad regnum cœlorum veneruntquia per finalem pœnitentiam et bonæ voluntatis propositum sunt salvati. Procedens ulterius, conspexit homines pulchriores, vestibus coloris aerei, pulchraque cæsarie insignes, lege Domini coronatos, *qui sunt viri et feminæ in matrimonio legitime commanentes.* Adhuc amplioris speciei aspexit homines, habentes vestes coloris purpurei cum signo vidualis castimoniæ, et coronam assumptæ continentiæ propter Christum. Ancilla vero paupercula corpore debilis, vilibus utens indumentis, cum tribus consistere non poterat turmis istis.

### DE OFFICIO MISSÆ ET MINISTRIS.

Appropinquans autem choro, prædicta paupercula introspiciens vidit supremo in loco Reginam cœli, Matrem Virginem, consistentem, sanctamque Catharinam, Cæciliam, episcopos, martyres, Angelos et virgines valde multos. Hæc videns paupercula consideravit semetipsam, si posset præ sua tenuitate in tanta gloria locum obtinere. Tunc vidit se coloris fulvi pallio circumamictam, cujus textura charitas; et auxilium Dei omnisque desiderii boni erat ornatus ejus, et dulciter sic resonabat cantilena : « Ego libens morerer præ amore. » Viditque nobili se similem virgini

portans coronam auream, [et] hujus verbi scripturam : Oculi ejus in meis quiescunt; anima ejus in meam flectitur indefesse. Vultum quoque proprium Angelis similem recognovit, et dixit : « Heu me infelicem [pulverem], quia me talem non invenio qualem me esse debere hic aspiciens recognosco.

Universi in chòro assistentes suavi risu eam dulciter aspexerunt. Innuit ei Regina ut supra Catharinam juxta se assisteret. Quod et gratanter fecit; raro enim licuit sibi videre vel alloqui Matrem Dei : « O reginam nobilem, quæ juxta se statuere non dedignatur ignobilem; turtur, corniculam; *pauperem imperatrix; ancillam domina.* » Omnis illa familia vestibus aureis fulgida, circumfusa deliciis, luce solis clarior, sic intonuit dulci voce concinens : « Gaudeamus omnes in Domino. » Omnis illa concio audiens nomen Matris Virginis humiliter inclinavit; ipsa vero flexis genibus adoravit, quantum præ omnibus majora dona promeruit et accepit. Dixit autem paupercula [quæ ad hanc Missam venerat] ad eam : « O si liceret mihi, Domina, communicare, quantum hic malignos non video observatores; » et ait Domina : « Licet, sed prius confitere. » Innuitque Regina [cœlestis] Joanni Evangelistæ, [qui egressus peccatricis audiit confessionem.] Rogavit autem eum ut sibi dierum suorum numerum intimaret. Et ait Joannes : « Deus vult ut lateat te hoc, quia vitæ longiturnitas tibi propter multas angustias quas pateris, desidiam, aut certe temporis brevitas, cordis molestiam et prolixioris vitæ desiderium generaret.

Post hæc Joannes legit Evangelium : *Liber generationis.* Dicit iterum ad Reginam paupercula : « Numquid debeo offerre, o Domina. » Et ait : « Si non vis oblata resumere, offer. » « O Domina, ait paupercula, hoc tu mihi a Domino impetrabis. » Et regina : « Accipe, inquit, hunc aureum nummum, id est tuam voluntatem, et offer Filio meo, in prosperis quæ eveniunt et adversis. »

DE OBLATIONE PAUPERCULÆ ET COMMUNIONE EJUS.

Cum disciplinata gratitudine [et sancto timore] suscepit paupercula de manibus Reginæ inappreciabilem nummum. [Tunc nummum aspexit ut ejus inscriptionem cerneret.] Eratque imago Joseph Christum de cruce solventis insculpta denario una parte; et in reliqua regnum Dei [1] cum throno, cum novem ordinibus Angelorum; et dixit ei vox divina : « Si istum mihi denarium obtuleris, et non reacceperis, liberabo te de cruce tua mecum, et dedicam te ad me in regnum meum. « *Accessit ergo ad altare et sacrificavit voluntarie, ut edocta fuerat, Deo suo.*

Deinde sacerdos [qui fuerat] in utero matris suæ sanctificatus et a Sancto Spiritu consecratus, [secreto Missam celebravit.] Dum oblatum [candidum] in manus acciperet, Agnus quem in altari locaverat, inter verba consecrationis [sub signis manus ejus] pani se jungens, et Agno panis, ita transsubstantiatus est, ut panis speciem non viderem, sed cruentum Agnum in cruce purpurata suspensum. Qui tam benignissimo aspectu luminum dulcium in nos respexit, quod ejus a me memoria non recedat, sed mentem meam reficiet in æternum. Oravit ergo paupercula Dominam suam dicens : « Eia Mater electa, roga Filium tuum ut ipse per se mihi communicare dignetur. » Et lucens sagitta fulgurans ecce ex ore Reginæ super altare voto precis suæ Agnum tetigit, et vox Dei ex Agno sonuit, dicens : « Mater, ego libens me transfero in desiderii tui locum. » Accessit ergo [paupercula] ad altare cum multa charitate, et anima per Spiritum charitate gratiæ dilatata. Tunc sanctus Baptista sumens Agnum candidum sanguineis vulneribus cruentum in ara reposuit oris ejus. Ipse vero Agnus immaculatus super suam imaginem se reclinans in corporis stabulo, suxit, ore suavissimo ubera cordis ejus. Qui quanto magis suxit, tanto illa sugendi favens, sugi amplius concupivit. Nunc ea quæ hæc mysteria pros-

1. In originali sic legitur : In regno Dei novem chori et desuper tres throni. *Nota in margine cod. B.*

pexit, ex hoc mundo transiit; quam nos videre faciat rex Sanctorum in consortiis Angelorum. [Amen].

## VI. DE DIGNITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

V. 3 Dona Dei nequaquam capi possunt corporalibus sensibus vel attingi. Errant proinde frequentius in rebus spiritualibus non habentes intellectum invisibilis veritatis. Nam quod exteriori sensu percipitur, ipsi veritati comparatum, sicut lux candelæ ad clarissimum solis radium æstimatur. Quod enim sanctus Joannes Baptista pauperculæ Missam celebrasse visus est, non exterius sensibiliter, sed in interiori cognitione illius spiritus agebatur. Nihil corpori cum his, licet verbis materialibus exprimatur. Quærunt quidem quemadmodum Baptista sanctus Missam celebraverit, cum ipse inter indoctos et laïcos computatus fuerit. Filium Dei Baptista humilis stupens ac tremens baptizando tetigit; sanctitatisque specialis merito vocem Patris audiens intellexit; Spiritum Sanctum in columba vidit, et in utroque manentem, quem baptizabat, Filium recognovit. *Hic est quem tota visibilium Sacramentorum repræsentat solemnitas, cujus corpus et sanguinem in veritate sumamus, et in majestate invisibilem adoramus.* Joannes Baptista prædicans populis venientem ad se [verum] Dei Filium digito demonstravit dicens: Ecce Agnus Dei, *ecce qui tollit peccata mundi.* Hæc tam ineffabilis prærogativa sanctitatis excedit justorum omnium dignitatem. Vide nunc quod ea quæ mysterialiter gerimus et tractamus, solaque fide capimus, beatissimus Joannes non solum fide sincerissima attigit, verum etiam corporeis manibus contrectavit. Nunc vero Sancta Sanctorum ingresso et vultui Dei assistenti, quomodo negabitur *quod adhuc* mortali concedebatur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## VII. DE VOLUNTATE ET AMORE ET LUMINE SANCTORUM.

### DE LOCO MIRABILI IN QUO REQUIESCIT CORPUS SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

SANCTI Joannis Evangelistæ corpus spiritualibus meæ oculis, licet indigna, veraciter ego vidi. Jacet deliciose illud corpus sacratissimum insepultum in loco qui est super omnem corruptibilem creaturam ; verumtamen infra æterni regni, *id est cœli empyrei*, mansionem; lucens tamquam crystallus ignea, *eam quæ post resurrectionem habebitur possidens claritatem.* Quiescit humani aspectus gratiosa dulcedine tam amabiliter illustris, ac si in familiari suspensus jubilo dormiat spiritaliter soporatus. Cujus supercilia fulvo sunt similia colori ; [oculi clausi, resupinoque jacet corpore] : supra et infra ipsum ac in circuitu ejus est claritas et lux magna. Istud illustre ac sacratissimum corpus advolantes Angeli sancti visitant septem horis et in voce *exultationis et* laudis jubilantes sic concinunt Evangelistæ gloriam et decantant : « Sanctus, purus, simplex, sapiens, Deo prædilectus. » Hujus dulcisoni melodia cantici extendens supergreditur omnem terrestrium vocum resonantiam, totamque musicorum industriam clangentium organorum. Hoc præclarum corpus a cœlo empyreo solus separat paries, ad modum membranæ quæ ovo circumjacet tenuis. Adeo tamen impenetrabilis, quod eum nullum corpus ante resurrectionem ultimam prævalet penetrare. *Hæc quæ de pariete hic dicuntur mihi allegorico intelligenda videntur.* IV. 23.

## VIII. DE SANCTA MARIA MAGDALENE ET FESTO EJUS.

NATALITIA Sanctorum pia devotione et insigni solemnitate, cum multitudine populi quæ haberi potest, celebrare ipsorum benignitas gratanter suscipit et acceptat ; eo quod his diebus divina clementia beato fine honorans ipsos de hoc exilio ad patriam transtulit paradisi. Ideo autem in eorum VI. 9.

festivitate exultantibus congaudent fidelibus, quod eis tunc suam beatissimam exhibent præsentiam, cum omni sibi a Deo collata gloria occurrentes. Vidi ego incunctanter illam Jesu Christi specialissimam dilectam Mariam Magdalenam, cum in die depositionis suæ festivis honoraretur laudibus, psallentibus congratulantem jucundissime collætari. Transibat in choro ad melodiam tripudians cantantium, singulos psallentium dulci vultu intuens, *manibus plaudens*, *corpore gesticulans*, *pede terens*, *per ineffabile mentis gaudium* dicebat : « Omnes meum felicem laudantes in cœlum transitum, in suæ mortis visitans consolabor articulo, eisque vicem tribuens honorabo. Præterea in omnibus quæ pro meritis oportet recipere, astabo fideliter, nec deero ferens auxilium tempore opportuno. » Quatuor Archangeli ipsam inter se ducebant mediam, comitabatur minorum Angelorum innumerabilis multitudo; interrogavique venerabilem illam feminam, ut mihi quatuor principum nomina indicaret. Et dixit : « Primus dicitur fortitudo ; secundus, Sancta cupido; tertius, bona voluntas; quartus, perseverans stabilitas. » His ego virtutibus omnes cordis mei vici molestias; idcirco data est mihi in obsequium, horum principum dignitas, et coronat me summa majestas ; quemadmodum hæc Sancta suos acceptat et remunerat laudatores, sic quibuslibet sibi famulantibus adest et subvenit secundum suam virtutem, dicit Dominus, et impetrat beneficia præmiorum. Nam sicut minima scintilla aere afflata incalescit et lucescit, sic in igne cœlesti sanctis attracti desideriis, scilicet carbones vivi, inardescunt in nos flamma dilectionis et effulgent adjutorio consolationis.

## IX. DE VIRTUTIBUS SANCTI DOMINICI A DOMINO COMMENDATIS.

IV. 20. In die sancti Dominici, dum pro Prædicatorum Ordine generaliter exorarem, dignans affuit mihi Dominus cum eodem, quem præ omnibus Sanctis amplector, quantum audeo [dicere], dignissimo Confessore. Et dixit ad me : « Dominicus filius meus in hac vita quatuor pollebat virtutibus, quæ præ-

latis congruunt universis. Fratres sibi subditos tam præcordialiter dilexit, quod nunquam aliquem ex ipsis motu proprio perturbavit; secundoque omnium necessitati temperata providit, ne juventus ad ea quæ reliquerat incauta mente recurreret, vel senectus propter inediam nimiam deficeret. [Tertio,] eximio prudentique instruxit exemplo juniores, ut in necessitatibus et in omni suo statu modestiam et omnis virtutis et pulchritudinis observarent. Erat insuper tam misericors quod nunquam subditos præter Ordinis et culparum exigentiam prægravarit. » Et adjecit Dominus : « Duo, inquiens, tibi adhuc de meo dilecto famulo mirabilia enarrabo : Risus in ore ejus nunquam apparuit, nisi de vera Sancti Spiritus suavitate : lacrymas autem tanta fidelitate fundebat, ut fratrum suorum principaliter ac deinde generaliter totius Ecclesiæ necessitates præsentans, ardentissimo desiderio Domino commendaret. » Risum sine peccato fieri, nisi in hac revelatione, antea non cognovi.

## X. DE SANCTITATE ORDINIS PRÆDICATORUM.

EXORDIUM *hujus Ordinis primitivum ardenti charitatis Deificæ fervebat calore; eximiæque puritatis munditia candens, velut lilium fragrabat odore, fictionis hypocrisisque nescius. Vestitus veræ simplicitatis effulsit decore.* IV. 22.
Itaque Dominus dixit ad me : « In hoc Prædicatorum Ordine duo, id est statum cultum et fructum multum, adeo complectens amo, quod eisdem cojucundans semper arrideo ex mei beneplacito Cordis multo; ipsi namque totis utriusque hominis sui viribus studiose prædicant meæ gloriam majestatis. Proditenim ex eorum intimis vehemens gemitus, præcordialis fletus, desiderium vividum, sollicitæ cogitationum restrictio, humilitas fida, charitas jucunda, frequens mutatio peregrina. » [Et adjecit Dominus : « Etiam mea tria nomina per hæc septem ad extra honorant.] Porro exterius resultat ministerii sacri devota solemnitas, prædicationis utilitas, absolvendi peccatores auctoritas, afflictorum pia et dulcis consolatio, nutantium confortatio, sancta exempla, catholicæ unitatis salutaris connexio. « Hoc quoque dixit Dominus : « Eleemosyna quam

pro nomine meo larga ipsorum tribuit inopia, paupertasque largiter prodiga, accipientium culpas diluit ac minuit, diabolum elidens expellit per virtutem Evangelicæ paupertatis. » [Laudo te æternaliter, ardens Deitas, unde ego et omnia profluxerunt, et benedico te cum omnibus quæ sub te sunt, quia me sic dignatus es, Domine, consolari [me indignam creaturam. Amen.]

## XI. DE UNIGENITO ET ALIIS FILIIS ADOPTIVIS.

V. 24. PRINCEPS magnus habet sibi dilectum, et populo suo utilem, Filium; [qui] tam laudabilis et tam carissimus est quod ejus memoria et opera in omni loco Patris gloriam prædicant et extollunt. Excelsus hic princeps Deus Pater est, qui septem filios utiles et unam speciosam filiam de Matre nostra, videlicet Ecclesia, generavit. Primogenitus est frater noster carissimus, Dominus noster Jesus Christus, qui est gloria Patris et consolatio gentis, qui unus cum Patre sedet ad dexteram ejus, cui honorem immensum et potentiam contulit majestatis. Secundus filius sancti Apostoli sunt, qui pretiosum thesaurum de monte alto effossum conservarunt, de arbore primitus procreatum; quem hostes nostri de quinque partibus raptum abstulerunt, et cum thesauro cœlestes a nobis divitias excusserunt. Tertius filius sancti Martyres sunt, qui cœli viam suo sanguine resperserunt. Quartus filius sancti Doctores sunt, qui nos sua doctrina et sapientia munierunt. Succedunt sacræ Virgines divinam in se similitudinem præferentes cum aureolis, quarum pudica non teguntur capita utpote sponsarum in hoc sæculo corruptarum, [cum Dominus noster illas in superiori domus suæ loco tam gloriose juxta se collocavit, ut quidquid doloris aut gaudii terrestris ab earum mente penitus excidit.]

## DE NEGLIGENTIA PRÆLATORUM ET PECCATIS SUBDITORUM ET OBLIVIONE DEI.

CUM *Dominus noster Jesus Christus, sicut promiserat discipulos, electos Apostolos, accepisset ad semetipsum,*

*ut essent ubi ipse est viventes, sicut et ipse vivit in gloria*, cœperunt lapsu temporis magistri Ecclesiæ negligentius agere, populusque immemor multitudinis misericordiæ Dei, a mandatorum ejus aberrando rectitudine deviare. At Deus, misericors Pater omnium nostrum, electorum suorum curam gerens, uno tempore duos quasi gemellos de sponsa sua, scilicet Ecclesia, per gratiam progenuit filios, fratrum suorum fidelium in salutem. Quos genitrix Ecclesia, uberibus de cœlo tam copiosa dulcedine quæ exhauriri non potest, plenius fideliter enutrivit. Hæc sunt duo testamenta, quibus omnes Dei filii per matrem Ecclesiam educantur. [Hoc etiam locutus est Dominus noster: Nemo debet in presbyterum ordinari nisi utrumque, scilicet vetus et novum noverit Testamentum. Uno pede nemo potest ad aulam accedere, nec etiam diu in servitio stare.] Hujus matris gemini Fratrum Minorum et Prædicatorum Ordines sunt; quorum radices et origines beatissimi Franciscus et Dominicus extiterunt. Heu! quæ et quanta defecerunt, quæ isti Patres fideliter servaverunt! Quæ quanto magis deficiunt, tanto infirmatur Ordo, et citius deficiet; tamen prius a patre fideli alter nascetur filius qui suum populum non relinquet.

### DE BENIGNITATE SANCTI DOMINICI AD SUBDITOS.

Sanctus Dominicus pia devotione et fideli respectu consideravit fratres suos sapienter sine perversa observatione, et absque crudeli præsentia. Doctiores instruxit, ut divina simplicitate suam prudentiam temperarent; simpliciores vero, ut ad veram sapientiam anhelarent. Tentatorum portabat secreto molestias, *et pericula orationibus et consiliis amovebat*. Juvenibus persuadebat silentium; ut ex hoc extra disciplinati, tamen interius fierent sapientes. Debiles et infirmos piissimo consolabatur affectu, et eis remedia et necessaria diligentissime procurabat. Hinc omnes de ejus diutina gaudebant præsentia et ejus dulcis societas omnem eis laboris molestiam levigabat. Hic Ordo primis temporibus mundus fuit, simplex, et vigebat in eo [fervens Dei] charitas;

simplicitas sancta et justa, in qua Dei sapientia reperitur, sed quandoque a quibusdam despicitur et proditur, et etiam charitas extinguitur quæ ardebat. Qui in hoc Ordine prælationem tamquam tentationem suscipit, hic in Spiritu Dei et humilitate oblatam gloriam cum timorata verecundia et fideli diligentia, misericordia, adjutorio et benigno gaudio portat, vel cum omni prudentia instat ut ab hoc onere se absolvat; quia spiritale cor quietam pacem desiderat, ut parens et florens rursus in Domino requiescat.

Hos duos filios Dominus singulariter quatuor præmiis honoravit, ut de se jam non solliciti, ab hoc sæculo immaculati permaneant, omnisque labor eorum et sollicitudo ad hoc intendat, dicit Dominus, ut populus meus in sanctitate et justitia mihi serviat omnibus diebus vitæ suæ. Primus honor est quod suscipiuntur ab hominibus venerabiliter et devote; secundus est adjutorium fidele Dei, quod in choro magnifice sustentantur; tertius est sanctissima sapientia, ex divina effluens veritate, qua uberius irrigantur; quartus est auctoritas utilissima, qua in universali Ecclesia fulciuntur. Fovendi sunt igitur pie a maioribus suis fratres; quia durum, impium et crudele multique labores sine pietate impositi, multa suscitare discrimina consueverunt; [de quibus nunc oportet me silere].

## XII. DE SANCTA ELIZABETH ET DE SANCTIS DOMINICO ET FRANCISCO CONFESSORIBUS.

V. 31. Considerans excellentiam sanctitatis et magnitudinem humanæ fragilitatis admiratione multa suspensa stupui, cogitans quomodo beata Elizabeth tantæ virtutis meritum et dignitatis præmium consecuta sit, cum productior ætas ejus non fuerit in hac vita. Et dixit mihi Dominus: « Nuntiorum est expedita agilitas, qua cursim levi celeritate explicent vias suas; Elizabeth direxit nuntiam ad miseras incontinentia fluidas, superbia erectas, vanitate dissolutionis dissipatas, in castris et alibi constitutas. Quarum infamis et abominanda conversatio tristi æternoque supplicio fuerat deputanda.

Quarum nonnullæ transeuntem celeriter a me missam Elizabeth intuentes, verbis ejus et monitis crediderunt, ex hisque provocatæ mores correxerunt et per pœnitentiam gratiam meruerunt. Erat enim exemplum virtutum, et bonorum operum exhortatrix. Sanctum Dominicum *a latere meo venerabilem et pium* destinavi legatum ad gentes increduias *convertendas*, ad insipientes et stolidos instruendos, et ut turbatione oppressos et tristitia consoletur. Franciscum quoque *dilectum famulum, humilitatis et paupertatis speculum, crucis præferentem stigmata*, direxi in mundum ad clericorum avaritiam confutandam, et laicorum superbiam deprimendam. »

DE SANCTO PETRO MARTYRE ET DEFORMITATE ECCLESIÆ.

« SANCTUS Petrus de Ordine Prædicatorum, novus martyr, nuntius meus, detestator sanguinis, quo nunc falsa christianitas est perfusa. Dicunt enim se castos esse et fideles et meos amatores, cum sint impudici, infideles, et suæ carnis dilectores ; at qui ad me venire desiderat cum sancto Petro omnibus his renuntians contradicat ; abscondita ejus crimina pariunt in novissimo supplicia manifesta ». [Ego paupercula in oratione, sumpta in Domino fiducia, Ecclesiam malignantium portandam ulnis animæ sumpsi, graviterque portavi; et dixit mihi Dominus : « Desiste ; ultra vires tuas est quod attentas. » Et aio ad eum : « Eia dulcis Domine, ego tollam eos, et tuis brachiis eos portans coram pedibus tuis ponam, [ut ad crucem eos tecum feras]. » Et permisit Dominus ut me quietaret. Sic ergo oblata Domino Ecclesia similis erat virgini ; quam cum aspexissem, etiam Dominus intuitus est eam, et erubui vehementer ; et dixit Dominus ad me : « Aspice nunc : decetne ut hanc cæcam ignorantiam, claudam gressibus bonorum affectuum, et debilem manibus in bonis exercendis operibus, et immundam incessibus, assumam mihi in sponsam, in æternitatis lectulo amandam, intuendam et amplexandam? » Et dixi : « Quid fiet de hac misera, et quod dabitur ei consilium ? » Et respondit Dominus : « Ego lavabo eam in sanguine ; omnes qui veraciter

sine crimine sunt protegam, et ad me eos in abscondito suscipiam et occulte, morte beata feliciter consummatos. »

DE SORORE JUTTA SANCTA ET TRIPLICI SANGUINE.

Id. Eo *tempore quo gens Trachtarorum per mundum grassabatur, et multos occiderent*, dixit Dominus *ad me :* « Sororem Juttam de Sunderhusen , *viduam piam et devotam*, misi in exilium ad gentiles, ut suis orationibus eos adjuvet et convertat, et exemplis bonis provocet, et annuntiet nomen meum. » Et intulit dicens : « Librum istum tamquam nuntium dirigo omnibus spiritualibus religiosis bene viventibus vel male agentibus [1] : quia cum columnæ nutant, tunc structura supereminens non subsistet. *Columnæ Ecclesiæ spirituales homines et viri religiosi sunt.* Vere dico tibi, ait Dominus, in hoc libro scriptus est sanguis Cordis mei, quem in novissimis temporibus denuo fusurus sum. »

Et dixit mihi Dominus de tripartito sanguine : « Primus sanguis est Abel justi, ac Innocentium infantium qui ab Herode interfecti sunt, sanctique Joannis Baptistæ, *qui ab alio Herode decollatus occubuit*, [et] aliorum sanguis innocens [qui] effusus est ante passionem meam ; et hic [Christi] sanguis vocatur, quia pro amore et justitia et nomine meo fundebatur. Secundus sanguis Christi est, quem de proprio suo corpore fudit, qui de manibus et pedibus et de latere ejus pro redemptione humani generis in cruce fluxit, et copiosissime emanavit ; qui ideo sanguis Patris dicitur, quia propter voluntatem Patris et mandatum Patris humiliavit semetipsum usque ad mortem Crucis, ibique sanguinem fundens occubuit, in obedientiam charitatis. Tertius sanguis est qui novissimis diebus pro christiana fide effundendus est *crudelitate et sævitia Antichristi ;* et hic Spiritui Sancto ascribitur, sine cujus gratia et adjutorio nullum bonum perficitur ; *nec quisquam unquam pro Christo mortem et supplicia mortis potuit sufferre, nisi Spiritu Sancto inhabi-*

1. Cf. 1um pr[illegible]um origin. teuton. et supra, pag. 17.

*tante fuerit confortatus.* Sanguis martyrum pro Christo effusus ipsos socios passionum ejus constituit, et confert aureolam rutilentem. Sanguis Filii Dei in cruce pro reverentia Patris effusus, ejus et dicitur: redemptionem captivis et fidem per mundi climata dilatavit. Extremus sanguis qui, Spiritu Sancto confortante, in fine mundi effundetur, gloriam sanctorum cumulat et honorem.

## XIII. De pœnis quas spiritualiter cum ipso et aliis sanctis pertulit soror Mechtildis.

Domine Jesu Christe, pœnas quas patior justo judicio sustineo; verum me in ipsis tormenta tuæ innocentiæ consolantur. Tuæ salutiferæ mortis recordatio meam sustentans memoriam, vivificat et conservat in te; tuus immaculatus sanguis animam meam penetrat et fecundat. II. 24

Maria, tibi assisto cum fide juxta crucem, tuæque passionis gladius perfodit mentem meam, eo quod tanta in spiritalibus iniquitas tam varia dominatur.

Joannes Baptista, tecum in carcere teneor; falsitas enim, tamquam lasciva saltatrix, verbum veritatis occidit, et lingua mea obmutuit.

Joannes Evangelista, ego tecum in Jesu Christi dulciter obdormiam pectore, ubi tot miranda hausi mysteria, unde exterioris mei omnis succumbit misera substantia.

Petre, tecum crucifigor quotidie: nam sagittæ Domini semper militant in me, nec quiescit spiritus meus præ desiderio laudis suæ.

Paule, tecum rapta sursum, conspexi habitaculum admirandum, nimisque mirando stupeo, quod vivens in hac mortalitate subsisto; sitit enim anima mea et concupiscit in atria ubi summus Pater, pincerna largissimus, calix præclarus et inebrians Filius, poculum vini, dulcedo Sancti Spiritus, plenitudo vasis, sanctæ Trinitatis immensitas, cellaria, potentissima charitas. O si me de tot bonis reficiat et nutriat summa liberalitas, donec inaniet esuriens mendicitas, nec apparet affluens societas in qua consistat vera felicitas! Nunc

interim bibam bibens de calice furoris divini, quo me replent et inebriant crudelissimi inimici. Retribue eis, Domine Jesu, mel tuæ dulcedinis, qui me potant felle amaritudinis. Oblatus est mihi calix potionis durissimæ, interiora et exteriora omnia penetrantis. Oravi ergo Dominum, ut impleret sua gratia eum qui mihi propinavit hæc pocula venenosa. Exaudivit me Dominus et dixit ad me : « Fortis esto, in te mea mirabilia apparebunt, leones te timebunt, ursi supplicabunt, lupi fugient, et morabitur agnus tecum. *Hoc est : superborum elatio, et invidorum delatio, avarorum ambitio deficiet, et persequi deseret ; Christus autem te nunquam derelinquet.* Scio et certa sum quod adhuc plura veneni pocula mihi restant ; habet enim diabolus multos sub ovina pelle veneno plenos hypocritas, quo replent nequiter innocuos Dei servos.

Stephane, ego tecum sto inter invidos, qui jactant lapides, in me valide irruentes ; a tergo me lapident hypocritæ, putantes quod me lateat, cum tamen sciat Omnipotens qui corda probat.

Laurenti, ego annis viginta et amplius tibi in craticula crudeliter colligata, Deo protegente permansi invicta, et erepta per septem annos [et amplius] sum libera ab hac pœna.

Martine, tecum sum in despectione, meque charitas fecit martyrem perenni persecutione.

Dominice, dilecte pater mi, tecum communico desiderium passionis, optans quod sanguis meus flueret sub calcibus impiorum.

Catharina, ad pugnam tecum propero, quia infernales sophistæ falsa contra me argumenta proponunt et concludere mihi volunt. Quorum unus splendidus apparuit, librum ferens, sic mihi proposuit dicens : « Pacem suscipe, quia ad Missam non vales accedere. » Et respondi [cum sapientia et disciplina] : « Pacem non potes tribuere, qui pacem dignoscitur non habere. » Confusus ergo abiit. Reversusque in forma pauperis, [cui diffluunt viscera] dixit mihi : « Eia, sana me, sancta femina, et sanabor. » Et dixi : « Qui infirmus est, quem sanabit ? contra Dominum nulli præstabo auxilium. » Ait ille : « Bonum, inquit, opus facere non est contra Deum. » Et respondi : « Ubi bonum non est, quid

potest bonum fieri ? Insanabilis est plaga tua. Si vis salvus fieri, pergens hinc, ostende te sacerdotibus : illi potentes sunt ; ego nihil possum, nisi peccare. » Tunc ille in ira : « Hoc est, ait, quod nunquam faciam. » Et disparuit simul cum tetro fumo. [Nec tamen illum sane timui.]

## DE CAPTIVATA CHARITATE.

Maria Magdalena, ego tecum in deserto habito ; omnis enim creatura a me deserta exilium mihi est ; patria, solus Deus. Omnipotens Pater, incomprehensibilis Spiritus a te procedens, animam meam indesinenter visitat, in quo multa incomprehensibilia intueor, et cognosco. Proh ! dolor, tamen ex eo parum capio ; sum enim vas contumeliæ et fragile, quod nec minimam stillam tui prævalet continere. Charitas adhuc instabilis inhæret sensibus corporis tamquam permixta rebus terrenis ut exclamare cogatur homo et dicere : In gratia est charitas, in sensibus absorpta humanis, nec adhuc, proh ! dolor, evagantem animam subjugavit. [Multi quidem ceciderunt quorum anima his gratiæ vinculis mansit soluta. Salomon et David Sanctum Spiritum in suis humanis sensibus acceperunt ; cum autem sensus erraverunt, tunc in falsum ceciderunt amorem. Deus scit, eorum anima non erat in profundissimum infra omnes creaturas demersa, nec etiam valido alligata vinculo amoris, cujus nunquam optimum vinum prægustatur, quin hujus fastidium oriatur omnium molestissimum.] Captivans autem charitas, habitans in spiritu, omnis sensualitatis transcendit illecebras, nec sinit corpus ad voluptuaria inclinari. Disciplinam tenet, valdeque silentio intenta, alasque suas submittens, auscultat vocem sine strepitu, intuensque lucem inaccessibilem laborat cum desiderio perficere voluntatem Domini. Quamdiu alis reverberat caro, nequaquam potest spiritus altissimam contingere quæ in hac vita a perfectissimis attingitur summitatem. Hæc captivans charitas ditans animas exterioribus sensibus depauperando spoliat, quæ quanto ditatur amplius, tanto ex nobilitate propria humiliatur profundius. Qui hac

abyssali virtuosæ charitatis vinculatus fuerit a tactu, huic ad capitaliter peccandum deinceps licentia non patebit; ligatus enim est et cogitur ad amandum. [Utinam Deus nos omnes sic alliget!]

## XIV. DE STATU SANCTÆ ECCLESIÆ PULCHRE ET MIRABILITER DEMONSTRATO.

IV. 3. Cum pater dilectum voluerit filium consolari, tunc odiosum præcipit flagellare. Sic agit Omnipotens, hominibus ita loquens: « Qui in præsenti caret gratia, mecum non regnabit in gloria, et qui non potest rerum temporalium voluptatibus satiari, necesse est eum fami perpetuæ deputari. Væ ei qui sic temporalia possidet, quod eis mente pariter occupatur et hæret; qui se super alios per elationem extollit, a me cadit et ad infima descendit. » Ad hæc respondit sancta cognitio: quod Deus triplicem nobis sapientiam indidit, qua dilatari et nociva possumus præcavere. Primum est clericalis sapientia et christiana doctrina, sicut ostendit mihi Dominus. Vidi enim veris intellectus mei oculis, sine labore in deliciis, lapidem similem monti non prægrandi, qui ex seipso susceperat incrementum, habens in se omnem pulchritudinem omnium colorum et odorem omnium cœlestium aromatum. Interrogavi igitur quæ esset hæc suavissima petra, et dixit mihi: « Ego sum Jesus »[1]. Veni ergo [præ amore] in excessum mentis, et ad ipsum reclinavi caput meum. Et vidi omnes tenebras ab eo exclusas, *et in eo tenebræ non sunt ullæ*; intrinsecus autem repletus erat æternitatis lumine et splendore. Stabat super hunc lapidem supra modum speciosa Virgo, cui similis non est visa, excepta Domina nostra Virgine Matre Dei sancta Maria; quæ tamen socia et conjugalis ejus fuit. Pedes ejus jaspide decorantur. Lapis hic tantæ virtutis est ut repellat malam avaritiam a pedibus affectuum irruentem. Profert etiam odorem mundissimum, sacra desideria provocantem; abstergit etiam ab oculis caliginem tenebrosam.

1. Hæc tria verba etiam in teutonico codice sunt latine expressa.

Lapis petiosus fides catholica est : duo pedes, quibus Virgo stans innititur, potestas ligandi et scientia absolvendi sunt ; quæ duo omnibus christianis sacerdotibus conceduntur. In manu dextera calicem tenet, rubro uvæ sanguine plenum ; de quo sola bibens ineffabili dulcedine satiatur ; hujus potus participio Angeli non fruuntur in mysterio. Hic sanguis Unigeniti sic mentes inebriat sacerdotum fidelium, quod nobis doctrinam evangelicam ministrant ad votum. In sinistra Virginis igneus est gladius, aureis cymbalis dependentibus plenus, resonans tam dulciter ut omnes audientes sanctæ Trinitatis desiderio repleantur.

## HÆC EST ECCLESIA.

Interrogavi Virginem, cur sinistra gladium et calicem præferret in dextera. Respondit : « Ego usque ad mortem, uniuscujusque hominis peccata comminans increpabo, tunc Deus inferet plagas suas; ego etiam ipsius sanguinem manu dextera propino, sicut Christus ad gloriam Patris sui [nominatur]. Habet etiam virtutem in manibus suis, quibus, quos Deus eligit, attrahit omnes sibi; omnesque abjicit qui se diabolicæ subjiciunt servituti. Ex affectu pulchritudinis vultus ejus in perpetuum beatam me reputabo. De gutture ejus rivus fluit olei, hoc est, unguentum misericordiæ salutaris. In ore enim ejus sunt dentes aurei, quibus cœlestia mandit aromata, hoc est, Prophetarum oracula. Mel distillant ejus labia, quod veloces apes, sancti scilicet Apostoli, de campi flore dulcissimo detulerunt. In labiis ejus fulgent florentes rosæ ; nares ejus redundant violarum odore; frons ejus resplendet liliis virentibus : est enim mater viduarum, amica conjugatarum, et virginum gloria. Oculi ejus pleni sunt deliciis, sicut aurora rutilans solis luculentiam antecedens. Corporales oculi sicut natura triplici distinguuntur, sed in unitate subsistunt; sic primus quidem color auroræ Patris æternitatem, secundus Filii æqualitatem, sol vero utriusque connexionem in Spiritu Sancto significat et ostentat. Harum transitio et respectus ad invicem perso-

narum gaudium et pax est, quæ et exsuperat omnem sensum. Virgo hæc coronam habet in capite suo, auro rubro contextam; hoc, consilium sanissimum et exemplum sanctissimum Doctorum.

### DE IIS QUÆ MUNIUNT ET IMPUGNANT ECCLESIAM.

Corona hæc similis est urbi quæ multis mœniis est extructa, quam invalidus circumdedit exercitus, principem habens infidelem, qui est diabolus, cum suis complicibus, qui sunt pauperes et infideles. In hac corona exercitus consistit laudabilis, potens et armis opulenter instructus, habens fidelem super se principem, redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tentatos consolatur, et confortat in prælio, et deficientes consolationis suæ reficit vino. Turris est in hac corona tria habens cornua, in qua sagittarii et speculatores sunt in claritate firmissimi, ut maneant infirmiores securi. Est turris et alia in hac corona, in qua habitantes rara pugnandi infestantur molestia; quam nullus valet conscendere, nisi per charitatem suam studuerit voluntatem frangere. Beati omnes qui in hac turri meruerunt habitare! Hujus turris mœnia pretiosis decorantur lapidibus; qui sunt Sanctorum animæ viventes in cœlestibus. In corde hujus Virginis vidi erumpere fontem viventis fluminis, ad quem deferebantur cæci, et lepra respersi, infantes gentilium. Super hunc fontem stabat vir perfectissimus, [præter quem nemo alius ex hoc fonte haurire poterat] *spiritu Dei plenus*, sanctus videlicet Baptista Joannes. Hic lavabat in fonte infantulos, cæcos illuminans, et leprosos mundans. Interrogavi Virginem quæ [ipsa] esset, et respondit : « Ego sum quam tu tam diligis, tua consodalis sancta Ecclesia, quarum unus est sponsus; hæc est immaculatorum sponsa sacerdotum, quam frequenter amanter respiciunt, *quibus legitime desponsatur. Beati qui eam in sincera charitate custodiunt.*

### DE SECUNDA ET TERTIA SAPIENTIA.

SECUNDA, de qua prædiximus, sapientia naturalium potentiarum animæ est, per quam operando vitia perditionem incurrimus, vel virtutes operantes vitam æternam acquirimus. In hac carnis sapientia, morantur perversi laïci, falsi-clerici, et astuti religiosi. Non invenitur tam perfectus qui se ad plenum a talibus valeat custodire; sic enim eorum perversa mens est, ut quæque bona sinistra interpretatione maculent et confundant. Nemo ex his naturalibus bonis spiritualis efficitur, nisi ex charitate stultum se reputet, quia vera simplicitas mater est sapientiæ desursum venientis. Quid enim prodest homini astuto thesaurus innumerabilis, qui nonnisi famem et sitim, despectionemque et æternam sibi operatur cordis molestiam?

Tertia demum sapientia de divina manat gratia, dirigens hominem utiliter in omnibus donis Dei. Quantumcumque dives efficiatur homo *in omni gratia*, nunquam tamen præsumit infimis se præponere creaturis; in adversitatibus non turbatur, sed divinæ congratulatur voluntati; nec sustinet quod aliqua virtus de cordis ejus hospitio excludatur.

### XV. DE REGNO CŒLORUM.

ANIMA sancta sic est desiderium suum allocuta: « Eia, perge hinc et vide ubi sit Dilectus tuus, et dic ei, quia cupio amare. » Perrexit ergo subito: velocis enim est naturæ, et veniens in excelsum clamavit: « Magne Domine, aperi te, et intromitte me. » Et respondit hospes: « Quid tibi vis quod tanto clamore fremis? » Dixit desiderium: « Domine, significo tibi: Domina mea diu sic non potest vivere: si velles fluere, ipsa superflueret. Piscis enim diu vita non durat in arido. » Respondit Dominus: « Revertere nunc; non intromittam te nisi adduxeris famelicam [animam] quæ præ cunctis amat me. » Quo audito per nuntium, anima aman- III. 1.

ter expavit et surgens in mansueto spiritu et delectabili volatu venit. Et ecce occurrunt ei duo angeli, quos misit Deus ex amore præcordiali, qui dicunt ei : « Ut quid, domina, tam longe processistis, cum sitis adhuc vestita terrena substantia. » Et dixi : « Tacete, et me dulcius salutate. Ego pergo ad amare. Quanto quis ad terrena inclinatur, tanto ad superiora tenebratur, et ego quanto altius conscendo, clarius luceo. »

### INTRODUCTIO AD SPONSUM CŒLESTEM.

Tunc assumentes eam [inter se mediam] Angeli, cum lætitia deduxerunt. Videns autem Angelorum patriam, cujus [nondum antea sibi exploratæ tamen] habebat notitiam, apertum est ei cœlum. Stabat autem ibi et liquescebat cor ejus, intuensque Dilectum, ait : « O Domine, cum te video, compellor laudare te in sapientia admiranda. Quo deveni? numquid nunc perdita sum in te? non possum terrenum quidquam, nec cordis mei molestiam memorari. Proposueram, cum te viderem, multa tibi de terrestribus querulari; verum tuus intuitus me repercussit, quoniam me super nobilitatem meam valde et nimis elevasti. » Inclinata ergo gratias egit, tollensque de capite suo coronam, ponensque super rosam *(a)* pedum, ipsius cicatrices desiderabat ut eidem intimius ingereretur. Assumpta igitur inter divinitatis brachia, manuque ejus super pectus ejus posita, faciemque ejus contemplatus est. Perpendite nunc si tunc ab ipso fuerit osculata. In hunc amoris osculo super omnes choros rapta est Angelorum.

### DE CŒLO ET CASU LUCIFERI.

Minor quam ibi vidi, audivi, cognovi, veritas extollit supremam terrenæ sapientiæ dignitatem. Ibi inaudi-

*(a)* rosea vulnera. *Cod. teut.*

t as res vidi, confessoris mei judicio, quia sacras Scripturas non cognovi. Timui [Deum] si tacerem, timui propter imperitos si scriberem. Quid dicam, vel quid faciam, carissimi? Quod Deus hic operatur in me, et frequenter operatur : et in humili simplicitate et in exili paupertate, depressaque despectione ostendit mihi Deus mira suâ. Ibi vidi creationem ordinationemque domus quam Deus constituit. Ibi reposuit amantissima quæ fecerunt manus ejus. Domus hæc vocatur cœlum; chori qui intus sunt dicuntur regnum; ideo conjuncti dicuntur cœlorum regnum. Regnum finem in sua positione habet initialem, sed in sua essentia non sortitur finalem. Cœlum ambit choros, et inter cœlum et choros ordinati sunt peccatores sæculares, altitudine choris similes, juxta quod hi emenduntur et convertuntur. Chori sic sunt subtiles, sancti et mirabiles, quod præter castitatem et amorem et omnium rerum abrenuntiationem nullus illuc intrat; quia omnes qui inde corruerunt sancti extiterunt, ideoque necesse est ut sancti sint qui illuc [et ipsi] sunt intraturi. Omnes baptizati infantes puerique sex annorum illius casus diruptionem non implebunt amplius quam ad sextum chorum; at usque in Seraphim virgines puerilibus peccatis pollutæ voluntarie, nec tamen actum perfecerunt, confessione purificatæ, defectum corruentium supplebunt; verum tamen ad pristinum statum non redeunt, quia puritatem perdiderunt. Post diem judicii, religiosæ Virgines purissimæ defectum super Seraphim supplebunt, unde Lucifer eique proximi *per virtutem Altissimi* sunt dejecti. Lucifer peccavit tripliciter : invidia, superbia, avaritia. Hæc peccata mortifera ipsorum multitudinem tanta velocitate projecerunt in abyssum, sicut subito dicitur alleluia. Tunc obstupuit totum regnum et contremuerunt omnes columnæ regni cœlorum; aliique tunc horribiliter corruerunt. Hoc exilium adhuc est vacuum et inane; nullus ibi habitat et est in se pulcherrimum, luditque totum deliciis ad gloriam Dei omnipotentis.

## DE THRONO DEI.

SUPER hoc exilium thronus Dei est, in modum testudinis, virtute Domini fabricatus, in florenti lucenti et ignea claritate ; attingens inferius ad cœlum contra Cherubim, fitque thronus Dei et cœlum inclita domus valde ; ibique est exilium et novem chori Angelorum intus jubilantes. Supra thronum Dei nihil est, nisi Deus, Deus, Deus, immensus, magnus Deus. Supra in throno videtur speculum Deitatis, imago humanitatis, lumenque Spiritus Sancti. Cognosciturque quomodo tres personæ sunt unus Deus, et quomodo in unum conjunguntur. De hac ineffabili re mihi loqui amplius nihil licet. Casum Luciferi Joannes Baptista supplebit, ejusque gloria in illa dulci vastitate supra Seraphim ; omnesque Virgines purissimæ et religiosæ cum illo erunt, quæ adhuc sunt ad illam solitudinem reservatæ. In throno est Domina nostra, quæ nullum defectum supplet, quia ipsa cum Filio totius humani generis vulnera sanavit, qui gratiam quærunt eamque conservare voluerunt vel noverunt. Filius ejus Deus est, ipsaque dea [1] ; nullus enim ei potest in gloria similari, *quia nec primam similem visa est nec habere sequentem.* Sancti Apostoli post Dominum sunt in throno, habentque illam solitudinem cum Seraphim in præmio, secundum suam puritatem. Joannes Baptista princeps etiam est in throno. Angeli ultra celsitudinem Seraphim non morantur, supra quos homines tantummodo collocantur : martyres sancti, et prædicatores Dei, amatoresque spirituales, ad Choros conveniunt, licet virgines non permanserunt ; imo, quidam etiam in Cherubim contendunt ; inter quos etiam præter desiderium, prædicatorum perspexi præmium sicut in sæculum est futurum ; sedes eorum sunt mirabiles, præmium singulare. Anteriora sedis sustentacula, duo sunt luminaria ardentia quibus charitas vera, exemplum sanctum fidelisque intentio innuuntur. Interius reclinatorium est commode liberum, et admirabili requie dulcius quam liceat enarrare, pro obedientia cui se humiliter subdiderunt. Pedes eorum ornati

1. Non ad litteram illud est interpretandum, catholica quidem mente licet incaute prolatum. Cf. supra quæ diximus, pag. 431.

sunt variis lapidibus pretiosis, adeo quod opto caput meum tali corona decorari. Hunc ornatum accipiunt pro labore quem et viando suis pedibus pertulerunt. O prædicatores, cur tam difficulter labia aperitis, et cur tam inviti aures declinatis ad ora peccatorum ? Ego vidi coram Deo quod futurum est in cœlo, quod spiritus oris vestri lucens de choris ascendat ante thronum, glorificans Deum Patrem qui sapientiam labiis vestris dedit, laudans Filium qui prædicatorum et princeps et socius fuit, gratias agens Spiritui Sancto qui donorum largitor existit, et magister indoctorum. Tunc prædicatores Dei et martyres sancti et amantes Virgines sublevabunt se, quoniam ipsis, in speciali vestitu, in suavi cantu, in serto mirabili quod deferunt in honorem Dei, præcipua gloria est collata.

### DE INDUMENTIS SANCTORUM.

INDUMENTUM virginum candore resplendet lilii niveo ; prædicatorum vestis ut sol splendore aureo ; martyrum vestitus colore nitet roseo, quia cum Jesu perfusi sunt cruore sanguineo. Corona virginum multicolor est et varia ; martyrum manifesta et magnifica ; prædicatorum corona est florea, qui sunt Dei verba per quæ gloriosi sunt in patria. Sic triplex hoc collegium ingreditur in conspectu Domini cum dulci tripudio, quibus occurrit obviam ex Deo fluens triplex gaudium [1] in eorum mentes, ut jubilent in veritate psallentes secundum dona a Domino sibi data. Sic concinunt prædicatores : « O præelecte Domine , tua secuti sumus vestigia in paupertate voluntaria ; ovesque tuas errantes, quas pastores conductitii deviantes neglexerunt, reduximus ad ovile. » Martyres vero decantant : « Domine, tuus innocens sanguis consecravit mortem nostram, fecitque nos consortes tuæ *beatificæ* passionis.

1. In margine codicis B. hic notatur triplex cantus, scilicet : 1us Virginum (lib. II. c. 25); 2us Prædicatorum (hoc loco) ; 3us SS. Trinitatis (lib. V. c. 26. in fine.)

### DE VOLUNTATE ET AMORE ET LUMINE SANCTORUM.

SANCTI qui nunc regnant cum Domino circumdati sunt uno lumine, unoque perfusi amore, et uniti una voluntate. Verumtamen illarum excellentium sedium dignitate carent; sed sedent et quiescunt in divina majestate, ejus deliciis affluentes, tenenturque superius attractionibus, quemadmodum aer calore solis. Post diem vero judicii cum hora cœnæ nuptiarum Agni fuerit, ponentur sedilia, sponsa contra faciem sponsi, convenientque [dilectus et dilecta], corpus et anima, possidebuntque plenam in æterna gloria dignitatem. O Agne delectabilis, o sponse amabilis, Jesu Fili Patris cœlestis, cum a cœna surrexeris, omnesque choros transieris, virginibus amanter innueris, sequentur te cum laude ad locum delectabilem, meis labiis inenarrabilem. Quomodo tibi tunc alludentes, amoris tui voluptate se satient; latens est dulcedo, et tam familiares deliciæ quibus æquales nescio. Sequuntur quoque viduæ in cordis sui lætitia, sufficitque eis dulcis illa visio qua Agnus virginibus conjungitur admirandis amplexibus. Conjugati et aspicient prout eorum nobilitas meretur, quia quanto hic quisque terrenis delectatur, tanto illic a jucunditate cœlestium separatur.

### DE CHORIS SANCTORUM ANGELORUM.

OMNES chori in splendore suo illuminationem continent specialem, et insuper cœlum suum. Sic est autem illa illustratio, quod non licet nec valeo describere explicando. Choris et cœlo huic tam præclara a Deo dignitas est collata, quod de singulis eloqui vix sufficio breve verbum, quemadmodum de pleno alveo stillam favi mellis apis effert modicum pede suo. In primo choro, delectabilitas supremum est inter omnia dona sua; infra requies. In tertio, amabilitas; in quarto dulcedo; in quinto, gaudiositas; in sexto, odoris nobilitas; in septimo, divitiæ; in octavo, dignitas; in nono,

amor ardens. In illo dulci exilio, summitatem tenet purissima sanctitas. In throno est paternæ majestatis etiam virtuosa dominatio. Supremum super omne quod in cœlo unquam fuit factum, est admiratio ; hoc est quod licet contemplari, quod nunc est et in futuro erit. Eia, gloriosa spatiositas, et dulcis angustia, [1] honorabilis omnium rerum contemplatio, et singularis familiaritas, quæ inter Deum, et unamquamque animam semper intervolat ! Hæc consistit in tam mirabili deliciositate, quod si omnium hominum haberem sapientiam et Angelorum eloquentiam, verbis evolvere nunquam possem.

### DE STATU ET LOCO NON BAPTIZATORUM.

INFANTES non baptizati infra quinquennium de hoc sæculo decedentes, in quadam speciali morantur dignitate, quam eis Deus extra regnum suum per misericordiam præparavit. Hi in suam staturam triginta annorum non excreverunt, quia christiani cum Christo non extiterunt. Nullam habent coronam, nam Deus non habet nec invenit quod in eis remuneret. Verumtamen pro sua bonitate tribuit eis ut in magno commodo maneant et quiete. Suprema qua potiuntur possessio est gratiæ plenitudo ; concinunt ergo sic : « Benedicimus Dominum qui creavit nos, quamvis decorem ipsius non viderimus faciei. Si afflictio nos cruciare posset, dolor et querela propter hoc perpetua nobis esset. Nunc autem bono animo esse debemus. » Dicet nunc aliquis quomodo hæc, misera et peccatrix, audeam describere vel præsumam ? Dico veraciter quod nisi gratia Dei cor meum ante annos septem speciali gratia instigasset , adhuc tacens superposuissem digitum ori meo. Adhuc ex his dictis dispendium nullius periculi cerno ; speculor enim manifeste meam pravitatem, ac nobilissimam divinæ gratiæ veritatem.

Verumtamen quanto altius anima profecerit, tanto minus honoris, commodi corpus ab extrinsecus obtinebit ; de ejus

1. *In margine* : æternitas.

miseriis querulari ipso sciente nullus debet; naturaliter est enim pavidum et infirmum. Pascendum est tamquam servus qui posset curiæ deservire, et pascitur eleemosynis propter Deum. Sic in veritate congruit; quia quo canis crudelior, eo fortius vinculum ejus colli esse debet. Nunc, o Domine, hæc verba tuæ pietati committo, deprecans [corde] suspiranti, lacrymantibus oculis, exuli mente, ut ea nullus pharisæus, *infidelis scilicet lector*, aspiciat; sed pueri tui audientes sic intelligant, quemadmodum tu, Domine, ea in tua veritate edidisti.

## XVI. DE MULTIPLICIBUS PORTIS CŒLI.

IV. 24. REGNUM cœlorum multas habet portas, [et tamen nullam habet.] Portarum multiplicitas est præmiorum diversitas, quibus singulorum fidelium animas suscipit, cœlumque se totum aperit in occursum amabilis Dei sponsæ. Transit per omnes choros descendens Altissimus, occurrens fideli animæ, quem cœlestis sequitur exercitus secundum Dei gratiam gloriosus. Egreditur autem anima vel de purgatorio vel de hoc exilio, quam comitatur etiam angelica multitudo. In porta cœli conveniunt Deus et anima, *dilectus cum dilecta*. Aspectus nobilis, quo anima suscipitur *et* a Deo *gratanter intuita resplendet et ornatur*. Tantæ virtutis est aspectus ille ut a corde ejus omnem præteriti supplicii mœrorem, molestiam aufert et dolorem. Corona regni in hac porta capiti ejus imponitur, cum qua ad regnum gloriose introducitur. Corona hæc regni Dei voluntas nuncupatur; usque ad mortem peccanti, quam Deus per finalem pœnitentiam visitat, merces illa dignitatis non indulgetur. Tria sunt genera hominum quos Dominus dignatur suis paternis manibus coronare, videlicet virgines, viduas et matrimonio copulatos. Quos cum solemniter susceperit, postea eis coronas imponit. Viduas et de legitimo thoro coronat sedens in sede majestatis suæ; virginibus autem assurgens coronas stans imponit, tamquam imperatoris filius gloriosus. Salutat eas interius sua divinitate; honorat exterius omnipotenti humani-

tate ; decorat Sancti Spiritus largitate, remuneratque omnia ipsorum merita Trinitatis æternitate, gratias agens singulis quod ad suas nuptias convenerunt ; illique Deo reddunt gloriam quod per ejus gratiam mortem perpetuam evaserunt.

## INCIPIT TRACTATUS DE SANCTIS NONDUM CANONIZATIS.

### XVII. DE FRATRE HENRICO.

CONSUETUDO *mihi erat ad sepulchra piorum accedere defunctorum, ipsosque tamquam Dei domesticos salutare.* IV. 22.
Accidit autem ut frater Henricus, sacerdos de Ordine Fratrum Prædicatorum, in die Dominicæ resurrectionis, postquam prædicavit et Missam celebravit, populumque sacramentó Dominico communicavit, et omnia rite Officia complevit, sacramentum Unctionis peteret et more acciperet christiano: quo facto, instante crepusculo, transiit de hoc mundo. Qui cum a me more solito salutaretur in tumulo, facta est in anima solemnitas eximia ; et ostensa est mihi anima illius in Dei amplexibus delicata. Vidique quod ejus adhuc esset gloria imperfecta; et interrogavi Dominum, quamdiu sic deberet subsistere, et si quas pœnas purgatorii pertulerit. Respondit Dominus : « Per horas quatuordecim sic manebit, hoc est septem diebus et septem noctibus. » Reclinatus erat super pectus Jesu, ineffabili voluptate præ devotione intima, qualem expertus non fuerat in hac vita. Sic autem subito illuc sine cruciatu pervenerat, sicut mater subito dilectum filium ad suum gremium suscipit in cinere volutatum. Et dixit frater Henricus ad me : « Dic sorori meæ *Odæ*, quod eam infra quindenam volo in Domino consolari. » Quod et factum est ; nam infra quindenam debitum carnis solvit. Tunc frater Henricus me ad suæ cœlestis susceptionis solemnia invitavit. Et ecce illa universa supernorum civium multitudo in occursum se illius felicis animæ per suas cohortes et

turmas ordinabat cum gaudio processura. Venit itaque dux et princeps exercitus sacri Ordinis Prædicatorum, gloriosus Dominicus filiorum suorum multitudine copiosa; qui singuli serta ferebant aurea ineffabiliter micantia, prout in carne positis promereri contulit misericors Dei clementia. Decurrens vero Pater de exilio revertenti filio, dux triumphanti militi de prælio, coronam protulit in morem solis mirifice radiantem, propter quod exemplorum ipsius vestigia fuerat imitatus. Excellebat tamen incomparabiliter omnes filios suos Pater excelsus in gloria; universorum enim merita ejus sunt beatitudinis incrementa. Byssus namque et purpura viridisque coloris jucunditas ipsius indumentum ornabat, veritatis doctrinam cum patiendi desiderio exprimens ac innocentiam virginalem. Sequebantur autem omnes Prædicatores ac eorum consiliis adhærentes, insigneque præferebant vexillum dignitatis. Sic illa beata Fratris anima sedenti in throno oblata, pro obedientia grata, pro paupertate voluntaria, pro abjectione accepta, de manu ipsius et divitias accepit et gloriam, atque perpetuam libertatem. Gratias igitur agens dixit: « Gratias tibi, Domine, pro talentis mihi traditis, pro his quoque per tuam gratiam conservatis, quod tua majestas mihi misericorditer condescendit. » Et inclinans majestati conversus ad Fratres cum exsultatione multa excipitur. Dixitque illi Pater Dominicus: « Bene venisti, dilecte fili, intra [1] in gaudium Domini Dei tui, alleluia [2]. » *Tunc in jubilo mihi influente divinitus.... illam animam, summæ Trinitatis beatis amplexibus dulciter et inseparabiliter inhærentem. Vere non est acceptio personarum apud Deum; ecce enim mendicus cum gloria susceptus, sicut signaculum positus, inter brachia Altissimi, delectatur.* Quod hæc merui sublimia intueri, hoc mihi exilium et despectio amicorum Dei, qua me contemnunt, utique contulerunt.

1. Hic erat septimus chorus. *cod. Basil. in marg. Cf. cod. Einsied.*
2. Hoc non habebat finem. *cod. Basil. in marg. Cf. cod. Einsied.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XVIII. DE FRATRE ALBERTO.

Ubi scientia cum charitate et sapientia conveniunt electionis fructum efficiunt, et nemo scit quid in se boni lateat, nisi pravitas hunc exerceat. V. 28.

Ego pro fratre Alberto de Minda oravi Dominum, et Dominus dignatus est mihi ostendere illius dignitatem. Et ecce vidi super caput ejus coronas septem virginum dependentes. Mirabar valde quid hoc esset, quoniam pœnitens fuerat ipse. Et dixit Dominus : « Has coronas promeruit quia septem puellas juvenculas pro amore meo multis laboribus in castitatis pudicitia custodivit. Igitur dignitatem ipsius coronabunt perpetuo, nunquam tamen contingent ejus animam neque corpus. » Intellexi cœlitus aliud esse [præmium, aliud] coronam et aliud dignitatem. Præmium consistit in operibus, dignitas in virtutibus, corona in charitate : præmium dilatatur et crescit juxta multitudinem operum ; dignitas dilatatur secundum mensuram virtutum ; corona fulget in alto secundum diligentiam misericordiæ et studium in charitate.

Frater N. [1] nuntiavit mihi tunc fratrem quemdam post sex annos moriturum ; quod tamen factum non est. Anno septimo quæsivi a Domino quomodo factum esset istud. Et dixit mihi Dominus : « Iste dispositionem meam vidit, electionem autem meam non vidit. Amicos meos speciales in despectione magna eligo vivere sine culpa, et in sanctis desideriis dies eorum differo et prolongo. Cum homo in lumine charitatis in veritate cor suum perspexerit, invenit se contemptibilem et præ omnibus contemnendum ; et exinde sitis sancti desiderii insatiabilis nascitur, deducens hominem extra semetipsum in Dominicam voluntatem, adeo ut Deus dignetur hominis illius tempora protelare, conferens ei tunc novæ gratiæ dona, si ea cum disciplina diligenti studuerit custodire.

1. Albertus. *Cod. teutonicus.*

## XIX. DE SCHOLARE BONO AMENTE FACTO.

SCHOLARIS *quidam bonæ conversationis et Deo devotus, et mihi secundum carnem consanguineus, permissione Dei et dispositione ejus occulta, amens et expers rationis effectus est; et sic sine sensibus et intellectu usque ad extrema vitæ suæ tempora perduravit. Cogitaveram ipsum Religioni et divino famulatui coaptare ; ideo super hoc eventu fui intime perturbata. Oravi Dominum pro ipso,* et respondit mihi
VI. 11. Dominus : « Dico tibi ego Deus ardens et homo vivens, quod ipsius natura sanctorum morte defuncta est, ita quod nunquam amodo peccabit mortaliter in hac vita. » Tunc ipse visus est mihi similis prædicatori, stabatque supra columnam marmoream, rubeam, et populo prædicabat dicens: « Venite benedicti Patris mei, et discedite a me maledicti. » Et intellexi ex hoc, quod ex his [duobus] verbis prædicatores omnes prædicant atque docent.

## XX. DE SORORE HILDEGUNDE.

II. 20. IN die sanctæ Barbaræ virginis [Soror Hildegundis suam gloriam recepit ; quod ostendit Deus languido cani, qui cum gemitu adhuc sua lambit vulnera]. Cum orarem, nescio an cœlum fuerit ad me inclinatum, vel ego rapta sim in admirabilem Dei domum. Et ecce ante thronum Dei Patris stabat soror Hildegundis, ornata tamquam sponsa nova, quam rex adduxit ad regni sui palatia. Tribus erat amicta palliis, septem diademata habens in capite ; laudabatur specialiter a choris omnibus Angelorum. Videns, eam cognovi in omnibus donis quæ de divina susceperat largitate; verumtamen delectabar cum [ea] alloqui et interrogare, ut in illa fruitione cum ea diutius possem esse. Et dixi : « Eia, dilecta, unde habes hoc roseum mantellum? » Et respondit : « Martyr fui, igneo cremata amore, quod frequenter cor meum [sanguine] respersit caput meum. » Et dixi iterum ad eam : « Et unde habes aureum

amictum qui tam pulchre lucet ? » Respondit : « Propter exempla sanctitatis bonorum operum. » Et dixi : « Unde habes tam candidum et floridum pallium ? » Respondit : « Propter admirabilem amorem, quo familiariter in corde meo et in sensibus meis arsi. Propter autem septem virtutes, videlicet constantiam, fidem catholicam, fidelitatem veram, largam misericordiam, sacram intelligentiam, charitatem eximiam, virginitatis munditiam, septem diademata deferebat. Et interrogavi eam dicens : « Dic, dilecta, ubi est corona humilitatis quæ competit omnibus sanctis ? » Respondit : « Hanc singularem nec habui nec habeo, nisi quantum Deus eripuit me ab elationis vitio. Hæc septem diademata ornant singulariter pernobilem et puram gloriosam virginitatis aureolam. »

Sic autem collaudatur a choris : « Glorificamus te propter tuam pœnitentiam, [dulcem gemitum], bonam voluntariam paupertatem, constantem fortitudinem, veram rectitudinem, sapientiam et veritatem. » Sic autem a Seraphim suis consortibus laudatur : « Laus tibi sit in charitate divina, o Regina. » Throni sic : « Laudamus sponsum in pulchritudine hujus sponsæ. » Multa quæsivi alia quæ nunc mea reticent labia, quia licet cœlum uniforme sit colore, terra tamen [heu ! valde] variabilis est vitiis et dolore [mihi et aliis multis, quinondum ad cœlum pervenerunt, ubi veritatem poterunt contemplari.]

## XXI. DE FRATRE BALDEWINO.

FRATER *Baldewinus, germanus sororis Mecthildis, ab ipsa pueritia nutritus bonis moribus et omni virtute instructus est, et nihilominus per ipsius industriam litteris appositus sufficienter disciplinis scholasticis est imbutus. Tandem meritis sororis ad Prædicatorum Ordinem est receptus ; in quo in virtutibus et scientia sic profecit, quod ipsum licet invitum fratres ad Subprioratus officium promoverunt ;* per quod adeo gravabatur quod viribus corporis, licet juvenis IV. 26.
esset et fortis, cœpit destitui ; exsequebatur tamen injunctum officium propter obedientiam benevola voluntate. Quod cum

sorori notuisset, oravit pro eo Dominum, ut eum sua misericordia visitaret. Et respondit mihi Dominus et dixit : « Omnis labor quod sustinet, et omnis scriptura [1] et lectio quibus desudat, in conspectu meo amoris canticum coram mea cœlesti familia præibit, dicens : Magne Deus, æterne, fortis, mirabilis. Alleluia. Ego exaltabo caput ejus et omnes vires ejus sicut tuas roborabo, non solum naturaliter, sed magis per gratiam quam infundam. »

VI. 42. *Scripsi etiam eidem fratri meo dicens :* « Summum gaudium in cœlo voluntas Dei est. Quod voluntati contraria libenti voluntate complectimur, hinc divinum gaudium contribulato spiritui generatur. Religiosa mens per confessionem debet diluere quod dona Dei parvipendens non suscipit grato corde ; proinde dona Dei, quæ cum tribulatione veniunt, suscipienda sunt cum gaudio et amore ; quæ vero cum consolatione conferuntur, amplectanda sunt cum fiducia et timore ; utraque tamen cum condigna gratiarum actione : sic omnia cooperabuntur in bonum meriti et præmiorum. Frater mi carissime, esto consentiens Deo, et congratulare de sua benignissima voluntate. »

## XXII. DE FRATRE HENRICO LECTORE QUI COMPILAVIT LIBRUM ISTUM.

FRATER *Henricus, dictus de Hallis, lector Rupinensis, admiratus de dictis et scriptis Sororis Mechtildis tale ab*
V. 12. *ipsa recepit responsum :* « Magister [Henrice], vos miramini de scriptis meis ; sed de vestra admiratione amplius ego miror. Ex corde tamen vehementer doleo, cum ego indigna femina compellor scribere, quod verissimam cognitionem et limpidissimam contemplationem nisi his verbis exprimere nequeo ; quia mihi videntur æternæ valde improportionabilia veritati. Interrogavi super his veritatis magistrum, et dixit mihi : « Interroga eum quomodo Apostoli post tantam formidinem, tam grandem acceperunt fortitudinem, post acceptum Spiri-

1. Scripsit enim manu sua Bibliam in qua legitur ad mensam in conventu Hallensium. *Cod.* B *in margine.*

tum Sanctum. Et interroga ubi Moyses tunc fuerit cum nihil præter Deum videret. Interroga etiam quomodo Daniel puer senes iniquos presbyteros de mendacio convicit et Suzannam liberavit. »

*Hic litteratus et bonus vir, lector prædictus, dicta hujus Mechtildis omnia collegit et in unum volumen redegit, ac in sex partes illud distinxit, sicut legentibus nunc apparet. Hujus animam Soror Mechtildis, quæ postmodum supervixit, vidit in aspectu Domini in cœlo librum hunc in manu tenentem, et de ipso risu jucundissimo gloriantem. Per scripturam namque hujus voluminis multa sibi præmia comparaverat; quibus in conspectu Sanctorum apparuit gloriosus.*

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# INCIPIT LIBER TERTIUS

## I. DE DECANO MAGDEBURGENSI.

DEBEMUS homines salutare in Spiritu Sancto cum ejus divina voluptate, et de ejus benignis donis gratias agere. Magis vero cœlesti Patri cum universitate creaturæ gratias agere debemus de ejus sanctis donis, quæ ex sua beata Trinitate in peccatorum corda de die in diem et absque intermissione fundit. Si aquila tam in excelsum volat, de hoc noctuæ non potest gratias agere.] VI. 2.

*Exorata a Domino Th.*[1] *venerabili Magdeburgensis ecclesiæ decano,* propter suum desiderium deprecabar Dominum pro eo, et respondit mihi dicens de eo : « Desiderium ejus descendit humiliter, ut abjectionis servet vitam ; donum quod sibi confero magnum est ; voluntas qua me respicit sancta est ; verumtamen volo eum permanere in statu in quo est. » Hanc regulam hic conscriptam transmisit ei de cœlis Jesus Christus Summus Pontifex observandam. Debet secundum clericalem ordinem sine intermissione orare ; quod ut implere sufficiat, internam ei dulcedinem ministrabo ; qua in secreto cordis sui familiarius perfruatur. Si in eum tentatio irruerit, clamabit ad me in fortitudine, pugnando viriliter, et ego exaudiam eum succurrendo velociter. Debet etiam debita obligationis suæ integraliter persolvere, expensasque suas moderari, nec superfluis effluere, nec intendere vanitati. Nullum in suam familiam vel procurationem propter fastum vel lucrum assumat ; verum famulos pudicos et boni testimonii homines pro sua necessitate requirat ; nec debet

1. Theodoricus, *germanice* Dietrich.

cum suis nepotulis et proximis occupari ; sed si quis ex eis sua vestigia vellet imitari, non illi deneget consilium et auxilium opportunum. Vestes sicut nunc honestati clericali congruit deferet ; ad carnem tamen uti debet asperiori indumento contra varias quas expertus est noxias voluptates. Super stramenta dormiat inter duos pannos *lineos* (*a*) duoque cervicalia in quibus reclinatum caput suum habeat pro quiete. Diebus vero lectus decenti operimento contegatur, locatusque sit, ut nunc, in loco qui appareat evidenter ; matta sternatur in thalamo , et locus fiat congruus ad orandum. Sic per conversationem humilem et devotam perversos ad bonitatem per vitam provocet exemplarem. Duas in thalamo occulte virgas habeat, quibus cum evigilaverit castiget et cruciet carnem suam. Quotidie prostratus in longum, clamans ad Dominum dicat orationem istam : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ego indignus sum ut tuam potentem misericordiam ad me digneris inclinare. Nunc igitur te, clementissime Pater, supplex rogo, et tuam deprecor majestatem cum omnibus amicis tuis, ut tua dulcedo descendens, qua jugiter infundit de fonte vivo et inexhausto sanctæ ac individuæ Trinitatis , animam irriget sine intermissione et mundet ab omni macula peccatorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Et dixi ad Dominum : « Quomodo custodietur, Domine, a culpa, vivens inter peccatores in sæculari pompa ? » Et respondit Dominus : « Debet in continuo timore Dei persistere, inceptam mortem semper mente revolvens, et districtam extremi judicii ultionem , [non secus ac sorex qui in muscipula captus mortem suam expectat. Pars inferior muscipulæ est sæcularis pompa ; superior vero mea omnipotens fortitudo.] » Hæc dicit Dominus : « Si quis divinam gustare quærit dulcedinem, debet omni tempore, in omni re, suæ carnis illusoriam, quæ cor occulte allicit, detestari et abominando fugere voluptatem. Ideoque dum corporaliter reficitur, sit contentus et continens, misericors et largus ; dormiens vero disciplinatus jaceat et pudicus, et mihi soli junctus. Cum conversatur in mundo, [tamquam sorex] timeat periculum, et cum timore ad divinum

*a. laneos*. Cod. A.

confugiat præsidium; confitens, verax sit, sacerdotique consentiens, cunctaque disponens et faciens discreto consilio confessoris. »

## II. ITEM DE VENERABILI DECANO.

ISTE, de quo loquor, venerabilis vir secundum voluntatem Dei electus est a *concanonicis* in decanum, et dixit mihi Dominus: « Idcirco eum de sede sua ad jurisdictionis sedem transtuli, ut hircorum sit cibus, et refectio immundorum. » [Glossa :] Quod omnipotens hircos appellat canonicos, ideo fit quia luxuria sordida et abominabili fœtentem libidine carnem habent. Pellis hirci abstracta a carne fortis est et utilis ; sic clericorum thesaurus et auctoritas, fructus et honor est Ecclesiæ Dei. *Divina a carnalibus desideriis separantur ;* verum *qui his delectando carnaliter abutuntur* pelle deposita per mortem esca vermibus efficiuntur. Requisitus ergo Deus quemadmodum ex hircis agni formarentur, respondit : « Si pabula, quæ famulus meus Th. [1] posuerit, edere eisque pasci voluerint, id est, si confessorum salubre consilium secuti pœnitentiam servaverint, efficientur arietes ovium : quibus tueantur et ornentur cornibus decorati, confortari debent et in Deum spem suam ponere; dicit enim Dominus quod ipso adjuvante hujus viri debita utiliter persolventur. » VI. 3.

## III. DE VIRTUTIBUS SACERDOTUM

DEUS Pater omnipotens quasdam mihi virtutes, quibus sacerdotes ornari debeant, revelavit. Debent in semetipsis veram innocentiam perfectumque testimonium conscientiæ, cum apparatu debito Missæ qui requiritur, habere. De quo si nascatur dubium, deseratur quod imminet faciendum. Figuras a mente sua legales, judaïcasque umbras amo- III. 8.

1. Theodoricus.

veant; sicque Agni mei vivi carnem comedant [et ejus sanguinem gementes bibant], memorantes ejus quam pertulit pro peccatoribus passionem. Quod si sacerdos reus, in seque peccator fuerit, filii mei panem cœlestem manducantes salvi sunt; Judas autem damnabitur, suspendio interemptus. Quod si quidquam eorum quæ ad necessarium Missæ apparatum pertinent defuerit, mensa Domini manet vacua, alimentoque suo filii ejus et pueri spoliantur. Quod si sacerdoti celebranti [ob provectam ætatem] periculum mortis ingruerit, expedit ei magis proprium sanguinem fundere, quam sanguinem Redemptoris.

## IV. DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

IV. 8. MIRABAR cur infirmo vomenti sacramentum Eucharistiæ negaretur; eramque tam rudis ut nec intellectu nec fide hanc comprehenderem rationem, maxime cum Deus nonnisi per solum peccatum ab homine separatur. Interrogavi igitur a Domino in amore mutuo rationem, et respondit mihi : « Verum quidem est quod homo non nisi per peccatum a me disjungitur; verumtamen corpus ejus præ debilitate corpus meum potest evomere. » Ex his verbis didici in aspectu sanctæ Trinitatis, quod in perceptione hujus sacramenti, divinitas unitur animæ innocenti, humanitasque Christi corpus nostrum sanctificans eidem conjungitur, sicque Spiritus Sanctus per fidem inhabitat corda nostra. Hanc divinissimam unionem debemus in nobis cum custodia conservare.

IV. 9. Post hæc dixit mihi Dominus, quod sacerdotes sacrificium in quatuor locis debent accipere; alias vero nusquam : de altari, de loculo Eucharistiæ pro infirmo; infirmus vero pro reverentia unctionis offerre debet pro suæ beneplacito voluntatis. In campis autem, quod voluntarie offertur *gratanter* accipiat *et devote*. Sacerdos non debet eligere, nec expetere; sed quod de infirmis offertur pro gratia suscipiat, non de jure.

### V. DE OBLATIONIBUS LAÏCORUM.

LAICI offerentes sic se conservent a malitia parcitatis, sicut presbyteri cavere debent ab astutia aviditatis. Hæc custodia est necessaria utrobique; debet enim laïcus cum multa offerre charitate, cum jucunditate, et largitate; presbyter vero eam suscipere cum humili timore tremuli cordis, tamquam oblatum Dei manibus munus, et rependere Deo laudabiliter in omnibus factis suis. Terrena namque substantia iniqua et servilis est dum accipitur, valde autem libera dum *pie* effunditur. IV. 10.

### I. DE JUDÆIS.

DEINDE docuit me Dominus quemadmodum Christiani conversari debeant cum Judæis: Legem et consuetudines eorum tenere nullus fidelium debet. Cohabitationem eorum vitabit omnis christianus, nec cum eis per noctem aliqualiter remanebit. Emptionis et venditionis commercium cum eis habere licebit, absque fraudulentia societatis et avaritiæ falsitatis. IV. 11.

### VII. DE MISERABILI STATU ET DETESTABILI VITA EORUM QUI REGUNT ECCLESIAM.

DIADEMA sanctæ Ecclesiæ splendidum, quomodo obscuratum es terra, fuligine fulgor tuus; lapides tui pretiosi, rectores doctoresque sanctissimi, ceciderunt; idcirco tuis perversis moribus infirmatur et scandalizatur plebs Dei. Aurum tuum computruit in stercore vitiorum; pauper effecta est nimis, non habens thesaurum pretiosissimum, charitatem. Exusta est et denigrata est super carbones in igne teterrimæ libidinis speciosa tua facies integerrimæ VI. 21.

castitatis. Structura domus tuæ corruit, subverso per superbiam fundamento profundæ humilitatis. Ad nihilum redacta est et disparuit rectitudo veritatis tuæ, et invenitur in labiis tuis mendacium et iniquitas falsitatis ; flores virtutum et honestatis cadentes emarcuerunt in te. O corona sortis Dei, quomodo inclinata es et decor vultus tui deperiit ! Jam non est in te facies neque decor ; neque remansit quidquam virium præterquam ruinæ tuæ occasio, clericalis videlicet jurisdictio ; qua Deum et electos ejus impugnas, justificans impium pro muneribus et justitiam justi auferens ab eo. Propterea Deus humiliare te disposuit, venietque super te ultio die qua nescis, et tempore quo ignoras ; quia hoc dicit Dominus : « Ego summi Pontificis auriculam revelabo, et tangam ejus dolore zeli mei intrinsecus, eo quod ovium mearum pastores de Jerusalem latrones et lupi effecti sunt coram oculis meis : mortificant crudeliter et devorant agnos meos ; oves majores morbidæ sunt et languidæ, eo quod eas a pascuis utilibus revocatis, et pasci in excelsis montibus et herbis virentibus impie prohibetis, caventes minis et monitis, ne sana doctrina et salutaribus consiliis virorum fide et scientia illustrium foveantur. Si quis viam ad inferos ignorans scire desideret, turpium et depravatorum clericorum vitam et mores aspiciat, qui luxuriæ aliisque vitiis dediti consuetudine nefaria sine obstaculo properant ad inferna.

Hi sunt prædicatores novissimi quibus eam amiciens protegam adversus fallacias et malitias Antichristi. Tu ergo filium, Pater Patrum summus Pontifex, in terris vices meas gerens, his perficiendis studiose intendito, ut protelentur dies vitæ tuæ, et gratia augeatur ; antecessores tui breviter transierunt, quia voluntatis meæ secretum consilium non impleverunt. Sic vidi Papam in suis orationibus existentem. ibique audivi sibi ista Deum colloquentem.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## VIII. DE UTILITATE TENTATIONIS.

ROGATA oravi Dominum pro quodam homine, ut liberaret eum, auferens attactus et motus corporis, qui etiam sine peccato quandoque incidunt, ad quæ se liberum arbitrium non inclinat; et dixit mihi Dominus: « Tace; placeretne tibi quod miles omni genere armorum munitus, et in militia doctissimus, ad bellaque fortissimus, brachiisque expeditus, torperet ignavia, negligeret domini sui gloriam et donativum perderet, laudisque jactantiam, quam dominus suus et ipse habiturus esset in terra, pigritando contemneret? Quod si expers et imparatus ad pugnam, ad principum præsumeret torneamenta procedere, subito in tali ludo dejectus interiret. Ideoque infirmis oportet parcere, qui levi a tentatione arctati solent occumbere; quos permitto cum pueris contendere, ut saltem coronam de floribus valeant obtinere. » III. 18.

## IX. DEUS PIE DIMITTIT PECCATA.

ROGAVIT me quidam homo turbatus, ut pro ipso Dominum deprecarer. Oravi ergo Dominum cum timore [intra me.] Et audivit me, in veritate vocis suæ dicens verba hæc: « Non invenitur tam speciosus et innocens agnus, qui non luporum feritate et timore constringatur; prædestinationis meæ electio a nullo penitus poterit irritari. Hæc ego ei pro quo supplicas in tribus declaravi: primo, quia culpis ejus misericors fui; secundo, quia gratiam meam ipsi tribui; tertio, quia ab infidelibus hominibus eum nunquam infestari permisi. » Tunc querulosa pro eo ad Dominum dixi: « Eia, benigne Domine, adhuc timet homo iste, quod sibi peccata sua non plene indulseris. » Et respondit mihi Dominus: « Hoc est impossibile: qui pro peccatis suis dolet, relaxo ea sibi; qui vero cum dolore afflicti cordis gemit, gratiam indulgentiæ percipit; qui autem tanto fervore compungitur, ut plus vitam mortalem perdere quam peccatum IV. 6.

admittere eligeret, et in hoc perseveranter permanserit, hic post hanc vitam nullis suppliciis deputabitur, nisi aliquibus ponderosis involutus postmodum fuerit venialibus peccatis, et in his repertus, sine condigna pœnitentia negligens. »

## X. DE BEGUINA DISTORTA MORIBUS ET CONVERSATIONE, TANDEM CORREPTA.

VI. 7. In mea societate quædam est femina religiosa, de qua multa patior incommoda. Distorta enim et pertinax, ad benefaciendum nequaquam meis exhortationibus acquiescit. Pronuntians ergo tribulationem meam cum desiderio coram Domino, mirabar unde in homine talis malitia permaneret. Et dixit mihi Dominus : « Aspice vitium quo laborat. » Et vidi, et ecce appendebat ei dæmon abstrahens eam ab omni bono. Et dixi dæmoni : « Quis tibi hanc tribuit potestatem, ut Deum in hoc homine sic inhonores ? » Respondit dæmon : « Nemo mihi hanc dare potuit potestatem, nisi ejus voluntas propria accessisset. » Et [in his verbis] vidi dæmonem religiosos quamplurimos irrisorie comitantem, qui ei mendaci pietatis specie consentiunt, hanc ei in semetipsos audaciam tribuentes, unde excusavit se dæmon, et Creatorem cum omni creatura. Et dixi *dæmoni* : « Cujus auxilio miser hic a te liberabitur ? » Et dæmon [a Deo] coactus respondit : « Nullus eam eripiet, nisi propria voluntas sua. Deus enim eam liberam constituit, valetque si voluerit convertere sensus suos ; quod cum fecerit, ab ea me discedere oportet. » Tunc aio dæmoni : « Nunc in veritate Domini quæro, quod tibi nomen est. » Respondit dæmon : « Ego Uncus recurvatus dicor (quod interpretatum Widerhake dicitur). Omnis turba, quam a tergo meo conspicis, ejusdem officii sunt et sodales mei ; qui tot sumus numero, quot reperiuntur homines qui majorum suorum fideli magisterio contradicunt. » Hinc spiritus meus alacer, et anima mea in Deum erecta involvit se in ipso, sicut infans involvitur pallio matris suæ, in ipsius uberibus requiescens ; tunc voce et virtute sua

dixit anima mea Deo : « Eia, Domine, memento tribulationis meæ in homine hoc, et converte mentem ejus dulcedine tuæ suavitatis. » « Non sic, ait Dominus; experiri meæ dulcedinis suavitatem non est enim digna; verumtamen sic infirmabo corpus ejus, ut clauda vagos excursus evitet, muta a vaniloquiis obmutescat, cæca ut ab illicito visu oculos cohibeat et compescat. Et revera quidquid ei quisquam intulerit, mihi fecit. » Hæc postea infra dies quinque [1] evenerunt. [Alleluia.]

## XI. DE BEGUINA IN APPARENTIA ET NON EXISTENTIA.

FEMINA quædam habitum Religionis *beguinarum* induerat, sed tamen curiis *dominorum sæcularium* serviebat. Pro qua diebus ac noctibus *Dominum* tota virtute deprecabar, sciens quod si in eo statu persisteret, dæmonum consors fieret in futuro. Diligebat quippe nimis dominos suos, nec Dei quæsivit gloriam, sed honestatem curiæ vanam ac disciplinam inutilem cum studio procurabat, nobilitatemque eorum, quibus serviebat, semper præ oculis habebat. Venit ergo dæmon valde immanis, flammeus, cruentus, niger, cum ungulis, cornutus, oculis nigerrimis et perspicuis, adstans coram me. Non extimui, tamen signo Crucis me signavi. Obdormivi itaque, et volvebatur ultra corpus meum sicut uter aqua plenus, affligens me tam graviter ut gratiam Domini implorarem. Et ecce affuit mihi adjutor [candidus] Angelus, de quarto ordine spirituum beatorum, qui custos fuit ejus pro qua orabam. Interrogavi autem ipsum quis iste hostis esset, et cur me sic torqueret. Tunc ille lucis Angelus cœlica voce respondit : « Hic est unus de teterrimis dæmonibus, cujus est officii eos qui se justos æstimant apparenter, dilectione damnabili rebus et personis sæcularibus alligare; idcirco autem nunc pœnis te exagitat, quia tuis precibus conaris eum de sua potestate et possessione ejicere. » Et ait illa : « Numquid aliquandiu durabit hæc afflictio ? » Respondit IV. 17.

1. quatuordecim. *Cod. teutonicus.*

Angelus : « Nequaquam; hic mihi dignatus est Dominus suam clementiam declarare. » Post hæc idem inimicus veniens igneas super me sagittas fulminavit, quæ mihi infernales pœnas in mente et corpore intulerunt. » Et dixi : « Quod tibi a Deo permissum est infer mihi. » Tunc infirmatus dæmon dixit : « Ex quo te humiliter ad flagella exhibes, omnibus *ut te affligam* viribus sum destitutus. » Et dixi : « Per viventem Deum tibi præcipio, ut mihi edicas nomen tuum et officium quod in hac femina exerces. » Respondit dæmon : « Nomen meum tibi non enarrabo, quia mihi magnum forsitan dispendium generaret. » Et dixi : « Oportet te hæc facere, per extremum judicium conjuratum. » Tunc dæmon inquit : « Ego huic personæ crudelem ingero superbiam et sæcularem astutiam, avaritiamque grandem, elongans ab ea omnem pietatem et miserationem. Nomen meum est Grellkeit, *hoc est iracundia*, spiritualia dissipans corda.

## XII. DE IMPUGNATIONE ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM.

IV. 27. ORTA est aliquando [1] gravis persecutio quorumdam fallacium doctorum [2], aliorumque qui avaritiæ student peccatorum, adversus Ordinem *veritatis lucidæ* Prædicatorum. *Quibus ex intimis animæ meæ visceribus compatiens* oravi Dominum, ut in Ordine *tam necessario statui Ecclesiæ* suam gloriam conservaret. Et dixit Dominus *ad me :* « Quamdiu eos tenere me placuit voluntati, impossibile est eos per hominis cujuspiam quantamcumque malitiam aboleri. » Et dixi ad Dominum : « Numquid, mi Domine, usque ad consummationem sæculi manebit Ordo iste ? » Et respondit mihi Dominus : « Usque ad extrema tempora permanebit. »

1. Anno Domini MCCLVI°. *Cod. B in margine.*
2. Gulielmi a Sancto Amore, etc. in Universitate Parisiensi.

PROPHETIA DE FRATRIRUS NOVÆ RELIGIONIS IN EXTREMO VENTURIS.

Tunc exsurgent [1] homines novæ religionis qui istos prædicatores sapientia, potentia, pauperie et fervore spiritus superabunt, propter ultimam tribulationem, quæ tunc Ecclesiam perturbabit. Vidi eorum vitam, vestes et numerum copiosum. Duplici tantum utuntur indumento, quorum interior albi, superior rubei coloris est, humanitatis Christi munditiam et passionis similitudinem repræsentans. Comam capitis et barbam prolixam prout creverit non attondent. Cingulo de oleo olivæ confecto, hoc est de subere vel cortice olivæ præcingentur, in signum Ecclesiæ desolatæ. Nudis incedent pedibus, præterquam in locis ubi terra gelu constringitur, in quibus rufos portabunt calceos albis corrigiis ligatos, caligas non habentes. Capita lavabunt æstate in sylvis cum aqua; in hieme vero non, quia carent domicilio. In omni loco sunt advenæ et hospites non habentes domicilia. Argentum et aurum non habent absconditum, multa paupertatis incommoda sustinentes. Quivis eorum defert baculum album rufo coloratum, habentem desuper in modum Thau eburneam crucem ad longitudinem palmi. Ebur indicit eis castitatem et omnem munditiam; baculus rubricatus, memoriam passionis. Intus parte una sculpta est imago patientis Christi, in altera, ascendentis: hunc in omni loco coram se tenebunt comedentes, bibentes, dormientes, orantes, per diem prædicantes, missas celebrantes, confessionem audientes. Cum vero manu deponunt, ipsum terræ infigent [ante oculos suos], ut supra Christi passionem aspiciant. Cum propter utilitatem vel necessitatem via eorum protenditur, debent [duo] unum asinum secum ducere, et aliquando in eo equitando requiescant; nec tunc baculum juxta latera reclina-

1. *In summa margine cod.* B *legitur:* Isti venient anno Domini M°. D°. L°. vel LX°., et 30 annis in pace prædicabunt verbum Dei; postea veniet Antichristus. *Similis nota marginalis reperitur in codice Einsiedelnensi.*

bunt, sed coram se erectum tamquam Crucem Domini deferent reverenter. Asino sedent equitando, humilitatem Christi imitando; pedes etiam ipsorum tam graviter itinerando læduntur, quod nequeant [totum iter] sustinere; calceos a festo Omnium sanctorum usque ad Cathedram Petri tantum ferre licet. Nec pro libris nec pro aliis necessitatibus ab aliquo quidquam petent. Panem tamen humiliter petere possunt, cum non ultro exhibetur. Cum simplicibus et popularibus comedent quæcumque apponuntur eis, præter carnes. Non jejunabunt, nisi jejunia ab Ecclesia instituta. Talia sibi providebunt hospitia, in quibus dormire et orare possunt ab aliis sequestrati.

Videntes fideles tantam sanctitatem, ædificati dabunt eis necessaria cum gaudio abundanter; cum viduis non hospitabunt. Lavabunt fideles cum devotione eorum pedes exasperatos, gratias agentes Deo quia fovent Ecclesiam; et ungunt pedes eorum, viri [nomine,] quia dii non sunt; quia permissum Mariæ est Magdalenæ ungere Dei Filium verum Deum. Cum attrita viderint vestimenta eorum, nova eis homines ministrabunt. Offerentur eis plurima; refutabunt, suadentes ea ipsi in pias causas misericorditer elargiri. Bis in anno capitula celebrabunt, [inducti per utilitatem et necessitatem Ecclesiæ]; in æstate in nemore, in hieme in civitate, in domo civium consulari. Si quis hunc statum aggredi voluerit, duo librorum genera debet habere: de majori libro prædicabit; libri principium est: Credo in Deum; deinde alii sermones sequuntur docte ordinati juxta catholicam veritatem. De minori libro, horas canonicas decantabunt.

### DE FILIO IMPERATORIS PRIMO MAGISTRO HUJUS ORDINIS.

Primus ordinis hujus auctor erit filius regis Romanorum. Nomen ejus [teutonicum] interpretatur coram Deo: Alleluia. Huic Papa proximam tribuet potestatem, deinde voluntarie eliget et a Papa suscipiet statum istum cum quo magni magistri vestientur imitantes ipsum, nec erunt ætate minores viginti quatuor annorum. Non assument aliquos

nisi sanos et valde doctos; oportet enim omnes sacerdotes, confessores et electos esse doctores. Primus magister vocabitur princeps, qui quartus fratrum procedet, quia fides in ipso præcipue impugnabitur. Tredecim ex se unum prælatum habebunt, qui Custos appellabitur, et semper tertius procedet. Est autem magna eorum auctoritas, quibus nullus Pontificum comparatur. In omni loco prædicare, confessiones audire, missas celebrare, eis interdicere nullus potest. In quolibet Episcopatu septem erunt ex ipsis, secundum septem Spiritus Sancti dona. In Archiepiscopatu tredecim erunt juxta formam conventus Christi. Romæ triginta erunt propter felix commercium venditionis Christi. Hierusalem plures erunt, quia occisus est ibi Christus. Minus capitulum post tres hebdomadas propter mysterium Trinitatis in civitate, cum quinque fratribus propter quinque vulnera Christi, vel cum septem propter septem dona Spiritus Sancti, vel cum pluribus secundum quod poterunt convenire. Infra refectionem, major in Ordine loqui debet de vita et exemplis Christi, et cæteri taceant. Super stramina dormiant, laneum pannum album habentes super stratum, et alium ejusdem coloris super se positum. Cervical ad caput inferiore panno tectum. Renes eorum sedendo nec jacendo molliter accubabunt, quia sani erunt usque ad martyrium sicut Christus. Verum quidam qui utiles fuerunt et præ senio finem Ordinis nequeunt præstolari, si debilitantur vel infirmantur, hi molli stratu et delicato pastu refovendi sunt benigne, propter eorum consilium utile et salubre.

### DE PACIFICO STATU ET TEMPORE HORUM FRATRUM ET ADVENTU ANTICHRISTI.

Hic status sanctus stabit in pace bona per annos triginta, infra quos sic docebunt et illuminabunt Ecclesiam, quod propter simplicitatem ignorantiæ a fide divertere non oportet. Heu! heu! post hæc consurget tribulatio; veniens enim tunc Antichristus principes sibi agglutinabit sæculares, per aurum et lapides pretiosos et per maximam falsitatem quam

diligunt et sequuntur. Adhærent ergo libenter excolentes eum tamquam [suum] Deum et suum Dominum, præstantes ei ducatum et sigilla sua cum litteris. Heu! tunc veniens ad clerum inveniet per avaritiam et per ingentem astutiam, *et vincet eos facillime, et prosperabitur* in tantum quod Episcopi et prælati alii pauci in Ecclesia permanebunt. Tunc hi fratres sub periculo vitæ suæ fidem catholicam prædicabunt promittentes et dantes indulgentiam omnium peccatorum vere pœnitentibus, vitamque æternam sine purgatorio perseverantibus in fide. Quia hi fratres sancte vixerunt in populo, multi cum eis martyrium sortientur, multi Judæi et gentiles sensati fidem catholicam et baptismum suscipient ab eisdem. Hinc indignatus Antichristus, graves angarias et minas ingeret his qui ad eorum sermonem accedunt : beati qui tunc eos audiunt et assistunt! [Et tanta erit angustia quod se boni a malis separabunt, et corpus et quodcumque habent abjicient.]

Tunc nuntii Antichristi venientes, prædicatorem sanctum transfigent ferrea phalanga propter doctrinam christianam, in qua oportet pendentem affligi ad terrorem et miseriam aliorum. Deferunt autem inter se sic transfixum ad spectaculum. Dolent et flent pii, irrident et gaudent impii. Tunc in spiritu Dei cantat : Credo in Deum, et consolans fideles : Christiani filii Dei Omnes tunc sequentes eum, capti, tectis oculis flagellati, ducentur, *sicut oves occisionis* ad magnam aquam, ubi decollati mergentur in flumine; ubi vero aqua non fuerit, in campis occidentur. Ordinat autem Deus ut tegantur sanctorum oculi, ne vanissimam malorum gloriam, quam habent cum bestia, intuentes, moveantur ex humana fragilitate. Ipsum autem sanctum prædicatorem sic mortuum statuunt in excelso, in eo loco quo prædicaverat et passus fuerat. Post hæc, qui fidem Christi voluerint imitari erunt vivi martyres, et gloriosi sancti. Tanta est Antichristi immanis potestas quod nullus ei poterit coæquari, cum Papa plus non prævalet contra eum, ad fratres convertitur, sustinens quod et illi.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XIII. DE ADVENTU ENOCH ET ELIÆ.

Tunc in adjutorium illorum Enoch veniet et Elias, qui nunc in paradiso [sunt, ibique in corpore et anima in iisdem vivunt deliciis et eodem sunt] nutriti cibo quo Adam vesci debuit, si ibi permansisset. Vitant autem propter obedientiam Dei fructum arboris interdictæ. Hanc arborem ego vidi : magna non est, fructus pulchri valde, ut rosa, aspectu delectabiles, sed naturaliter acerbi saporis, peccati amaritudinem significantis ; quam Deus noluit hominem acceptasse, quia hic fructus sic homini inconveniens exstat, quod adhuc toxicus est. Idcirco hoc lignum vetuit Deus homini, cui non malum creavit.

In illa extrema tribulatione, cum hi fratres confortantes populum electum omnem ad passionem perduxerint, ipsi plerique adhuc viventes restant, quorum innocens tanta est tribulatio, quod eorum sancta promeretur oratio, ut ad eos tunc primum Deus mittat Enoch et Eliam, ut eos consolentur et educant de nemore, ut prædicent et ad mortem præparent. Hi duo de paradiso egressi, Dei veritatis sapientia pleni potenter Antichristo resistendo refellent. Ipsi plane ostendent unde sit, et cujus virtute signa faciat enarrabunt, et unde venerit, et quo fine sit cónsummandus. Videntes autem qui ipsum coluerunt, quia in reprobum sensum dati sunt, ut ipsum propter avaritiam et concupiscentiam suam pro Deo colerent, [quod Deus in eorum corda perspicue noverat], convertentur viri nobiles et speciosæ mulieres, qui a fide recesserant [et Antichristum secuti fuerant.] Tunc justi occidentur, quia tunc Antichristus maxime dominabitur. Congregabit omnes christianos qui reperiri possunt, et in plateis bullientes sartagines præparabit ; et convocatis uxoribus et liberis eorum, cogentur eligere, a fide recedere aut his suppliciis interire. Respondebunt viri : « Eia, uxores, et non de nobis, sed æterna gaudia cogitate, offerteque vos hostiam, et sic non separabimur , sed pariter regnabimus. » Tunc uxores dicent et liberi : « Domine Jesu, fili Virginis

pro te volumus libenter martyrium sustinere. « Tunc martyres cum liberis mittentur in foveam igne plenam, et super eos ignem, ligna, straminaque projicient, et cremabuntur. Angelus autem educet Enoch et Eliam de paradiso, quorum claritas et jucunditas non descendet cum eis. Aspicientes autem terram terrebuntur, sicut videntes mare, metuentes quomodo transeant. Tunc suscipientes terrenam imaginem, mortales erunt. Cibus eorum mel et ficus; potus, vinum mixtum aqua. Anima vero eorum pinguedine Dei satiatur.

VI. 15. § 4. Iter eorum ab India usque ad mare; quemlibet eorum magna multitudo fidelium sequitur fugientium Antichristum. Qui omnes tamquam canes rabidi occidentur, quorum vita toxica æstimatur. Tunc occulti Christiani, scientes se periculum persecutionis aliter non posse effugere, adhærebunt eis. Elias primo altissimæ cruci alligatus, clavis affigitur manibus, pro eo quod frequenter crucis gloriam prædicabit, et quæ in cruce pertulit Jesus Christus; ut diutino tormento attritus, a doctrina cessans, Antichristo adhæreat, non inferent ei mortem. At ille sine voce obmutescens, pendebit in cruce tribus diebus et noctibus, confortans populum donec emittat spiritum. Tunc vidi Dominum Patrem manibus Filii ejus animam suscipere, sic dicentem: « Veni, dilecte meus, jam enim tempus tuum *et meum* venit. » Et in splendore cœlesti deduxit eum Deus. Non sinetur sepeliri ad terrorem Christianorum; verumtamen aspicientes sacrum corpus, ad fidem magis moti et devotionem, venerabuntur; tanta ad hæc replebuntur dulcedine ex præsentia sacri corporis, ut mortem et terrena omnia parvipendant.

Enoch supervivere permittet Antichristus; delectatur enim audire omnem sapientiam quam scit Enoch de Deo, ut subvertere possit eam, et ut ipsum Enoch sibi possit attrahere, ut sic toti mundo dominetur. Interim tot ab Antichristo discedent, ut ideo durius contra Enoch agere incipiat. Tunc primum etiam Enoch aggredietur ipsum in hunc modum: « Tu totius orbis flagellum, a Deo missus es propter peccatum malorum et probationem electorum. Tu habens scientiam utriusque Testamenti, nunc vide quem tua facta exitum præstolantur, sicut vis et placuit tibi; secundum Scripturam filius es perditionis, sicut ipse legis. Tu cœlum

et terram non creasti, nec angelis vitam donasti; tu hominem non fecisti, [nec animam nec corpus], nec aliquam creaturam: quomodo poteris ergo esse Deus? Opera tua falsa sunt; veritas, Jesus Christus est, qui cum Patre vivit Deus. »

## DE MORTE ENOCH.

IRATUS filius perditionis respondet : « Qua fronte me præsente hostem meum nominas, cui gloriam meam ascribere non formidas? Ego me consolabor, et de te mundum liberabo. Accipite, inquit, eum et in os ejus picem fundite bullientem. Stringite duris loris collum ejus et obmutescat continuo hostis meus. Si sermones ejus pati possem, libenter diutius eum torquerem. Suspendite eum mortuum altius omnibus maleficis, ut omnes eum intuentes in Christum credere pertimescant. Blasphemavit, reus est læsæ majestatis: doctrinam habuit vanitatis; ego autem per multa tempora sum prævisus; secundum doctrinam meam, prosperabitur vita mea. » Tunc Enoch intra se orans dicet :« Sancte Pater et Fili et Spiritus Sancte, tu æterne et indivisus Deus, gratias ago tibi, quia me dudum elegisti, et tunc pro te me pati voluisti. Oro te pro tuis et pro meis ovibus jam sine pastore derelictis : conserva eas singulariter, et consolare familiariter. Suscipe animam meam, de corpore meo curam non gero. » Responsum divinum quod tunc ei dabitur, et gratiarum actionem et orationem ejus vidi, et legi scriptam in libro æternitatis, sic : Dilecte fili, festina valde nunc venire ad me, quoniam in te veraciter *gloriabor*. Hi, pro quibus oras, parvulos *occulte* per se baptizabunt, ego velociter eos de filio perditionis eripiam. In corde suo fideles permanebunt, et eos de laqueo desperationis custodiam. Veni, care mi, expecto te, tibique alludit anima mea.

## XIV. DE STATERA IN MANU CHRISTI.

V. 3. ERIT in die novissimo, coram summo Patre, in manu Jesu Christi gloriosa statera, in qua reponentur sanctissimi Christi labores et pœnarum, quas in mundo pertulit innocens, multitudo. Erit in hac statera innocens pœna, despectio, cordiumque molestia omnium, qui pro Christi amore sustinere hic supplicia meruerunt. Tunc erit æqua ponderatio meritorum, gaudebuntque qui ibi pretiosi thesauri pondera contulerunt : virginalem sanguinem, martyrumque propter Christum immolatorum, occisorum innocentum, et cum suo sanguine ponderabit propter innocentiam qua in morte claruerunt.

## XV. [INGEMISCIT ANIMA DE CORPORIS EXSTINCTIONE.

VI. 15. O POTENS Dei amor, tam suavem mihi vim intulisti, ut anima mea cum angustia miraculum concupiscat. Quando enim cogito quod corpus meum in morte ita exstinctum fuerit, ut jam nec pati nec laudare debeat dilectum meum Jesum, tunc mihi tam gravis incumbit dolor, ut cupiam, modo possibile esset, ad novissimum usque diem meam producere vitam. Ad hoc me cogit ille fidelis amor, qui Dei absque me, nec mei est. Ideo dixit Dominus : « Cum moritura sis, per totum tempus age pœnitentiam, quantumlibet sancta esse possis. » — « Eia, Domine, rogo te, non moriatur desiderium meum, quando jam in corpore nihil mihi licebit mereri. » Dixit Dominus : « Desiderium tuum utique vivet, nec mori sane potest, eo quod æternum est. Igitur ad novissimum usque diem propter me expectet ; rursumque corpus et anima simul venient ; tunc ergo ea in unum iterum constituam, et me laudabunt absque fine, quæ mihi libenter a primo initio famulata essent ; quippe tu cum Adamo propter amorem meum jam vivere voluisses, et ideo omnium hominum molestias sustinere, et famulatum perficere propter me elegisti. Imo et hæc dicam : tuum esse

usque ad novissimum stabit hominem. » — « Eia, mi dilectissime, qualis erit ille novissimus homo, ad quem se protendere debet vita mea ? Spirituales viros in fine mundi vivere, multum erit difficile. » Sic respondit Dominus : « Enoch novissimus erit qui spiritualem vitam teneat. »

Post hæc ostendit mihi Dominus hujus mundi finem, quando novissimi Fratres martyrio tradentur. Horum capilli non excisi fuerant ex speciali Dei consilio, per capillos enim ad arbores suspendi eos jubet Antichristus; in qua suspensio ne pulchra morte defungentur, cordibus intus dulciter cœlesti igne in tantum flagrantibus quantum in corpora sæviunt tormenta. Quapropter, inter consolationem Sancti Spiritus et miseræ carnis cruciatum positi, animam suam absque ullo doloris tremore exhalant.]

## XVI. ALLOQUITUR ANIMA CORPUS SUUM RESURGENDI.

« SURGE, dilecte mi, et consolare, recuperans omnes pœnas infirmitatis tuæ, despectionis, tristitiæ, exilii, læsionis, et laboris. Ortus est lucifer, videlicet nativitas Mariæ virginis et conversatio gloriosa. Refulsit sol Christus homo factus, opera ejus et glorificata ascensio. Luna in æternum stabit; hoc est, nos resurgentes in æterna vita erimus immortales. Olim omnis salus mea fuit in te; nunc omnis consolatio tua manet in me; nisi enim rediissem ad te, pulverem nullus erexisset te. Æternus dies illuxit, in quo nobis merces pro laboribus tribuetur. » *Hæc sunt verba animæ ad corpus suum in die resurrectionis novissimæ.* VI. 35.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER QUARTUS

## I. EXCITAT AMOR ANIMAM PIGRAM.

AMOR sic alloquitur animam : O stulta et insipiens anima, ubi nunc es, et ubi est habitatio tua? Ad quid vivis, et ubi requiescere poteris? Ex quo non diligis delectabilem Deum supra voluntatem tuam super omnem virtutem tuam? II. 23

Respondit stulta dicens : Noli me inquietare excitando; nescio quid loquaris mihi.

Amor dixit : Reginam excitare licet, cum adventus appropinquat regis.

Anima dixit : Ego ordinem sanctum porto, jejuno, [vigilo], sine [gravi] crimine vivo, satis ligata sum regula et conclusa.

Amor dixit : Quid prodest quod vas vacuum multo ligamine constringitur, cum tamen vinum effluere videatur. Impleatur ergo lapidibus, exteriorum scilicet laborum, et transitoriis rerum temporalium cineribus.

Anima dixit : Ego voluptate carnalium cognatorum, et spiritalium amicitia perfruor dilectorum. Et quomodo possum voluptuose diligere, cujus speciem non valeo videre?

Amor dixit : O! quod non cognoscis eum cujus nomen dulce tam frequenter audis! Plus versatur occupatio tua circa tuum caninum corpus quam erga eum, cujus nomen est Jesus Christus, cujus propterea gloria privabitur spiritus tuus.

Anima dixit : Ego vivo secundum propriam voluntatem, quam libenter expleo juxta meam possibilitatem.

Amor dixit : Si Deo vis adhærere fideliter, oportet te charitatem ejus sequi spiritaliter.

Anima dixit : In potestate et libidine mei corporis requiesco.

Amor dixit : Erubesce, obsecro, quod nomine gloriaris religioso, et occuparis per omnia corpori tuo.

Anima dixit : Quomodo sustentarem et viverem, si tuis consiliis obtemperarem?

Amor dixit : O infidelis ! qui animam adeo nobilitavit, quod [solus] cibus ejus sit Deus æternus, numquam impastum relinquet de terra plasmatum mortale corpus.

Anima dixit : Tu dure increpas me; si scirem quis et ubi esset, ad eum adhuc converti sensus meus posset.

Amor dixit : Si vis cum ipso in libertate jucunda et nobili habitare, oportet te primum habitationem pravæ consuetudinis abnegare.

Anima dixit : Cum quid melius est cognovero, hoc eligere parata ero.

Amor dixit : O quam multi hoc non faciunt, qui juxta doctrinam plura sapiunt [et naturalem sensum], ut se tradant potestati nudi ac simplicis amoris, fiduciam habentes, in eo cui cura est de nobis; at mera simplicitas, quæ sinceritate pura Deum intendit, huic se ipse dignanter inclinat et proinde attendit.

Anima dixit : Putabam ego cum religiosam vestem induissem, quod valde ardua conscendissem.

Amor dixit : Quid prodest quod dormienti clara vestis induitur, eique ciborum apparatus deliciosus apponitur, cum his soporatus et dormiens non utatur ? Eia, dilecta, permittas te excitari et vigila.

Anima dixit : Eia nunc dicito mihi ubi sit habitatio ejus.

Amor dixit : Nullus dominorum invenitur qui in omnibus domiciliis suis similiter habitare valeat, præter ipsum solum, qui in pace sanctæ charitatis habitat. Ibi cum dilecta secrete colloquitur in angusta mentis solitudine, eamque complectitur in amoris sibi complacens plenitudine. Intuentem se amanti salutat oculo; deosculatur speciosam [divini] oris sui osculo; [oh! bene tibi et plusquam bene, in supermagnifica hora] contingit virginem tactu mundissimo, in flo-

rido castitatis lectulo. Ibi provehitur ad summum bonum, et experitur amantissimum væ, cum conjuncta fuerit ei vere. *Ibi ei erit bonum super bonum, et pax super pacem exsuperans sensum omnem.* Eia nunc, dilecta, non resistas, sed permittas te amari, nec prohibeas id amare.

Anima dixit : Qui cum amaritudine hoc prohibent?

Amor respondit : Hi sunt qui se et alios suis iniquitatibus onerant et impugnant. Nunc quoque narrabo tibi quis sit de quo tibi persuadeo. Ipse est celsitudo altissima, quæ se inclinavit in hujus vallis profundissima, et hæc vallis infima elevavit se, et transcendit omnia cœlorum vestigia. O anima insipiens et stolida! circumspice hic infima, et leva oculos tuos *ad illa tam sublimia; unge oculos tuos collyrio, ut videas eum cum quo semper maneas.*

Anima dixit : Ex quo propter me Summus descendit ad infima, tribuitque se mihi cum omni creatura alia, perpetua mihi foret verecundia, quod mea turpia et vilia non dedi pretia, ut acciperem aurea et pretiosa præmia. Væ mihi! ubi fui infelix, et cæca, quod tamdiu vixi carens charitate divina, per quam procul dubio omnes vicissem miserias et contrarias inimicorum insidias? Nunc ego paupercula, quamvis innumera neglexerim præmiorum merita, opto adhuc relictis omnibus mundanis, exire extra omnia, ut vadam ad amoris sublimia. Eia, amor, dignare me adhuc suscipere ut valeam in te quiescere.

Respondit amor : Ego te suscipio; Deus enim omnibus communicat se et nulli se denegat. Intellige quæ dico : Hoc est justum commercium et æqua ponderatio : qui vult habere quod cupit, relinquat quod diligit; et qui quærit quod amat, abneget quod affectat.

## II. DE COLLOQUIO ANIMÆ ET CHARITATIS.

Occurrens anima charitati, salutavit eam reverenter, dicens : Ave, mi sancta charitas. I, 1.

Respondit : Salvet te Deus, regalis anima.

Anima dixit : O charitas, tu es valde perfecta.

Respondit : Propterea sum super omnia præelecta.

Anima dixit: Hoc opus tuum extitit ab æterno, ut celsitudinem sanctæ Trinitatis compelleres, ut se totam transfunderet in humilem Mariæ virginitatem.

Respondit charitas : O anima, hæc est tua gloria et gloriatio sempiterna.

Et dixit anima : O charitas, tu venisti nunc ad me, et omnibus quæ in hoc mundo habui et possedi expoliasti me.

Et dixit charitas : O anima , fidele est hoc commercium, et utilis commutatio.

Et anima : Charitas, tu meam pueritiam adnihilasti.

Respondit charitas : O anima , pro hac libertate tibi cœlestem concessi.

Et dixit anima : Charitas, tu mihi florem juventutis abstulisti.

Respondit : Pro hac multas sanctas virtutes retribui tibi.

Et dixit anima : Tu mihi parentes et amicos *et bona temporalia* rapuisti.

Respondit charitas : Eia, regalis anima, hæc est vilis querimonia.

Et ait anima : Tu tulisti a me sæculum et honores ejus, et divitias ejus omnes.

Respondit charitas : Hæc ego tibi omnia in una hora per spiritum meum, pro voluntate tua, restituam in hoc mundo.

Et dixit anima : Tu me sic fortiter constrinxisti, quod corpus meum doloribus fere in nihilum redegisti.

Respondit charitas : Pro hoc multa te cognitione ditavi.

Et anima : Tu carnem meam et sanguinem meum expendisti.

Respondit charitas : Ex hoc purificata es, et in Deum elevata.

Et ait anima : Charitas , tu es raptrix violentissima; adhuc in multis es mihi debitis obligata.

Respondit charitas : O anima, pro his accipe memetipsam.

Et dixit anima : Nunc satisfactum est mihi centuplum in hac vita.

Et dixit charitas : O anima, adhuc præter Deum, quem præhabes, possidebis regnum Dei.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## III. DE STUDIOSA ANIMA AD DEUM SUUM.

DEUS, innumerabilis thesaurus in divitiis! incomprehensibilis in mirabilibus multis! majestas interminabilis in potentia tuæ nobilitatis! Quis mihi dolor sit, [ad te suspirans] cum mihi parcis, omnis creatura narrare non sufficit; quia mœror est invisibilis; mors esset mihi dulcior quam pœna hæc intolerabilis. Quæro te meditationibus, sicut dilectum juvencula, modis occultioribus, fioque multum fragilis, ligata tuis vinculis; fortius me est hoc vinculum, unde non habeo cor amore liberum. Clamo ad te cum desiderio in voce exuli: expecto te cum cordis mœrore, nescia requiei; ardeo inextinguibiliter in tui amoris calore; sequor, te festina currens in unguenti odore. Si gigantis vires haberem fortissimi, illas vere consumerem currens, et quærens vestigia sponsi velocissimi. Eia, dilectissime, noli me diu præcurrere; requiesce suaviter, ut te comprehendam veraciter. Eia, Domine, cum mihi omne quod a te habeo abstuleris, præsta mihi per gratiam, quam canis habet per naturam, ut tibi fidelis sim in mea tribulatione, sine tædio [et diffidentia]. Hoc magis procul dubio quam cœli gaudia cupio. II. 25.

### DOLET ANIMA QUOD PARCIT EI DEUS.

COLUMBA mea, audi me: [Divina] sapientia mea sic excellit te, quod ordino dona mea in te, ut corpus tuum fragile valeat sustinere. Occulta tua infirmitas prævalet invenire; cordis tui molestia cogit me; cursus tuus velox post me lassat et sistit me; nam quæro refrigerium in tui cordis munditia, in quo constrictus sum per vincula cordis tui; suspirium tuum abstulit a te justitiæ meæ judicium; concordat nostra affectio; nam quacumque dividamur, nolo esse sine te, et tu langues, nec quidquam prævales præter me. Quantumcumque leviter tangam te, valde tamen affligo te in fragili tuo corpore. Si tuis votis annuens, tibi semper afferrem me, in terris ipse

privarem me hospitio grato, tuo pectore. Mille corpora nequaquam possent amanti animæ plene exsolvere vota sua. Ideo tanto martyr gloriosior. quanto amor fuerit sublimior.

Dicit anima O Domine, nimis parcis putrido carceri, in quo bibo aquam mundi, et manduco cum miseria buccellam panis subcinericii [infirmitatis meæ]; vulneratasque sum ad mortem telo amoris tui igneo, nec unguentum adhibes ut a dolore me liberes.

### CONSOLATIO SPONSI AD ANIMAM.

O PRÆDILECTA Domina, quamdiu cruciaberis hac impatientia? Cum te vulneribus gravissime saucio, tunc tibi mox unguenta salutaria amanter adhibeo. Divitiarum mearum magnitudinem sola possidebis, et super meipsum potestatem habebis. Ego ex intimis meis amo te. Si stateram habueris, aurum a me quamplurimum reportabis. Omne quod propter me gessisti, omisisti et pertulisti, æquo pondere et mensura bona tibi restituam, teque super meipsum liberaliter secundum voluntatem tuam, in æternum gratis constituam.

Anima dixit: Duo quæro a te Domine, responde mihi secundum gratiam tuam. Cum oculi mei tristantur exuliter, et os meum tacet simpliciter, et lingua ligatur misere, sensusque mei omni hora quærunt quid mihi sit, tunc totum, Domine, mihi est post te. Cum caro mea deficit, sanguis exsiccatur, ossa figiscunt, nervi contrahuntur, cor liquescit præ tuo amore, anima fremit famelici leonis more: quomodo mihi tunc sit, et ubi tu sis indica mihi, Domine prædilecte.

### CONFABULATIO SPONSI ET SPONSÆ VALDE DULCIS.

RESPONDIT Dominus: Tu es velut sponsa recenter nupta, a qua dormiente dilectus latenter recessit, super quem cor suum inclinaverat plena fide, cujus absentiam nec horam poterit sustinere. Quæ cum vigilans eum habere non poterit,

imaginem ejus sensu revolvit, unde dolor inchoat et querela plangit. Antequam sponsus sponsam traducat ad propria, frequenter tristatur sponsa carens ejus præsentia : ego ad te venio pro meo desiderio, cum volueris. Interim disciplinata esto et quieta, et tuam tristitiam [ubi possis] occulta : ex hoc enim incrementum suscipit amoris tui virtus et potentia. Nunc dicam tibi, ubi tunc sum : in memetipso sum, in omni loco et in omni creatura sicut fuit ab initio. Expecto te in deliciarum horto, et flores unionis dulcissimæ tibi carpo, lectumque [sanctæ] cognitionis de gramine odorifero tibi sterno. Sol splendidus meæ deitatis fulget super te , de mirabilibus absconditis delectabilitatis meæ, de quibus modicum familiariter decerpsisti. Ibi inclinabo ad te arborem Trinitatis altissimam, decerpesque inde viridia , alba et rubea sapidissimæ humanitatis meæ poma, et obumbrabit te Sancti Spiritus umbra ab omni terrena tristitia, et fugiet a te cordis molestia. Cumque arborem circumplexa fueris, docebo te Virginum canticum, melodiam, verba, dulcem resonantiam, quam nequaquam capiunt qui carnis voluntati serviunt : [quorum tamen erit dulcis conversatio.] Canta nunc, dilecta mi, ut audiam, si tu nosti.

Anima dixit : O Domine, rauca sum in castitatis gutture; attamen tuæ dulcedinis cithara resonantiam mihi contulit ut possim cantare hoc modo [1] : Domine, sanguis tuus et meus est unus impollutus ; amor tuus et meus est unus indivisus ; indumentum tuum et meum est unum immaculatum ; os tuum et meum est unum osculis carnis intactum ; pectus tuum et meum est unum incompressum ab omnibus viris præter te solum. Hæc sunt verba Cantici virginalis. Vocem vero amoris et sonum cordis non exprimo, quia calamo scribæ non pingitur *quod lingua non exprimitur*.

1. Canticum virginum. *Cod.* B *in marg. Cf. supra, pag.* 507.

## IV. DE COLLATIONE ANIMÆ ET CORPORIS.

Corpus meum longo languore torquetur, et anima mea [altissimis deliciis] fovetur : vidi enim Dominum
I. 5. meum, et ulnis meis circumplexa sum eum ; ex hoc enim patiturp a upercula nec quiescit ; trahit [ille] et [ista] fluit, nec intra se capitur, moram non sustinens qua eam plenius amplexetur. Loqueretur libens, sed non potest ; namque est mirabili majestatis unione [constricta]. Paulisper derelinquitur ut desiderio placeat, quæritque mox laudem ejus, quam ad votum nequit invenire, cunctis exponi pœnis cupiens infernalibus ut Creatoris laus ab omni creatura fieret infinita. Intuetur dilectum dicens ei : « Domine, benedic mihi, obsecro ». Ille eam rescipiens retrahit salutans verbo mellifluo, quod eloqui non prævalet humanus sermo. Tunc corpus eam sic alloquitur : « Dic nunc ubi fueris, jam enim virtus deficit membris meis. » « Tace, stultum, ait illa, ego dilecto meo adhærebo tuæque mortis pœnas non curabo. Ille super me gaudet, ego pro eo torqueor ; hoc est ejus tormentum ; utinam ab hoc nunquam liberer. Hoc te tormentum arripiat et nunquam id effugias. *Amen.* »

*Sic maledixit mihi Dominus dicens :* « Corpus tuum moriatur : sermo [obmutescat], oculi tenebrescant, cor tuum effluat,
I. 7. anima tua ascendat. Corpus tuum *adhuc in terra* maneat, sensus corporeus evanescat, spiritus tuus sanctæ Trinitati assistat. »

I. 8. O tu mons ardens, o tu sol electe, o tu luna plena, o tu fons absque fundo ; [o altitudo inattingibilis], charitas inaccessibilis, [sapientia usque profundissima,] misericordia inexoptabilis, fortitudo invincibilis, corona venerabilis, te laudat homo miser et humilis.

I. 9. Habitantes in summitate veræ charitatis, ædificantes supra petram immutabilis veritatis, fructificantes perseverantiam in perfectione operum pietatis, hi in excelsis habitant. [Glosa : id est, supra Seraphim.]

I. 10. Mundi triumphans vanitatem carnisque illecebrosam voluntatem, ac diabolicam perversitatem, Deum vere diligit, quem nec mundi adversitas, nec carnis infirmitas, nec diaboli frangit crudelitas ; amat enim, amorque vincet, vincit omnia.

## V. COLLOQUUNTUR SIMUL DEUS ET ANIMA.

ERO quasi ros veniens ad dilectam, ipsaque sicut lilium germinabit. I. 13.

O rex æterne gloriæ, corona principum, sapientia magistrorum, largitor omnium bonorum, redemptio captivorum. I. 12.

Tu aspectu desiderabilis, eloquio dulcis, amplexu delectabilis, tuum me vincit miraculum; gratia me oppressit. O petra altissima excellenter excisa, in te nemo nidificat, nisi columba et philomela. I. 14.

Bene venisti, columba mea dilecta, volando supergressa es terrestria, pennæ attigerunt cœlestia. I. 15.

Sapor tuus ut botri, odor tuus ut balsami, lux tua lux solis, communicatio summi amoris. I. 16.

O fundens largiter dona, fluens in amore, ardens in concupiscentia, liquescens invicem cum dilecta tua. Tu requiescis inter ubera mea; langueo et deficio in absentia tua. I. 17.

Ad hæc sponsus: Tu rosa in spineto speciosa; apis in melle operosa, immaculata columba in conversatione, rutilans sol in splendore, luna perfecta in tua statione, a tuo conspectu oculos meos nequeo avertere. I. 18.

Blanditur sponsus sponsæ: Tu es meum cervical molle, lectus delicatus, requies occultissima, concupiscentia profundissima, gloria excellentissima; tu es voluptas meæ deitatis, thronus humanitatis, rivulus mei caloris. I. 19.

Ad hæc anima: Tu es Sion meæ contemplationis; meorum pastus et refectio oculorum, perditio mei, oblivio temporis, status cordis mei, et strepitus casus, et abstractio omnium virium mearum, summa et infallibilis securitas. I. 20.

Amor sine cognitione animæ sapienti videtur obscuritas; cognitio sine fruitione videtur ei infernalis pœnalitas, et nisi fruendo moriatur, nulla consolationis gloria sublevatur. I. 21

O sponsa, tu es columba sine felle, virgo sine corruptione, miles sine vulnere, servus invictus. [Quatuor hæc sunt quæ in suo prælio probat Deus.] Respondet: Eia, Domine, [ama me fortiter,] ama me [frequenter et] æternaliter; amor tuus I. 11. I. 23

quanto fuerit frequentior, tanto sum mundior ; quanto fortior, [tanto] efficior pulchrior; quanto vero fuerit diuturnior, tanto
I. 24. fio in hac vita sanctior.

Dicit ei Dominus : Quod amore frequenti te visito naturæ meæ est ; amor enim sum : quod amore forti te prosequor concupiscentiæ meæ est ; cupio enim et ego
I. 28. fortiter amari. Quod indesinenter te amo , æternitatis meæ est, qui nec principium habeo neque finem.

Dicit sponsa : Gaudeo quod amare [debeo] eum qui me amat ; quod utinam sic diligam ut in amore moriar, sine mensura, sine termino, *quia fortis est ut mors dilectio*. Lætare anima mea, quoniam vita tua mortua est pro te in amore ; quem reamato tam fortiter ut pro eo delecteris mori viriliter ; sic ardebis inextinguibiliter, sicut [vivus] carbo in igne grandi summi ardoris, erisque plena amoris quo nunc tam suaviter perfunderis.

*Anima ad intellectum :* Non necesse habes amplius me instruere, quia averti non valeo ab amore; ejus semper volo esse captiva, sine quo subsistere non potero, *salva vita ;* ubi manet, ibi ero; cum mortua fuero et tum vivo : hæc stultorum stultitia qui carent *cordis molestia*.

I. 36. Hostium tuorum malitia decorabit te ; virtutes cordis tui honorem tibi conferent ; opera tua bona corona capitis tui erunt, amor inter me et te mutuus exaltabit te, miraculum meum delectabile sanctificabit te.

I. 37. Respondet anima : O prædilecte, despectionem immeritam delectabiliter accepto ; virtutes cordis desideranter accepto ; bonis operibus , proh dolor ! vacua sum et careo ; amorem nostrum mutuum heu! destruo non modicum et infirmo ; tuum gloriosum miraculum expavesco, quia me indignam penitus recognosco.

I. 38. Christus in regni solio gloriatur de amantis animæ desiderio dicens : Ecce venit conscendens quæ me vulneravit ; hæc est quæ hujus mundi simiam abjecit, hæc ursum impudicitiæ crudelem devicit, hæc leænam immeritæ elationis suppeditavit, et avaritiæ lupinam ingluviem discerpsit. Et ecce festinans venit, exagitata tamquam cervus desiderans ad me fontem vivum. et tamquam aquila de profundo volitans in excelsum.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

Tu valde festinas in amore, o regina, indica mihi I. 39.
quid attuleris *in tuo decore. Respondet :* Domine, mu- I. 40.
nusculum [meum affero tibi :] montes excedens magnitudine, mundum latitudine, nubes altitudine ; mari est profundius, sole clarius, stellis multiplicius, terra ponderosius.
O regina, imago meæ majestatis, glorificata assumptione I. 41.
meæ humanitatis, insignita spiritu meæ suavitatis, narra
nomen oblati muneris. Respondet : Domine, hoc est *oblati* I. 42.
*muneris* nomen *mirabile :* cordis mei delectatio quam mundo abstuli et denegavi, ac in meipsa continui, omnique creaturæ abrenuntiavi. Nunc ultra portare nequeo, ostende
ubi ea reponam, quæso. Respondet : Cordis tui delectatio- I. 43
nem nonnisi in Corde meo deifico, et in pectore meo collocabis humano ; ibi solum tibi erit consolatio, spiritusque mei deosculatio.

## VI. DE VIA AMANTIS ANIMÆ.

O LANGUENS amore anima, vis noscere vias tuas ? Respon-
dit : [Eia, dilecte] Sancte Spiritus, doce me. — Cum I. 44.
dolorem contritionis, ruborem confessionis, satisfactionisque laborem transieris, post despectum [amorem] sæculi, et tentationes diaboli, et carnis illecebras, deinde propriam [se extollentem] voluntatem, quæ a tergo multos ne in via charitatis ambulent retrahit, cum Satanam cum suis complicibus sub pedibus tuis pugnando conculcaberis, tunc lassata respirando dices : O decore juvenis, delectat me præsentia tua, ubi te inveniam ? At ille : Audio, inquit, vocem quæ de amoris procedit valetudine. Jamdudum hanc concupivi, nec hanc nisi nunc vocem audivi ; motus hinc ibo ei obviam ; hæc est enim quæ dolorem sustinet et amorem portat.

### QUALITER SPONSUS EXCITAT ANIMAM.

MANE, luciflui roris tempore, hoc est devotionis intimæ, qua primum intus tangitur [anima], dicunt ei famuli, hoc est sensus corporei : Vestiri debes, o domina, et ornari.

Respondit : [Dilecti], quo, inquam, duci debeo ? quo oportet procedere ? At illi : Auribus, inquiunt, audivimus et susurrium intelleximus, in occursum tuum princeps [se] præparat, cum dulcis ros lucis effluxerit et avium concentus sonuerit. Eia igitur, o regina, ne tardaveris sed festina. *His attonita sermonibus*, [tunc dulcis] humilitatis se induit camisia, qua inferiorem se nullum patitur æstimari. Post alba veste sinceræ castitatis vestitur, ut nullam in se [cogitatione, verbo et contactu] sinat maculam reperiri ; mantello deinde claro famæ circumdatur, quod variis virtutibus deauratur. Procedit itaque ad nemora societatis sanctorum, ubi sonat philomela dulcius vox concordiæ perfectorum et cognitionis melodia beatorum. Sed nondum *adhuc* comparet *desideratus* juvenis *quem quærebat*. Convocat ergo prænuntios : fidem Abrahæ, prophetarum desiderium, Virginis Matris humilem castitatem, Jesu Christi Domini nostri veritatis et gratiæ plenitudinem, electorum omnium sanctitatem ; fitque choros ducentium jubilus spectabilis. Tunc adveniens juvenis dicit ei : Sic, dilecta mea, sic oportet te choros ducere, sicut hi qui te exemplis præcesserunt et tempore. At illa : Non possum, ait, hoc facere nisi digneris manu me tenens præcedere. Si vis ut multum saliam, oportet me præcingere [1], sic in amore saliam, hinc in cognitionem indeque in fruitionem, de qua super omnem humanam æstimationem ; ibi manere desidero, attamen ultra procedere contendo. Canit ergo juvenis sic : Propter me festino ad te, tu vero propter te discede a me ; tecum meum gaudium, et præter te non jucundum. Et intulit : O pulchra, spectabilis, hæc chorea ad bonum tuum peracta est ; delectaberis enim ad votum super Virginis Filio amabiliter ; [quia nunc intus] lassata es in hoc choro. Veni in meridie ad umbras fontium, ibi mecum refrigerium habebis in thalamo amoris. Respondet ei : O Domine, omne excedit meritum ut tui amoris habeat consortium, quæ in se amore non calet nisi tuo munere moveatur. At illa famulis suis, id est sensibus [loquitur] : Cogitationum circuitu lassata nunc sum, cedite [a me, exire volo] *pro tempore*, ut refrigerer in mea tranquillitate.

1. te præcinere. *Cod. teutonicus.*

At illi : Sufficiet tibi [Domina], inquiunt, Magdalenæ refrigerium, in dulcedine amoris lacrymarum. — Tacete, ait illa, ne faciatis impedimenta, quoniam non capitis verba mea. Bibam enim ad tempus et inebriabor vino impermixto; nec in pudicitia Virginum, vel patientia Martyrum aut consilio Confessorum, non in sapientia Apostolorum, nec in puritate Angelorum aut Baptistæ austeritate, aut infantuli Christi [lactis dulcedine, quæ parvulorum potus est, satietatem meam constituam. *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; perfectorum autem, de quorum numero sum, solidus est cibus quem paravit pauperi in dulcedine sua Deus. Illuc quia provectæ ætatis sum velut aquila convolabo, ibique in arduis nidum meum in Dilecti gremio collocabo.*

Quo si perveneris, aiunt, Domina, omnes excæcabimur; lux enim inaccessibilis est divinitas et ignea, illuminans quæ in cœlis et in terra sunt universa. Quibus illa : Piscis, inquit, in aqua non submergitur, nec avis aere suffocatur, nec aurum igne exuritur, sed claritatem induit et decorem. Omni creaturæ Creator contulit ut secundum suam naturam naturaliter operetur ; [quomodo ergo naturæ meæ possem resistere?] Et quomodo ego in Deum meum non festinabo, qui mihi pater venerabilis, frater desiderabilis et sponsus amabilis est? Quamvis non sapiatis, virtus ejus adurit vehementer, et refrigerat suaviter; ne turbemini, vestra adhuc doctrina egeo, postquam ab his ad vos rediero; mundus enim hic laqueis est repletus.

Procedit ergo prædilecta ad speciosum forma, ad cubiculum secretissimum invisibilis majestatis, ubi lectulum amoris et amplexus invenit deificæ suavitatis. Dicit ergo sponsus : Sta, dilecta. Et illa : Quid, inquit, præcipis, dilecte mi? Respondens ille : Exuere, ait. Et de me quid futurum est, inquit, Domine Deus? Et ille : Sic, inquit, per unionem naturarum ineffabilis gratia nos conjunxit, quod divortium nullum poterit intervenire. Nullum Angelorum sed semen Abrahæ apprehendi, ideoque omnem timorem, verecundiamque et ab extrinseco venientem depone virtutem, solamque quam ab intrinsecus geris naturaliter, elige hoc nobile desiderium fundoque carentem rectæ voluntatis concupiscentiam, quam meam adimplebo interminabili æternaliter largitate.

Et ait : Nunc, Domine, simplex et nuda sum mens, tu sponsus decorus gloria, interminabilis vitæ communicatio nostra fit nunc intolerabilis inquieti ardoris, et amoris quietissimum silentium, juxta desideratam voluntatis utriusque voluptatem. Ipse se sponsæ et sponsa se sponso communicat, quid sibi tunc eveniat non ignorat, et hæc est consolatio quam exoptat. Brevis est hæc morula, ubi dilectus cum dilecta occulte convenit. Oportet ut inseparabilis separatio frequenter interveniat et indivisos disjungat.

O amice Dei, hanc tibi amoris viam descripsi; quam Deus dignetur inscribere cordi tuo! [Amen.]

## VII. ORATIO ET GRATIARUM ACTIO.

V. 17. Ave Deus vivens, tu es præ omnibus rebus meus, hoc est mihi ineffabile gaudium, quod sine calumnia valeo loqui tecum. Cum insequentes hostes me exagitant, inter brachia tua confugio; ubi omnes molestias effugio, cum te inclinas meo desiderio? tu scis quomodo animæ meæ chordas soles tangere; eia confestim hoc incipe [quatenus te semper beatum esse oporteat]. *Rex et sponse meus carissime*, sponsa sum ignobilis, tamen tu sponsus meus legitimus et amabilis; unde exultat mens mea mirabilis. Memento quomodo mundam animam in tuo foves gremio, et perfice hoc [Domine] in me continuo, licet indigna sim omnino. Eia, trahe me sursum ad te, Domine, et ero munda et clara *in tuo lumine;* si dimiseris me, in meipsa remanebo gravis et tenebrosa.

### DE INTOLERABILI VERBO SALUTATIONIS.

V. 18. Ad hæc respondit Dominus : Mea resalutatio sic est magnifica, quam si secundum meam effunderem in te potentiam, nequaquam mortalem retineres vitam. Tu vides quia est necessarium quod meam contineam potestatem et abscondam claritatem, ut in hac vita tuam detineam morta-

litatem; nam ad hoc tendit tua dulcedo in æternæ dignitatis excessu, et chordarum mearum harmoniam tibi resonabit, prout amoris tui fidelis longanimitas promeruit. Interim animam tuam cœlestium chordarum symphonia temperabo, ut possis æquanimius expectationis diutinæ tædia tolerare. Oportet namque illustres sponsas ac nobiles milites cum pretioso apparatu divitius ac solemnius præparari.

Anima veritatem experta sic locuta est: Domine, corpus meum mortuum est, amota et elongata a me omni sensibili pravitate; propter quod inimici tui a facie sua me tamquam cadaver fœtidum projecerunt: [sed, Domine,] anima mea vivit in te, unde diligentes te diligunt me. Eia præcordialis sponse, mi dulcis Jesu Christe, ego sine intermissione in medio cordis mei pono signaculum crucis tuæ, ut contra omnia terrena sit mihi obstaculum et munimen, rogoque te ut extra hæc omnia me custodias impermixtam; nam quantumcumque sancta, me tamen valde extra te movent; quod quia sustinere non valeo, toto conamine ab ipsis discedo.

## VIII. ORATIO AD PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM.

DOMINE Jesu Christe, qui es fons affluens de corde Patris tui sine initio, natus de purissima Maria virgine *tempore præfinito*, qui cum Patre et Spiritu Sancto [unus spiritus,] una es voluntas, una sapientia, una potestas, una summa virtus, omnibus prædicans sine fine. Domine, Deus æterne Pater, quia ego omnium indignissima de corde tuo *per creationem* processi, et, o Domine Jesu, quia de latere tuo *per redemptionem* sum genita, et de utriusque Spiritu purificata, invoco te in tribulatione dicens: Domine Pater cœlestis, tu es Deus cordis mei; Domine Jesu Christe, tu es redemptor vitæ meæ; Domine sancte Spiritus, tu es sanctificator animæ meæ; et tu, o beata Trinitas, es unicum refugium meum et mea requies æterna. V. 6.

*Deus conversus ad animam dixit:* Tu es fundamentum gratiæ effluentis, tu es gloria virgineæ castitatis, flos excelsæ V. 7.

jucunditatis, speculum internæ contemplationis, domina et magistra diabolicæ cohortis.

## IX. DE UNGUENTO SPIRITALI.

III. 2. DULCIS Jesu, pulcherrima forma manifestata exuli animæ meæ in dolore pariter et amore, laudo te in teipso in amore, in dolore et in dilectione cum universitate creaturæ; hoc enim delectat me præ omni re. Domine, tu es lux omnium oculorum, [tu es] delectatio [omnium] aurium, [tu es vox omnium verborum, tu es virtus omnis pietatis, tu es doctrina omnis sapientiæ, tu es vita in omni vivente, tu es ordinatio omnis naturæ. Tunc Deus amantem animam laudavit, quod ita se dulciter delectaverat: Tu es lux coram oculis meis, tu es cithara in auribus meis, tu es] vox verborum meorum, intentio sanctitatis meæ, honor sapientiæ meæ, vita in mea vita, laus et ordinatio in essentia mea. Dicit anima: Domine, tu omni tempore amori langues post me, sicut satis ostendisti in te. In libro divinitatis tuæ descripsisti me, in humanitate tua depinxisti me; tu in latere tuo, in manibus et pedibus sculpsisti me. Eia! indulge mihi, Domine, ut unguento [te] perungam. Respondit Dominus: Et ubi comparabis hoc unguentum? Respondit anima: Domine, cupio scindere cor meum, et te reponere intra ipsum. Dixit Dominus: Numquid vales suavius et dulcius mihi unguentum adhibere, quam ut locum des mihi in anima tua sine intermissione movendi? Dicit anima: Domine, si dignaberis me in domum tuum suscipere, semper volo medicina vulnerum tuorum existere. Respondit Dominus: Ego te suscipiam; verumtamen fidelitas mea jubet te expectare, amor meus laborare, patientia mea tacere, pauperiem sustinere, despectio mea supportare; delectatio meæ sufficientiæ non querulosam esse jubet, victoria mea in omni virtute proficere et proficere; finis meus præcipit te multa portando tolerare. hinc erit tibi gloria, cum alleviavero onera tua gravia.

## X. MISERA CONSOLATOREM ALLOQUITUR.

ANIMA exul, quam Deus a dulci amore elongaverat et cruciatibus amando augebat, sic querulando exclamat: O væ! quam graviter dives quandoque tolerat, quod post honorabiles divitias paupertatis opprobria magna portat! Dicit ergo: Eia, Domine mi, pauper sum valde corpore debili, exul nimis in spiritu flebili; nullus enim in spiritali Ordine constitutus coram me legit tuas Horas canonicas, vel Officium Missæ dicit. Tunc [dixit] amabile os, quod mentem meam vulneravit, verba magnifica quæ nunquam digne audivit auris mea: Tu es desiderium meum, amoris sensus, pectoris mei [dulce refrigerium, oris mei] fortissimum osculum; mirabilium meorum deliciosum gaudium; ego in te et tu es in me. Non propius possimus convenire, quoniam in unum confluximus, et in unam formam figurati sumus, et sic jugiter [indefessi] permanebimus. Et anima ait: Eia prædilecte, quomodo sic intime loqueris ad me, non audeo hæc verba cum lætitia cogitare, quia canis mortuus, scilicet corpus meum, misere semper fœde in naribus meis olet. Audio quod hostes mei contra me fremunt assidue, nec sensum capio quid mihi immineat in extremo. In conspectu tuo tantummodo meas miserias recognosco. Sicut, Domine, abstulisti mihi et promisisti, obsecro, ut eveniat tibi; promisisti enim quod ex hoc laus tua proveniat. Sic respondit Dominus: Mea profunda protectio et lata deambulatio, excelsum desiderium, et diutina longanimisque expectatio, rursus oportet tibi doctrinam adhibere. Disciplinam suam sine gravamine non possunt nobiles juvenculæ exercere; oportet namque ut omnia membra sua arctando cohibeant, frequenterque coram magistra disciplinæ, tremulæ consistant. Sic sponsis meis in terris corpus suum pro disciplina compede est alligatum. Ego in terris pro tuo amore fui circumdatus angustiis: inimici mei coram oculis meis portaverunt mortem meam crudeliter in manibus suis, sustinuique in despectionibus superborum quamplurimam egestatem, et in his omnibus fidu- III. 5.

ciam habens in Patre, supersperavi ad inæstimabilem bonitatem. Secundum hæc verba dirige mentem tuam.

CONSOLATA GRATIAS AGIT.

II. 5 Tu, Deus, illustras animum meum, sicut sol aurum; cum conceditur mihi quiescere in te, magnæ sunt deliciæ meæ; tu, anima mea induis te, et tu es vestis proxima qua anima mea vestit se, qua dum spoliatur, cordis molestia generatur. Si amor tuus convalesceret ad me, cito eriperet de hoc corpore, ubi te sine intermissione possem [ad votum] diligere; carmen tibi cecini, nec adhuc habeo quod volui. Si tu mihi velles canere, perciperem quod merui concupiscere.

II. 6. Cum splendeo, tu radias; cum fluo, humectaris; cum suspiras, trahis cor meum in te; cum ploras pro me, inter brachia mea sumo te: cum amas me, simul unimur, et sic uniti nunquam dividimur; verum deliciosa expectatio duorum est in amoris vinculo. Tunc expecto famelica et sitiens, festinans et delectans horam jucundissimam qua de ore tuo deifico fluunt verba melliflua, quæ auris non audivit, sed et solus spiritus percipit, et qui mundi prospera despicit; et qui inclinat aurem suam ad verba oris tui, sitienti suavem odorem Spiritus tui.

II. 7. Ego peccatrix et pigra, olim orare volui; Deus vero videbatur averti et quod nullam mihi vellet gratiam impertiri. Cum ergo pro infirmitate corporis, miserabilique obstaculum videbatur esse, spiritu vellem contestari: eia, inquit anima mea, memorare omnis fidei, laudaque dilectum tuum et dic: Gloria in excelsis Deo. In hac laude resplenduit lux animæ, in qua vidi Dominum in sua majestate et immensa claritate. Habebatque duos aureos calices in manibus suis plenos vino vivo; in sinistræ manus calice, vinum erat rubeum afflictionis et pœnæ; in dextera, calix plenus consolationis eximiæ. Et dixit Dominus: Felices qui hic rubeum bibunt vinum, licet utriusque vini ex æquali charitate propinem poculum meum, tamen vinum limpidum est

nobilius in seipso, et beatissimi qui et mero et rubeo inebriantur vino.

### AFFLICTIO SIMILEM FACIT DEO.

FAMILIARIS anima rememorans Deo dona sua ait ad ipsum: Domine, tu dixisti: nullum donum hominis super terram quod non habeat flagelli disciplinam. Hoc mihi prophetasti ore tuo, et adimplesti in me frequenti verbere diro. Ante sex annos prænuntiasti mihi quod religiosi valde essent me persecuturi et despecturi, et nunc faciunt, et fecerunt hactenus malitiose duri mihi. Numquid, Domine, hoc est miraculum quod jussisti me desiderare? Respondit mihi Dominus et dixit: Pater meus dedit mihi potentiam suæ veritatis, et notitiam suæ sanctitatis; addiditque mihi multitudinem despectionis. Post autem contulit mihi gloriam ineffabilem et interminabilem dignitatem. Hoc modo assimilabo te *præstantissimæ* Trinitati. III 16.

## XI. DE PRÆCIPUO ASCENSIONIS GRADU.

DIVINÆ allocutionis salutatio ex ardore fluens deitatis fervido, sua virtute corporis virtutes adimens, animam clarificat, ut se similem sanctis aspiciat, splendoremque cœlestem in se recipiat: separatur itaque quantum potest a corpore cum omnibus viribus, sensibus, amoribus, voluptatibus exterioribus, remanente solo tamquam in suavi somno, spiritu vegetante. Tunc plenum Deum in tribus personis, et tres personas in uno Deo inseparabiles ineffabiliter contemplatur; quodamque modo inscrutabili eam salutando alloquens, regali indumento circumdata, ejus se subdit delectabiliter voluntati; petit ergo et quærit omne quod concupiscit, daturque quod vult, et de omnibus quæ quæsierit respondetur. Quod si donum non tribuitur, vel responsio subtrahitur, *ibi eidem protinus innotescit*. Hic est primus ascensionis gradus. Pro- I. 2.

cedens ergo in familiari loco statuitur, in quo nec orare nec investigare quidquam licet; ibi enim solus cum sola deliciis fruitur quas corpus nescit; silluc nec rusticus cum aratro, nec miles cum clypeo appropinquat. Maria quoque Virgo Mater huic se *pro disciplina* absentat *consortio*. Progrediuntur itaque ad locum plenum deliciis, de cujus gloria eloqui nec audeo nec valeo, et quia indigna valde et peccatrix sum obmutesco. Verum cum fine carens fundo carentem animam ad hoc sublime provexerit Deus, mente obliviscitur stupefacta hæc infima, nec meminit, si quando fuerit in terra.

### DE GRESSU ANIMÆ AD INFERIORA.

Juxta *vulgi proverbium:* tunc cessandum est a gaudio, cum prospera est ludenti successio. Dicit ergo florens sponsus: O dilecta, necessarium est te jam inclinari. Stupefacta illa suumque recognoscens exilium, dicit: Domine, sic me hac tua dulcedine inebriasti, quod nullo te in corpore meo laudis prosequi possum ordine, nisi exilium sustinendo patienter, et carni repugnando valenter. Et sponsus: Eia, inquit, columba mea, vox tua est auribus meis dulce organum, verba tua oris mei electuarium, desideria tua sunt pietatis meæ donum. At illa: Sponsa sum, ait, et sponsi voto pareo et præceptis. Tunc suspirans ex intimis, ut moveatur corpus et dicat: Ubi eras Domina? En reverteris amabilis, pulchra, fortis, ignea, sensibus plena; tua deambulatio sustulit meum colorem, omnem depulit et valorem. Tace, miser, refert illa, noli querulari, tibi volo semper adversari; hostis mei victoria profectus meus est et jugis lætitia.

### DE EFFECTIBUS SALUTATIONIS DIVINÆ.

Hæc dulcis salutatio de qua dicemus, est indeficienti Deo in aridam profluens animam; venas habet continue manantes novæ cognitionis, contemplationis, fruitionis, ex

superingenti novitate præsentiæ conditoris. O dulcis, ignite, florens, interior et exterior, Deus meus, qui hæc minimis contulisti; experiar, obsecro, quæ tuis majoribus reservasti, et te timentibus abscondisti, et tolerabilis mei erit omnis pœna quam peccatoribus delegasti. Hanc qui consequi desiderat [salutationis] gratiam, super se elevetur et *in oculis suis ut parvulus sit* necesse est, *et* ad nihilum redigatur. In hac salutatione libenter vivens moriar, nec ab hoc voto ignorantium me deterrebit simplicitas, qui diligunt nec agnoscunt. *Horum cæcitas reprehensibilis non est; cognoscunt enim in parte et non sicut videntes, per speculum et in ænigmate, necdum facie ad faciem, ambulant enim, per fidem spem inquirentes.*

## XII. DE SUSCEPTIONE AMANTIS ANIMÆ IN CŒLESTIBUS.

Cum amans Dominum anima cœli intrat regna, disciplina fulget et sapientiæ claritate. Intuetur Deum lætissime et ab ipso suscipitur gratissime, laudem ejus tacens et ardens desiderat. Tunc deifici cordis ardor, similis auro rubeo fulgenti in camino carbonum ignis, patens ei in siti ardoris, et in incendium trahit ipsam. Cumque sic magnus utcumque parvulam complectitur, et modicum aquæ vino jungitur; hæc a sua virtute deficit, et ad nihilum redigitur et nescit; cumque sic in salutari delecerit, tunc et ipse amore languet ad eam, in se permanens semper idem. Tunc illa dicit: Tu es dilectus meus, tu meum desiderium, tu fons indeficiens, tu sol nunquam occidens, et ego speculum in quo fulges. I. 4.

### DE CRUCIATU ANIMÆ AB AMORE.

Omnis virtus fideli animæ famulatur; voce querulosa amori dolorem suum profert anima et clamosa dicens: Eia, dilecta, tu mihi jamdudum famularis, indica mihi quis sit adhuc status meus. Tu me agitasti, captivasti, vin- I. 3.

culasti, profunde et irremediabiliter vulnerasti, multasque cum clava plagas terribiles inflixisti. Indica ergo mihi, *obsecro*, si tuam sævitiam evadere valeo. Mallem enim te non novisse quam mortem de tuis manibus evasisse. Respondit amor : Ego te agitavi delectando, captivavi concupiscendo, ligavi gaudendo, vulneravi uniendo, plagavi dominando. Ego altissimi Filium de cœlo expuli, ego humanam vitam sibi abstuli, ego ipsum Patri cum gloria retuli. Et tu vilis vermicule, manus meas æstimas te posse evadere ? Loquere, inquit anima, o regina, ego enim dilationem mortis timui, unde manus tuas evadere formidavi. Ad hæc amor ait : Cum captivis vita conceditur, panis eis *arctus* et aqua *brevis* impenditur ; hæc est dilatio qua electi ab æternis epulis suspenduntur ; cum autem mors vitalis advenerit, diesque sanctificatus illuxerit, brachiis te circumdabo, tuaque intima penetrabo, animamque a carne liberans, te amantissimo præsentabo. O amor, inquit anima, hanc [epistolæ] scripturam ex ore tuo depinxi editam ; non deneges, obsecro, sigilli tui impressionem debitam. Amor respondit : Qui norunt plusquam se Deum diligere hujus sigilli locum possunt invenire ; latet enim inter me et te. Anima : Tace, inquit, dilecta, nec loqueris ultra, ego cum omni creatura majestati tuæ prosterno *gratias* urgens. O regina, nuntia Dilecto quod lectus meus insignis est, et ego ejus amore langueo. Si hac in charta reprehensibilis est prolixitas, prati florigeri hoc effecit amœnitas. Cum gaudio deplangitur, quod anima in amore moritur, et vita ejus cum Christo in Deo absconditur.

## XIII. ORATIO AD CHARITATEM QUÆ DEUS EST.

V. 30. Eia ! cara Dei charitas, animam meam amplectere, quia vincit mortis væ si forem libera a te. Eia, amor, non sinas me refrigescere, opera mea mortua sunt cum non sentio te; o amor, tu dulcoras pœnas, et angustias; tu doctrinam et solatium [veris] filiis Dei præstas. O amoris vinculum, tua suavis dextera potenter ligat omnia nova simul et

vetera. O Amor, tu facis luminaria magnifice ardentia, et leves culpas aggravas. Tu serviens non quæris præmia, cunctis creaturis *pro Christo* subdita. Eia, dulcis amor Dei, cum nimis diu dormio et negligenter actito, fac mecum clementer, et excita me frequenter; canta mihi, [o domina,] tuum canticum, quo tangis [animam quasi [dulce chordarum organum, *audiamque tuum clamorem.* Eia, amor, tu me tibi subjice, libens succumbo tuæ victoriæ, et ut vitam meam interimas, summas æstimo delicias. O [væ! Dei] amor liberalis, cum multum nimis mihi parcis, hoc toto corde doleo, et hinc querelas moveo. Amor, tua nobilis salutatio sanctæ affectionis est occasio; amor, tua munda infestatio facit peccatorem vivere sine peccato; amor, tua frequens meditatio, statuit me in suavi dispendio. O amor Deus, quomodo tui impatienter careo, cum tamquam [tibi] aliena reputata fuero. Amor, quod tua me delectat absentia, jucunda est et cœlestis dementia. O amor mirabilis, quam beatus est quem tu erudieris! deliciosa est humilitas, cum supplicat tibi quod ab eo discedas!

Eia, amor, quam paucos reperis qui te totis viribus quærant in [omnibus] rebus, qui te continuo fruantur studio, et ferventi desiderio affectentur [ut fiat] ab eis tua discessio.

Multi sunt qui labiis te invocant, et moribus ut discedas provocant. Amor, adventus tuus et recessus gratus est æqualiter ordinatæ animæ et acceptus. Amor, tu operatus es omnia quæ facta sunt in nobis dilectionis mirabilia. Amor, tua nobilis puritas, quæ tamquam clarum speculum in casta fulget anima, affectum facit calidum in pectore virgineo Jesu Christo Domino. Qui amant in præcordiis et nitent cordibus, virgines juvenculæ sunt in choreis seraphicis. Amor, tua sancta miseratio est dæmonum læsio et sempiterna confusio. Amor, tua pax suavissima mentis est tranquillitas et morum munda benignitas. Amor, tua sufficientia lætificat et liberat in paupertate voluntaria. Amor, tua perfectio non adversatur in adversitatibus, nec querulatur cum fatigatur laboribus.

## XIV. DE EXCELLENTIA CHARITATIS.

V. 31. O CHARITAS quam spatiosum est lumen [tuum in anima], quam igneus splendor, quam incomprehensibile mirum, quam mulplex sapientia, quam citatum donum, quam forte vinculum, quam perfecta essentia, quam dulcis emanatio, quam magna divitiarum substantia, quam fidelis labor, quam sancta distinctio, lætificant animam et illustrant, cum his omnibus eam beneficaveris, et tua impleveris deitate! Tunc elevata sursum pennis columbæ, hoc est virtutibus, volare incipit, et assumptis pennis aquilæ ferventi desiderio sequitur calorem solis ad sublimia, æstimans cuncta transitoria, frigida et insulsa. Tunc loquitur ex ore veritatis dicens: Domine, votum quod ad te in tua tractione habeo, sapientia quam in volatu concipio, [unio] quam in tua voluntate comprehendo, stabilitas quam tunc in dono tuo accipio, dulcis memoria quæ afficit me dum te [recogito, amor disperditus quo te] diligo, sic est in seipso dives et coram oculis tuis magnus, quod si tu nescires, non possent maris arenæ, aquarum stillæ, gramina et folia, lapides et ligna, omnes essentiales creaturæ, insuper et vegetabiles, pisces, volucres, animalia, vermes, volantes et repentes, dæmones, gentiles, Judæi, et omnes hostes tui, insuper et amici, homines, angeli, sancti, si loqui scirent et vellent, et clamarent sine intermissione usque in diem novissimum, vere, Domine, tu nosti, nequirent tibi [denuntiare] medium intentionis desiderii mei, et angustiæ cordis mei, et clamoris animæ meæ, pro odore unguentorum tuorum et sine intermissione appendentiam indivisam.

O Maria Domina, Dei mater, quid fieret si tu cùm Filio evolvere inciperes æternæ Deitati amorem, quem unita anima sine fallacia in hac vita in Deum portat, et contactum quo eam delectat. [Domina,] lassareris et Filius tuus amens fieret, quia divini amoris ignivora virtus omnis creaturæ fortitudinem antecedit.

DE OFFICIO CHARITATIS.

Ab initio et ante sæcula Deum homini et hominem Deo conjungere, et nunc et in perpetuum tui existit et erit officii beneficium, o charitas benedicta. Te saluto, *dominatrix creatoris et omnium creatorum*; custodi, domina, ne querelas de te moveam coram Domino meo pulchro; qui si tardaverit et moram fecerit, frigus me opprimet et gelida nimis ero; quod ne fiat, caveas, o regina, o regina! Tu me in Deum transtulisti, cujus amore feliciter sum constricta; o amor, adjuva me ut in ejus brachiis moriar, quæ amabiliter me captivant. Verumtamen in hoc fragili corpore pœnas mortis exsolvere non recuso. O amor, omnium virtutum excellit tua potentia fortitudinem, tu aufers a me multiplicem cordis molestiam; unde Deum benedico semper. Ego certe virtutes non habeo, verum suis virtutibus Dominus mihi servit, essetque cordi meo supra mortem gravius turbatio, si quidquam possem sine ipsius adjutorio. Quæcumque de amore ore meo pronuntio mihi adscribere non præsumo; omnium enim electorum ædificatio in his verbis Dei bonitatis est intentio, ad quos pertinent hæc, intelligunt. Amor corda vacua replet *ad se suspirantia*. Quod si rancore et amaritudine pleni fuerimus, dulcedinis ejus capaces non erimus, *sed tamquam vasa inutilia reputabimur et immunda*. IV. 19.

Bonam præsta, o amor suavis, noctem, *in pace dormiam et requiescam*. [Alleluia.]

DE INSANABILI VULNERE CHARITATIS.

Amor divinus septemplici principio insignitur: lætabunda charitas vias et semitas Dei aggreditur, timorata labori sacro substernitur, fortis manum mittit ad fortia, amatrix non inficitur vana gloria, sapiens fulget cognitionis prudentia, libera vivit sine cordis molestia, potens semper manet in lætitia. II. 11.

II. 14. Amaritudo cordis provenit ex infirmitate humanitatis, gravitas corporis ex sola corruptione carnis, subtilitas ingenii ex nobilitate mentis, horror pœnæ ex magnitudine criminis, valetudo corporis ex maledicto creatoris, *exactum et* invitum exilium ex corruptela perversæ voluntatis, rarum solatium causatur ex inquietudine cordis.

II. 15. Anima quæ semel perfecto Dei amore vulneratur, nunquam deinceps a tam salubri vulnere medicatur, ut ejus oris osculo perfruatur, per quod hujus vulneris inflictio generatur.

## XV. DE AFFECTIBUS ET EFFECTIBUS CHARITATIS.

IV. 15. Vera Dei dilectio quatuor affectionibus purgetur; prima est crescens desiderium; secunda affluens incommodum; tertia, mentis et corporis dulce incendium; quarta cum multa custodia perfectæ unionis vinculum. Ad hæc homo non pervenit, nisi commercium cum Deo ingerat, [omne quod tuum est, interius et exterius] offerens ei [et sic ille tibi vere dat] omne quod suum est, interius et exterius. Cum felix illa hora, qua Deus amantem animam sua excellenti consolatione visitare dignatur, illuxerit atque transierit, miro mentis gaudio fruitur, fiuntque ei cuncta dulcia quæ vanis hominibus sunt amara. Quod si tunc invenitur aspera, timeat quod unguento diabolico sit peruncta.

IV. 16. Habet magnus amor hoc quodammodo naturale: multis non effluit lacrymis, sed ardet magno igne cœlestis adustionis; in quo fruendo longe ducitur extra se, manet tamen requiescens in se: ascendit fitque Deo proximus, manens tamen in semetipso intimus, comprehendit præ omnibus, nihilque retinet ex omnibus. O amor felicissime, ubi sunt qui te cognoscunt intime? Ipsi certe non sunt in se, imo succensi sunt ferventissimæ charitatis igne, nec unquam possunt ab ejus amore cadere. Quare? quia sic divinitate perfunduntur et circumdantur, quod quanto magis tentantur

tanto fortiores redduntur. Quare? quanto diutius in pugna morantur et amant, tanto eis Deus nobilior apparet, ipsique se in feliciores reputant et æstimant viliores. Quare? quanto enim sanctior amor, tanto anxietas gravior; quantoque consolatio multiplicior, tanto timor constantior. Verum tamen amans anima nequaquam timet crudeliter, sed reveretur metuendo nobiliter. Duo sunt quæ plangere non sufficio miserabiliter querulando : unum est, divinæ bonitatis in hoc mundo oblivio, et spiritualium imperfectio. Hinc multiplex casus necesse est ut veniat, quia perfecti homines nunquam a Dei gratia corruerunt.

Amor Dei purus hæc continet in se bona : VI. 30.

Pacem et concordiam cum Deo conservare, ut quidquid præter peccatum evenerit cum devotione gratias referamus. Secundum est ut donis, quæ a Deo percepimus, mentis et corporis bonum ordinare studeamus. Tertium est ut *in sincera dilectione* sine crimine cum bonis moribus coram Domino ambulemus. Quartum est ut omnium virtutum copiam in nobis instituere totis viribus studeamus. O utinam, has haberem et in omnibus *actibus et eventibus* veraciter exercerem! hoc ego omni contemplationi præponerem, quæ haberi poterit in hac vita; quid enim prosunt sermones magnifici sine misericordiæ operibus *et mansuetudine cordis pacifici?* Quid valet amor ad Deum cum persecutione bonorum et innocentium proximorum? Dicit forsitan quis : si Deus mihi hoc donaret, facerem utique quod deberem. Audi nunc : Virtus partim ex Dei dono, partimque ex nostro dependet arbitrio. Cum Deus mentes nostras ad veritatem illuminat, exequantur in opere quod lux demonstrat.

## XVI. DE DUABUS SPONSIS CHRISTI ET DIABOLI.

AUDITE nunc quæ scribo de spirituali sponsa et de sæculari III. 24
femina. Sponsa spiritualis loquitur ex luminosa Spiritus Sancti gratia absque sui cordis molestia; contra, secularis

femina de Luciferi malitia crudeli labore profert sua verba ex suæ carnis spurcitia. Duo spiritualium super terram sunt genera, quibus duplex exhibetur spiritus : mundis corde, qui sanctam intentionem hic fideliter in omnibus conversantur, infundit omnipotens Spiritum suum, conveniuntque duæ naturæ limpidæ, scilicet : fervens ignis Deitatis, et anima fluens velut cera amore charitatis. Ubi si fuerit operculum nitidum veræ humilitatis, lucebit procul dubio lux a longe contemplantis veritatis, quo multi illuminentur. O amans anima, nunc ditaberis divitiis quæ non auferuntur, et tamen paupertas remanebit. Ex humilitate homo dives efficitur, et in disciplinatis moribus decoratur. Disciplina morum exornat et nobilitat natales genitorum ; charitas confert pulchritudinem et reddit laudabilem ; despectio superborum elevat coram Deo *animas beatorum*. Hæc meditare, spiritualis sponsa, et in bonis operibus persevera, ut sic permaneas sancta.

Hostis antiquus invidis, superbis et amaris suum ingerit spiritum, qui ad mala inclinati sunt et charitatis bona nesciunt. Hi de crudelitate diaboli et ex invidia mali zeli in pauperes nimis fiunt adeo crudeles, quod amoris dulcedinem nunquam percipiunt, nec sequuntur.

### DE SEPTEMPLICI AMORE [1]. — DE IGNOBILITATE MENTIS.

FIDELIS amor laude Dei semper repletur ; amor desiderans afflictiones dulcissimas generat mundo cordi ; amor quærens sui solius est ; amor agnoscens omnibus se communicat creaturis ; amor resonans permixtus est tristitia *et sensu hujus mundi* ; amor tacens sine labore fruitur, quietusque longe graditur et a corpore non cognoscitur ; amor purus est in solo Deo tranquillus ; una enim conveniunt voluntate, nec licet hic cuiquam interesse creaturæ quantumvis sit nobilis. Hæc per cognitionem de libro vitæ æternæ sunt conscripta. Aurum persæpe cupro

1. Hic prior titulus tantum ad summam paginam inscriptus est, cum hac nota : *in codice*.

falsificatur, et confunditur : sic per inanem gloriam et mentis extollentiam virtus a corde hominum deletur. Ignobilis mens quæ temporalia *inhærendo* sic diligit ut nunquam ejus amorem experta sit, et in qua vox divina loquendo suave nunquam insonuit, proh dolor! in noctis tenebris semper fuit.

## XVII. DE ASCENSU ET DESCENSU MONTIS DEI.

ADMIRABILIS charitas Dei, magna et sancta est virtus tua; tu illustras animam, tu doces sensus, tu es virtus omnium virtutum. Bene mihi miseræ [rusticæ], quoniam merui te [o Domina], videre! Eia, charitas, tu es deliciosa, et in omnibus actibus operosa : sentit enim anima mea quod omnis virtus tibi [est] subdita; verum tamen profunda humilitas elatione carens in religione spirituali, et innata assumptaque castitas, quæ æquali puritate constant, charitatem utrinque circumstant, et tamen ei substant. Charitas sensus perambulat et impingit plenis virtutibus animam; quæ cum augmentatur in anima, conscendit ad Deum avida, dilatans se fluida, ad mirabilia quæ occurrunt obvia; liquefit per animam ad sensus egrediens, corpusque huic participans servat in omnibus disciplinam. Nam vera Dei charitas pravos mores non admittit, quos etiam odit et excludit; attamen numquam anima sic charitate perfunditur, nisi quandoque tentationibus inquietetur, quod animalis homo non percipit, qui hypocrisi fallitur et succumbit. Cum charitas [in anima] ad perfectum venerit, tunc juxta vires hominis ad summa conscendit, quia [in sua ordinatione modum servat amor; quod] si modum non servaret, [eia! dulcissime Deus, quam] multa *sanctorum* corda purissima infirmata deliciis expirarent! V. 4.

Cum anima amoris attractu et mira [sui Deum venantis] cordis aviditate, ad *Domini* montem potentis ascenderit dilectionis, et limpidæ cognitionis, tunc [se habet] velut peregrinus [qui montem multum anhelans ascendit, et inde] alteram partem montis cum timore casus descendit. Nam

diuturni caloris splendoribus inflammata, divinis amplexibus circumdata, humiliari incipit et refrigerari, quemadmodum sol de altissimis descendens sub terram mergitur, *et frigescit*. Vere sic in corpore fit *devoti hominis* et in mente. Homo charitate dives attractu humilitatis mergitur, et cedit donis Dei quæ menti ejus utilia sunt, quia nobilitate intentionis Deus et mens conveniunt; avertitque ab omni voluptate rerum *mentis* oculum, [de quo multum Deo laudem potest lucrari]. Corpus quoque humiliatur non modicum, dum hostes sustinens. ipsis tacens obsequitur et ab amicis ob honorem Domini segregatur. At anima, quia tunc prævalet, amplius se humiliat, ad locumque novissimum cum diligentia declinat, [quem Deus in sua virtute possidet]. Et quomodo hunc locum nominare audeo, his qui profundissimam humilitatem non cognoscunt?

## DE MULTIPLICI HUMILITATE ET CHARITATE.

Prima humilitas in exterioribus constat videlicet, ut habitus modestus et religiose formatus et compositus sit, et mundus in habitatione sancta. Secunda humilitas est in moribus et societate, ut sint concordes et pacifici in omni necessitate et operatione; hinc charitas augmentatur. Tertia humilitas consistit in sensibus, ut homo omni creatura rite utatur et frugaliter, et diligat ordinate. Quarta humilitas animam inhabitat : hæc est profunda et descendens, quæ dulcia in ipsa [amanti anima] et mirabilia operatur; hæc sursum compellit et elevat et in abyssum rursus retrahit et deorsum; hæc [animam] ad omnem deducit creaturam singulariter et dicit : Nunc [vide]: hæc te sua bonitate superat creatura. Deinde ducit ad inferni novissima et sub Lucifero collocat, quo non potest deterior locus esse; ubi si secundum suæ voluntatis desiderium et Dei gloriam liceret persistere, hoc *gaudiis omnibus* præoptaret. Sic [paupercula] amans anima *prædicta* humilitate constringitur, quod nec timore terretur nec pudore confunditur, sed in his cœli civibus conformatur. Verum corpus miserum propter cordis

tenebras et sensuum, concipiens timorem pariter et pudorem, quoniam adhuc mortalitate circumdatur et gravatur. Anima vero sic est in corpore pulchra sicut in cœlo, sed non sic secura; sic est potens, sed non tam constans; sic est amabilis, sed non tam læta; sic est audax, sed non tam fortis; sic est larga, sed non tam dives; sic est sancta, sed non ita sine culpa; sic est sibi sufficiens, sed non tam plena. Hæc anima est [sola] quæ hic respersa est humili charitate. Divina quæ attingere potest conscendit, quamdiu alligatur corpori, et descendit in profundissimum quod invenire poterit; tunc est perfecta in virtutibus et sanctitate; tunc ornari eam oportet pœnis in exspectatione longanimi; tunc conscendit fidelitas sublimia, contemplans cuncta in sapientia, nec latet eam res aliqua, ne detur Deo ab ea laus et gloria.

## XVIII. DE MULTIPLICI AMORE.

Amor liberalis ex miseratione sancta proveniens expellit vanam gloriam et malitiam. [Verus amor ex divina sapientia sufficientiam affert et expellit odibilem avaritiam]. Humilis amor sanctæ simplicitatis vincit solus superbiam, deducens potenter animam in sanctam cognitionem; stabilis amor ex bonis moribus elongat a se falsitatem; amor audax in actibus, sacris nititur consiliis in omnibus; amor contingens ex Dei familiaritate excæcat mundum absque labore; [amor devinctus ex sancta consuetudine nunquam requiescit, et tamen in se vivit absque labore]; amor ingrediens ex affluentia quiescit, amara reputans omnia præter Deum; amor clamans ex nobili impatientia nunquam tacet, oblitus omnium peccatorum; amor doctus ex Dei doctrina [multum libenter] inclinatur ut puer; amor pulcher ex magna potestate juvenem reddit animam, et corpus antiquum; amor amabilis ex [manifestis] donis Dei, querulantem animam consolatur; potens amor ex magnis divitiis in Dei dulcedine delectatur; amor occultus portat thesaurum pretiosum ex bona et sancta cordis puritate; amor clarus ex amica influentia, sine pœna punit et sine morte mortificat; amor sclavicus supra posse, nullus eum potest nosse. III. 13.

## DE LABORE CORPORALI.

II. 1. ALTITUDO animæ est charitas, de corporis castitate [per baptisma] sacramentali; nihil enim charitate sublimius, nihilque sacramentis ornatius. Errant ergo non mediocriter qui crudelibus et inhumanis laboribus altitudinem veram se putant attingere, habentes incompositum et crudelem animum; nam qui carent sanctæ humilitatis mansuetudine, quæ mentem in Deum ducit, *rectissime in alta nequeunt conscendere*. In crudeli enim corde semper latet hypocrisis, in quo sub bonis operibus voluntas propria damnatur.

II. 2. Cupio dissolvi et in amore mori, si hoc digna essem promereri. Eum namque quem diligit anima mea illuminatis vidi oculis [in anima mea stantem]. Quæcumque sponsa dilectum suum tenet hospitio, necessarium non est ut evagando eumdem in extraneo perquirat domicilio; amor enim *sequentem se vel quærentem* fugere non consuevit; cum fidelis anima *amans et Deum sitiens*, *ad eum aspiciens*, oculos mentis frequenter dirigit, naturali motus nobilitate libens et gaudens eam suscipit, et super cor suum *sicut signaculum dignanter* ponit; hoc insipientibus non præstat *virginibus*, *nec datur sponsis* quæ affectione non calent *nec amore languent*.

*Christus sponsam suam laudat dicens :* Tu es lux mundi, corona Virginum, unguentum læsorum, fidelitas falsorum, sponsa sanctæ Trinitatis.

*Laudat vicissim sponsa Christum et dicit* : Tu es lux in omni lumine, flos super omnem coronam, unguentum super omnem languorem; tu es immutabilis fidelitas sine fallacia, in omni hospitio dominandus, *hilaris et jucundus*.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XIX. DE TRIBUS LOCIS ALLOCUTIONIS DIVINÆ.

Tria sunt loca in quibus Deus animam loquitur. Primus est sensualitas, qui Deo, diabolo, omnique creaturæ pervius est juxta hominis liberam voluntatem. Secundus locus, quo Deus animam alloquitur, intra animam est, quo nullus ingreditur nisi solus Deus; ubi, cum Deus loquitur, magnum, virtuosum, velox ac unitivum verbum sensus exterior omnino non percipit neque novit; ubi adeo humiliatur quod nullam creaturam infra se valeat sustinere. Numquid ergo sub diabolo humiliare se debet homo? Utique, memorando quod similitudinem dæmonis frequenter peccando induit et quandoque criminaliter assumpsit, divinam a se contemnendo removit, sibi mortalia vulnera infligendo. Anima Spiritu Sancto plena [se cohibere non potest, imo] omnem terrenam declinat consolationem et [in consolatione] refugit voluptatem. Quæ vero proprium sequitur arbitrium, ad terrena flectitur, variis voluptatibus irretita. Tertius alloquendi locus est regnum cœlorum, cum Deus animam sursum elevat, cum deliciis sui amoris suspendens eam, ut suis mirabilibus delectetur. VI. 33.

Eia, Domine Deus, miserere his qui hic in tui amoris ignibus sunt exusti, et his qui in humilitate ad nihilum sunt redacti. Respondit Dominus: Mea divinitas te exussit, mea humanitas te cognoscit, meus Spiritus in *tua* paupertate te sanctificavit. Qui multum amant, libenter tacent; qui non amant, observare amantes solent. VI. 25.

## XX. DE RESPECTU SPECULI DIVINI ET CANDELABRO.

Amans anima æternum respiciens speculum dicit: Inter me et te, Domine, pulchra sunt omnia; et inter damnatas animas et earum sponsum maledictum diabolum cuncta III. 11.

sunt horribilia et crudelia; et cum in mentem venerit amabilis Jesus, contremiscunt et renovatur in ipsis cruciatio infernalis.

III. 12. Pauper eram, Domine, cum nec meditari, nec orare, nec amare poteram. Conabar tamen ad te, sensibus exulibus, et dixi : Eia, Domine, quomodo nunc honorificabo te *et laudem tribuam nomini tuo?* Tunc dixisti indignissimo homini quem creasti : Laudem nomini meo pro defensione fidelissima decantabis; gratiarum actiones mihi refundes pro largissimis donis meis; desiderium tuum mirabilium meorum dilatabis; finem perfectum et exitum hujus vitæ beatum precibus impetrabis. Interrogavit ergo anima cum timore nobili *reverenter* : Quæ sunt mirabilia quæ desiderare jubes, Domine? Quæ deinceps scripta sunt, scribo cum lacrymis; adjuvet me Deus [omnium pauperrimam], ut cum Jesu permaneam. Et dixit Dilectus ad me : Ponam lumen super candelabrum [1], et omnes oculi qui hoc intuentur, ex hoc lumine radium splendoris in suæ cognitionis oculis percipient specialem. Interrogavi iterum cum humilitate magna absque timore : O Dilecte, quale erit candelabrum? Et dixit Dominus ad me : Ego sum lumen, et candelabrum est pectus tuum.

## XXI. LAUDAT SPONSUS ET HUMILIATUR ANIMA.

II. 12. Anima Deum sitiens mundana libens caret gloria; non affectat ab hominibus reverentiam, solitudinem amplectitur, quietem quærit; in imo permanet per humiliationem, in supremo per amorem, dilatatur ubique per communicationem.

II. 13. Inter te et Deum, o anima, maneat continua charitas; inter te et creaturam cum timore admiratio; inter te et peccatum pugna et detestatio; inter te et cœlum suspirans affectio.

II. 16. Abyssus es per desideria ardens per amoris incendia, amabilis in tua præsentia, speculum mundi, [parva] præ magnitudine, fidelis adjutorio, collecta in Deo.

1. Cf. *Legatus* S. Gertrudis in Prologo.

Dicit tibi Dilectus invitans ad amorem suum et instruens te: Columba mea, pedes tui rubicundi; pennæ tuæ æquales et collectæ; os tuum rectum; oculi tui pulchri; caput tuum simplex et compositum; incessus tuus delectabilis: volatus tuus agilis, valde declinans ad terrena. II. 17.

*Responsio sponsæ ad dilectum*: Pedes mei, Domine, tuo sanguine rubricati sunt; pennæ meæ electione tua [nobili] collectæ sunt; os meum tuo Spiritu rectificatum est; oculi [mei igneo] tuo lumine clarificati sunt; caput meum tua fideli protectione complanatum et compositum est; gressus mei de tuo munere tibi acceptabiles et delectabiles sunt effecti; volatum meum agilem perfecerunt delectationes in dextera tua *usque in finem*: ad terrena declinabilem casum patior, gravis corporis unione; quo ampliorem liberationem dederis, eo in te diutius volitans exaltabor. II. 18.

## XXII. INVITATIO AD AMOREM.

Domine, quam mirabiliter inops, exul, paupercula anima, quæ in hoc mundo sterili in amore tuo permanet virgo! O quis clamabit mecum querulans miseriam quam patitur? nescit enim quantæ sit gloriæ delectamentum quo caret. — O sponsa, tu loqueris in canticorum Cantico ut a te fugiat dilectus tuus: dic, mirabilis Domina, quid te movit cum hoc diceres? Ego enim mori præeligo in amore splendido, quam a me sponsum amovere in sapientiæ sensu tenebroso. Cum mihi licuerit cum dilecto ludere, non egeo, nec volo tunc sapientiam nec discretionem docere; cum autem in aliis extra laboravero et sensibus corporis me exerceo, opto etiam libens accipio, quod modicum ejus sortiar consilio. III. 3.

*Dicit sponsa*: Audi me, præcordialis socia: ego ferme amore repleta, fere fui ebria, unde deliciose eloquar de sensibus proverbia. Cum autem *plene* superebria fuero, tunc corporis mei recedit a me recordatio; amor enim dominatur in me, *et præcipit mihi*, et quod voluerit necesse est fieri: et quod divina providentia esse vult in pendulo, in hac constanter agens sibi me com-

mitto ; quia si mihi mortem intulerit, animam procul dubio retinebit. — [Si mecum in cellam vinariam volueris procedere, oportebit te plurima expendere ; si habueris marcarum millia, in una hora expendes , *et contemnes ut vilia* ; si vinum bibere volueris impermixtum , expendes plusquam habeas, nec ad plenum *quod desideras* hospes [ tibi ] tuæ sufficientiæ propinabit. Tunc eris pauper et nuda, ab omnibus contempta, qui plus gaudent in fœcibus *pretiosum thesaurum expendere* , quam in cella vinaria clarum et dulce vinum bibere ; oportet te etiam invidiam tolerare ab his qui tecum cellam vinariam contendunt intrare. O quantum te persæpe despiciunt, quia tot et tanta expendere nequeunt neque volunt, qui vinam aqua mixtum sitiunt !

*Ad hæc dixit anima* : Prædilecta sponsa, in hac taberna omnia quæ possideo cupio dimittere, et per amoris carbones attracta corpus meum exuere, et despectionis titionibus concuti permittere, ut frequenter liceat cellam vinariam feliciter introire. Hoc libens exopto et eligo, quia in amore non prævalet perditio. Qui me affligunt et despiciunt, vinum mihi offerunt de quo ipse bibit hospes *cum suis carissimis, et satiantur ex hoc et sitiunt*. Ex hoc vino sic inebrior *poculo* quod omni creaturæ veraciter me subdo, æstimoque secundum meam humanam conditionem et meam quam admisi voluntarie pravitatem, ut quantumcumque quicumque homo offendendo turbaverit in me misera et infelice, peccatum non commiserit ; quapropter vindictam de inimicis meis non exspecto ; scio tamen quod mandata Dei in me violant *non sine flagello condigno*.

*Dicit sponsa* [1] : O fidelis socia, cum clauditur cella vinaria sola stabis extra famelica, paupercula, nuda, et sic despecta, ut omnis christianæ vitæ solatio sis extranea , excepta *catholica* fide *sola* ; et si tunc amare valueris nec destiteris, in perpetuum non peribis.

*Respondit anima* : O sponsa, ego Patris æterni insatiabili fame esurio majestatem, in quo obliviscor omnis miseriæ gravitatem. Ego Unigeniti ejus sic sitio venustatem, qui omnem terrenam mihi eripit voluptatem. Ego ab utriusque Spiritu talem sentio charitatem quod transcendit Patris

1. *Hoc est*, amor.

sapientiam quam capere non sufficio, Filiique laborem quem ferre valeo, ejusdemque Sancti Spiritus consolationem quam invenire desidero. Quicumque angustiis hujus vinculi constrictus fuerit, indissolubiliter ad Deum in perpetuum suspensus permanebit.

## XXIII. DE PULCHRITUDINE AMANTIS ANIMÆ.

Cognitio sic alloquitur animam: Intueor te nunc, o amans anima; tu mirabiliter es amabilis, *es mirabilis et decora*; præstitum est mihi lumen *gratiæ*, sine quo nequirem contemplari te. Trinitatem quamdam considero in te; tu Dei tui, ut suspicor, es imago; tu es fortis virago in conflictu; tu es bene ornata juvencula in palatio regis tui; tu es delicata sponsa in amore Dei tui. [O Deum amans anima,] in conflictu armaris invicibili potentia, adunatæ mentis constantia, ut nec [universa] mundi [multitudo,] nec [omnia] carnis [auxilia,] nec [omnis] dæmonum caterva a charitate Christi te valeant separare. Tu hostes tuos expugnare floribus consuevisti; ensis tuus est nobilis illa rosa Jesus Christus; clypeus tuus candens lilium est Maria; quibus te protegis et defendis. Impugnantes te ornant te, et futuram Dei gloriam amplificant in te; omnes quippe qui in hoc prælio præstiterint, magnificum ab imperatore percipient donativum. Indica nobis, electa et mirabilis sponsa, quæ, quanta, et qualis est gloria in palatio Trinitatis, cui feliciter assistis. II. 19.

*Respondet anima*: Tu me sapientior es, o cognitio: quare quidquam a me quæris?

*Dixit*: O anima, Deus te elegit super omnia, tu mihi domina es et regina.

— O cognitio, ego certe ortu nobilis sum, et libera; non debeo disposita privari et carere gloria; amando tantummodo Deum meum digna efficior amari, amplecti et honorari a summa Trinitate, omneque quod cœli ambitu continetur meis pedibus sustinetur. Si amori super me potestatem concessero eique locum dedero, ut me compedibus salutaris patientiæ vinciat, ne peccatum in me pullulet vel accrescat, deducet me in mansuetudine, ut ad omne opus bonum sim

habilis et apta, ligans me per fortem obedientiam, ut Deo *propter Deum* et omni creaturæ [ amanter ] subjicior *propter eum*.

Cognitio : O sponsa, mihi [ adhuc ] digneris [uno verbulo] edicere quæ sit illa memorabilis familiaritas, qua Deus tibi et tu Deo jungeris.

— O cognitio, hoc ego nequaquam facio : sponsarum verecundiam enarrare non condecet omnia quæ contigerit experiri ; sanctam speculationem per me consequeris beatamque fruitionem. Illa vero præcelsa divinitatis experientia *mihi singulariter infusa*, tibi et omni creaturæ [ propter me solam ] semper erit penitus ignota.

— O anima, cum tuæ mentis acumina et altisona eloquia utrumque parumper edixero, in obscura putrescentis stabuli regium lumen colloco ; verumtamen jumenta suo stramineo vili pascuntur pabulo ; quidam nempe sibi sanctitatis speciem impinguant carnibus, pecorino more, in stabulo ignorantiæ *reputantes deliramenta secreta Dei*, dicentes ea esse humanæ voluntatis figmenta et falsæ sanctitatis documenta.

— Cognitio, scriptum est quod Paulus in tertium cœlum raptus sit, qui Saulus permansisset, si tam sublimia non attigisset. Si etiam in primo vel secundo cœlo veritatem reperisset, tertium conscendere necessarium non fuisset. Est quoddam cœlum *phantasticum*, quod diabolicæ pulchritudinis falsitas fabricavit. Ibi cogitatio sensibus turbulentis versatur et quiescit, quia ratio ibi quod naturaliter diligat non invenit. Ibi sine solatio moratur anima, sensusque falluntur animales ; hic Satanas in angelum lucis se transfigurat persæpe, etiam in quinque vulneribus Salvatoris. O simplex anima, in his sollicita sis et cauta. Secundum cœlum ex sanctis [sensuum] desideriis construitur et ex principiis charitatis. In hoc cœlo lux non est, nam anima hic Deum non videt, sed tamen incomprehensibilem quamdam prælibat dulcedinem, interiora ejus omnia penetrantem ; audit vocem quam desiderat, mixtam tamen sensuum phantasiis, ubi si vera defuerit humilitas, falsa luce illudit Satanas, nec ibi tunc operatur Dei veritas. Si vero vera humilitas comita-

tur, anima in cœlum tertium sublevatur, in quo divino lumine illustratur. Tunc sensus aiunt corporales : Domina nostra, ab initio hucusque dormitavit cognitio nostra, nunc vigilans amoris superni radios intuetur ; in hac luce circumspicit quis sit qui se sibi manifestat, et quid sit quod sibi loquens mandat, cognoscens veraciter quod Deus est omnia in omnibus. Nunc omni cura seposita, tertii cœli cum Paulo conscendo fastigia, cum Deus animam meam a visibili liberaverit creatura. Istud cœlum tertium circulatur, testitudine ordinatur, illustratur pulcherrime trium personarum ineffabili majestate, [quæ sic intonant· Vera Dei salutatio illa provenit ex cœlestis sanguinis profluvio.]

## XXIV. DE FAMILIA ANIMÆ ET MINISTRIS EJUS.

SPONSA sole amicitur, lunaque sub pedibus ejus substernitur, ac unione *beatissima* coronatur. Ejus minister [1] [est timor] manu virgam gerens auream ; hoc est prudentia. Minister vestitur Agni sanguine, coronatus honore ; sapientia induitur sua debilitate, coronatur æternitate. Sponsam quatuor pedissequæ consequuntur. Amor ipsam conducit, vestitus castitate, coronatus dignitate. Humilitas, vestita despectione, coronata exaltatione, sustentat eamdem. Contritio [2], vestita botris, *hoc est compunctionis lacrymis*, coronata *internis* gaudiis, *Dominam comitatur*. Sequitur quarta pedissequa *nomen habens* misericordia, quæ vestitur unguentis, coronatur deliciis. Suavitas et deliciositas mantellum Sponsæ, [qui est sanctitatis odor,] sufferunt et sustollunt. Adest reginæ Pontifex, vestitus gemmis pretiosis, coronatus Spiritu *geminæ dilectionis*, qui Sponsam Sponso repræsentat. Hunc duo sequuntur milites : fortitudo scilicet, circumdata tribulationibus, coronata victoriis; alterque *qui prudenter* audax *dicitur*, vestitus velocitate, coronatus omni felicitate. Accedit cubicularius, cus- I. 46.

1. capellanus. *Cod. B. in marg.*
2. vel pœnitentia. *Cod. B. in marg.*

todia videlicet, vestitus constantia, coronatus perseverantia. Hic coram Sponsa præfert lumen, intelligentiam vestitam discretione, coronatam pietate. Portavit præterea tapetem sanctæ conscientiæ, indutam bona voluntate; coronatur placendi Deo charitate.

Habet etiam pincernam, desiderium scilicet, indutum pia aviditate, et coronatum pacis tranquillitate. Habet citharedum, amabilitatem, cujus cithara est devotio: hic vestitur favoris gaudio et coronatur adjutorio. Sunt ei quinque fortes, *qui nunquam eam deserunt:* primus, visus dicitur, qui fundatur in lacrymis compunctionis, et decoratur in restrictione *vagationis;* secundus est cognitio, qui fundatur obstaculo et decoratur consilio; tertius, videlicet locutio, fundatur utilitate, et insignitur fidelitate; sequitur auditus, quartus utique, informatus divinis sermonibus et ornatus consolationibus. Postremo accedit quintus, tactus videlicet, qui stat in fortitudine, formosus in bona consuetudine. Hi quinque habent super se dominum, videlicet peccatum, qui vestitur confessione, coronatur satisfactione. Non caret sponsa judice, qui vestitur disciplina, et coronatur patientia. Habet quoque sponsa animal, corpus suum videlicet, quod frenatur in dignitate, pascitur contemptibilitate, stabulatur in confessione; vasa quod defert necessaria, sunt sensuum munditia et vitæ innocentia. Defertur super Sponsam velum purpureum, hoc est spes, quæ (vestitur) veritate et jubilo coronatur. Defert palmam in dextra, hoc est peccati victoria, et alabastrum in altera, amoris scilicet desiderium, quod dilecto profert in obsequium, gerens capite pileum pavonis *pennis splendidum:* hoc est odor famæ dulcis in terrestribus et honor grandis in cœlestibus. Procedit ergo via mansuetudinis, quæ vestitur melle dulcedinis, et coronatur gloria securitatis. Tunc *exultans jubilat, et* jubilans exclamat: O præcordialis Dilecte, te desidero; tu aufers, præbesque mihi multiplicem cordis molestiam et dolorem: per te sustineo invisibilem angustiam, cum tu, Domine, dignaberis, me a me misericorditer liberabis. Respondet Sponsus: Amabilis dilecta, *noli mærere ulterius;* memento quod invenies quod excedit omne desi-

derium, et remove a te hujus vitæ tædium. Super te manet jugiter mea fida protectio, et brachiorum meorum te amabit circumdatio. Et addidit: Veni dilecta, veni coronaberis. Imponitque capiti ejus coronam veritatis, quam nemo nisi homo suscipit spiritualis. In hoc diademate quatuor virtutum radiant insignia; ibi fulget decor sapientiæ, paupertatis divitiæ, desideriorum adimpletio, et præmiorum conservatio. [Deus det nobis omnibus hanc coronam. Amen.]

## XXV. EXPLICATIO QUORUMDAM VERBORUM.

DIXI quodam loco libri hujus[1] quod Deitas Pater est meus naturaliter. Hoc non intelligis, et dicis omne quod Deus nobiscum operatur est gratiæ non naturæ; verum dicis; sed et ego non erro. Audi nunc similitudinem: quantumcumque acutum visum homo habeat ultra spatium, tamen unius milliaris non tenditur visus ejus; et quantumcumque limpidi sensus, invisibilia non capiunt, nisi per fidem et quasi palpando, sicut cæcus in tenebris. Amans *Deum*, *et* omnia quæ Deus amat, et odiens ea quæ odit, anima habet oculum a Deo illuminatum, quo videt æternam deitatem, et quomodo cooperata est sua natura in anima, imprimens ei suam imaginem; ipse eam generat in seipso, uniens se cum illa præ omni et super omnem creaturam, et conclusit eam in seipso. Ipse eam sic sua divinitate replevit quod aliud loqui nequit, quam quod in perfecta unione plus quam Pater ejus sit. Corpus dignitatem suam a Filio æterni Patris suscipit, in fraterna societate et in laborum communicatione. Jesus Christus propter necessitatem nostram opera sua perfecit in charitate, in paupertate, in pœnalitate, in labore, in contemptu usque ad mortem Crucis. Spiritus Sanctus operatus est in nobis per gratiam, ut loqueris, omnia quæ accepimus dona et bona. Hæc omnia tripartita sunt, et tamen ab uno indiviso Deo perfecta. Duo in terris fiunt virtute divina sine intermissione, purgatorio tamen digna; quorum unum tantum in cœlo, alterum vero agit in inferno: voluptas sine pœna in cœlo, pœna sine voluptate in inferno.

VI. 31.

1. In originali, I. 44. In versione latina, IV. 6. p. 551.

## DE INCOGNOSCIBILITATE DEI ET DE CREATURA.

Ubi erat antequam quidquam faceret Deus noster ? In seipso erat, et omnis creatura præsens et manifesta oculis ejus erat sicut hodie. Et quæ erat forma et similitudo ejus ? Similis erat circulo, et omnis res in eo claudebatur sine sera et ostio. Inferior pars circuli, firmitas est omnia sustentans ; superior pars, altitudo omnia excellens ; circulus est ambitus omnia complectens. Necdum adhuc Deus Creator dici poterat ; cum vero cuncta creavit, reseratus est circulus et apertus. *Numquid ergo scissio facta est ?* Non. Integer est et semper erit. Cum Deus creator dici voluit, omnis creatura in seipsa apparuit. Homo videlicet ad cognoscendum, diligendum, fruendumque Deo et obediendum ; volucres et animalia ad utendum sua natura ; aliæ creaturæ, ut in sua essentia permaneant et subsistant. Audi nunc : omnis cognitio sine ordinato amore, quo Deum in omnibus rebus amare debemus, vana est ; cuncta enim ut ametur ipse fecit, et in his amari se docuit et præcepit.

## XXVI. DE SEPTEM HORIS CANONICIS QUAS INFIRMA DICEBAT.

I, 30. Matutinæ. — minnem vol, ein sûze wol.
Prima. — minnem gere, ein sûze swere.
Tertia. — minnem lust, ein sûze durst.
Sexta. — minnem vûlen, ein sûze kûlen.
Nona. — minnem tot, ein sûze not.
Vesperæ. — minnem fliessen, ein sûze giessen.
Complet. — minnem rûwen, ein sûze frowen.

Septem horæ describuntur hic :

Ad Matutinas : plenitudo amoris, suavitas est dulcoris.
Ad Primam : amoris desiderium doloris est incendium.
Ad Tertiam : voluptas amoris est dulcis sitis.
Ad Sextam : amoris sensus refrigerat sensus.

Ad Nonam : amoris mors est angustia concors.
Ad Vesperas : amoris afflictio est devotionis infusio.
Ad Completorium : requies amoris est gaudium honoris.

*Hæc septem verba femina sancta, corpore debilitato, præ spiritus fervore, vel etiam per languorem amorem delectantem, decantare Domino consuevit.*

## XXVII. FASTIDIT ANIMA AMANS OMNEM CREATURAM.

SPONSA Christi de quiete thalami sanctæ Trinitatis egrediens sic omnes alloquitur creaturas : Eia, elongamini et discedite a me, universæ creaturæ; vos affligitis me, nec valet vestra præsentia me consolari. Dicunt ei : Quare ? Respondet : Dilectus meus cum dormirem discessit a me, ubi inter brachia ejus requievi : *Dicunt creaturæ :* Non potest te hic pulcher mundus et omne quod in eo est consolari ? *Respondit :* Non, video namque serpentem falsitatis vagantem in omni hujus sæculi voluptate. Video etiam angelum [1] avaritiæ cadavere ignobilis dulcedinis plurimos attrahentem. *Dicunt* : Potestne regni cœlestis sublimitas consolari te ? *Respondet*: Non; esset enim in seipso [mortuum], si vivus Deus non appareret. *Dicunt* : Possuntne te Sancti consolari ? *Respondet :* Non; qui si de effluente vitæ fonte separarentur, plus lugerent quam ego ; nam quanto me excellunt, tanto profundius in Deo sunt. *Dicunt:* Valet Filius Dei te quoquo modo consolari ? *Respondet :* Ita. Ego interrogabo eum quando velit deambulare ad flores sacræ cognitionis ; rogaboque eum ut mihi aperire dignetur jucundam affluentiam magnificæ Trinitatis, unde solummodo anima haurit vitam. Si secundum nobilitatem meam meruero consolari, oportet ut divinum spiramen absque labore me pertrahat in se. Splendor enim solis summæ Majestatis transparet per aquam mundissimæ humanitatis, voluptasque Sancti Spiritus ab utroque procedentis omnia IV. 12.

1. *Lege* hamum, *teutonice* angel.

quæ sub Deo sunt, *et Deus non sunt*, a meis affectibus elongavit. Mortua sum mirabiliter *huic mundo*, et nihil sapio præter Deum ; hujus tamen suavissimi saporis dulcedine frequenter libens careo, ut ejus magnificentia extollatur. Nam cum ego indigna meis viribus ipsum laudare non sufficio, ipsius oculis offero omnem creaturam, ut omni sua sapientia, amore, pulchritudine, desiderio, *jubilo*, sicut ex ipso acceperunt, pro me clarificent Creatorem. Cum hujus laudes meminero, nullum dolorem sentio. Sustinere nequaquam valeo quod me alicujus rei præter Dilectum contingat consolatio; amicos meos terrestres amo tamquam consortes cœlestes, inimicos vero in [sancto] mœrore porto et diligo, *deprecans* ut salventur. Omnium bonorum sufficientia Deo affluit ; nunquam sibi se amantium contingentia sufficit animarum.

Cum per octo annos horum mirabilium ista consolatio perdurasset, complacuit Altissimo supra meritum nobilitatis suæ valde animam consolari : Eia, præcordialis Domine, in altum nimis noli me sustollere, dixit anima reputans se indignam : Bonum mihi nimis est in loco novissimo recumbere, ubi pro tua gloria cupio perpetuo detineri. Cecidit ergo misera deorsum ad pendentes et proscriptas animas, ibique gratanter tamquam loco optimo requievit. Sequebatur ergo eam Altissimus ea claritate quam in infimis gaudiis positi poterant sustinere. Singulis namque sic ejus refulget claritas, prout eos virtutum habitus nobilitavit et operatio, et sanctificavit charitas in præsenti.

Sanctus Joannes *in Epistola sua* dicit : Videbimus eum sicuti est [1] : Hoc quidem verum est; verumtamen secundum dispositionem aeris sol refulget; multiplex est sub sole aeris mutatio in terris : sic multæ mansiones *in domo Patris* sunt in cœlis. Attamen sicut perspicax fuerit oculus mentis, sic erit illa visio claritatis.

Et dixit Dominus : Quamdiu vis hic morari? Et dixi : Eia, concede mihi, Domine mi, et dimitte me adhuc amplius pro gloria tua mergi.

Post hæc anima cum corpore tam profundas tenebras in-

1. I. Joann. c. 3.

cidit ut cognitione carerem et luce. De familiaritate Dei nihil noveram : sed ipsa beata charitas abiit, et elongata est a me. Tunc dixi : Ubi es nunc, Domina fidelitas, ego tibi modo officium charitatis committo, ut in me gloriam Dei custodias et honorem. Tunc assumpto officio charitatis, tam sancta patientia et læta longanimitate tuebatur me, ut sine miseria viverem et dolore.

Et ecce circumdedit me infidelitas magnis tenebris, clamans ad me crudeliter : et expavi, valdeque exhorrui vocem ejus. Si gratia hæc, inquit, a Deo processisset, nequaquam tui oblitus te sic dereliquisset. Et dixi : Ubi es nunc, o constantia? Reduc ad me, obsecro, *catholicam* fidem veram.

Dixit ergo Deus Pater cœlestis ad animam : Memento quid præsenseris, et quid perspexeris, cum inter me et te medium nullum fuit. Et intulit Unigenitus Patris : Recordare, quantas corpus tuum pœnas pertulerit ex amore. Addidit quoque Spiritus Sanctus : Memor esto scripturæ quam scripsisti.

Tunc anima cum corpore, cum vera fidei constantia respondit : Sicut credidi et cognovi, dilexi et perfruita sum : sic ex hac vita impermutabilis emigrabo.

Deinde alienatio Dei veniens circumdedit animam undique et dixit [beata anima : Bene venisti, valde beata alienatio ;] bene nata sum, quod te pedissequam habere merui. Tu enim inconsuetum mihi affers gaudium et incomprehensibile miraculum, atque intolerabilem suavitatem. Tu autem, Domine, hanc suavitatem longe fac a me, facque me tuam alienationem retinere. Eia, bene mihi, Domine Deus, quod hanc in via charitatis merui supportare, quia qualiter veniens id mihi sic non audeo enarrare ; dico tamen quod fel in mel in meis faucibus est mutatum. Desideravi ergo quod omnis creatura Creatorem glorificans, hymnum *Te Deum laudamus*, jubilans decantaret. Renuit autem hæc illa, et avertit a me faciem *indignantis*. Lætificata ergo valde sum et dixi : Quod me nunc contemnitis et ad me tergum vertitis, laus immensa Dei est ; bene mihi. Nunc procedit in me gloria Dei, quia nunc mirabiliter est Deus mecum, cum me alienatio sui, plusquam ipse, reficiat *delectando*.

Hoc satis innotuit [animæ]; nam cum eam Deus in alienatione [extrema] consolari vellet, dixit ei: Memento, Domine, quæ ego sum, et contine te a me. Et ait illi Dominus: Fave mihi, obsecro, ut fervorem meæ majestatis, affectumque [meæ] humanitatis, ac voluptatem mei Spiritus refrigerare liceat mihi in te. Ait illa: Annuo, Domine, hoc pacto ut tui solius in me et non mea delectatio compleatur.

Post hæc [Sponsa] in tam magnas irruit tenebras, ut corpus ejus in pœnis tremeret et deficeret incurvatum. Interim rogavit eam quidam ut pro ipso Dominum deprecaretur. Et dixit: O [Domina] pœna, committo tibi ut tu me liberes a me, quoniam tu nunc suprema es in me. Et ecce pœna corporis et animæ, umbræ similis tenebrosæ, sustulit se a me et pergens ad Dominum sapienter, exclamavit voce valida vehementer: Domine, tu nosti, et ante te est omne desiderium meum. Et occurrens ei Dominus, ante januam regni dixit: Bene venisti; o [Domina] pœna, tu in terris fuisti mei corporis proximum indumentum, et omnis superborum despectio fuit mea superior circumdatio, et licet te illic diligam, nequaquam hanc regni januam introducam; verumtamen anima quæ duo complere voluerit, duplex præmium reportabit; sic [illa debet esse] constanter disciplinata et prudens, et sic eris ei utilis, amplexaboque eam dulciter et meo pectori applicabo firmiter. » Et dixit pœna Deo: Domine, ego multos beatos facio, nec inde sum beata; multa sancta corpora efficio, et sum mala; multos ad cœleste regnum dirigo, nec tamen illuc pervenio. Cui dixit Dominus: Pœna, tu non es cœlestis natione, quapropter illuc non poteris pervenire; tu de corde Luciferi es egressa, illuc reverteris, secumque perpetuo permanebis. *Et dixit anima*: Eia, felix Dei alienatio, cui sum tam amicabiliter alligata, tu meam in pœnis confirmas voluntatem, tu dulcoras mihi in hac vita diutinam expectationem; quantoque tibi majori societate copulor, tanto fit in me major Deus et mirabilior. O Domine, in profundo impermixtæ humilitatis ab oculis tuis non absorbeor; sed væ mihi quod me in elatione mentis a te tam feliciter averto; verumtamen quanto profundius *in humilitate* me mergo, tanto suavius sitim *animæ meæ* reficio et exstinguo.

## XXVIII. DE CAPITULO SPIRITUALI ET PEREGRINO QUI APPARUIT EI.

SOLEBAM multo tempore cum districtione magna mei cordis ingredi capitulum, visitans Dei contemptum et mei ipsius dispendium. Ejeci ergo de corde meo omnem meæ carnis culpabilem affectum; statuens e contra totius pœnæ effectum voluntarie sustinendum; amovi etiam cognatorum et amicorum carnalem amicitiam, et institui persequentium injurias patienter sufferendas. Expuli insuper amorem divitiarum et honorum, quibus mundus [peccator] gloriatur, et introduxi paupertatem *evangelicam* de consilio observandam. VI. 33.

Et hoc capitulum ingressus est Dominus Jesus Christus, similis [pauperi] peregrino: ad cujus introitum illuminatus est spiritus meus, ut adesse cognoscerem Deum meum, et dixi: Eia, dilecte peregrine, unde venis? Et respondit: De Jerusalem venio, ubi graviter vulneratus sum; ibi sustinui magnam despectionem, pauperiem et passionem, quæ attuli huc ad te. Respondi: Gratias ago tibi, mi Dilecte: hoc enim jam multis experta sum diebus.

Tunc unam simplicem coronam imposuit Dominus capiti meo, dicens: Hæc est corona paupertatis, despectionis, et pœnæ, quæ adhuc est imaginis meæ pulchritudine decoranda. Hoc dicto, peregrinus abiit. [Unde turbata dixi: O væ! væ! mi dilecte peregrine. Utique] cum illo plura colloqui voluissem. Et respiciens sursum, vidi eum similem potenti Domino circumdatum gloria, et deliciis sempiternis. Et dixit: Benedico te et saluto te, pax mea semper sit tecum. Amen.

Audita est vox in qua hæc verba dicta sunt: Ecce venit quæ mundum contempsit, mendacium effugit, veritatem amavit, et me laudans benedixit. Excipiatur ergo cum omni honore; stabiliatur in veritate, benedicatur sine fine, induatur decore, coronetur dignitate, sedeat in æterna requie, salutetur omnium linguarum genere, serviatur ei omni officio sitate, lætificetur omnium donorum munere.

## XXIX. DE PECCATO ET REGNO.

IV. 5. PECCATUM meum quo a te recessi, Domine, tamquam mons immensus, stat contra me, umbrasque densas operatum est inter me et te, meque æternaliter elongavit a te. Væ mihi et iterum væ! Eia, dilectum bonum, electum præ omnibus, reduc et retrahe me ad te *ab omnibus*. Verum tamen futuræ damnationis casus apparet oculis meis. velut ignei draconis os apertum, omni tempore me cupiens absorbere. Eia bonum meum æternum, adjuva me nunc, ut immaculata valeam refluere in te. Domine, mea terrena conversatio est coram me sicut ager spinis plenus et fertilis, et a bonis fructibus vacuus et sterilis. Eia, Domine Jesu Christe, effunde nunc suavem tuæ humanitatis [dulcem] pluviam et calentem tuæ [viventis] divinitatis solem, et prædulcem Sancti Spiritus tui rorem, ut refrigescat molestia cordis mei, *et compleantur consolatione accepta dies luctus mei*. Regnum tuum [æternum, Domine], oculis meis patet simile nuptiis nobilium maximisque gaudiis jubilantium et æternis deliciis convivantium, ubi, [mi dilecte,] amantem sponsam complecteris, amoris avidam sine fine. Domine, omnia dona quæ percepi a te sunt in conspectu meo similia plagis peregrinis *ad aures meas*, quoniam humiliat me hic altissimum donum tuum. Respondet cuncta tribuens Deus: Mons tuus liquefiet in amore; inimici tui nullum participium habebunt in te, agrum tuum calor solis splendoribus suis penetrabit, fructusque tuus illæsus permanebit. In regno meo nova sponsa eris, ibique osculabor te dulcissimo oris mei osculo, ut plenitudo divinitatis animam tuam pertranseat, et Trinitatis oculi semper in tuo corde duplici delectentur. Ubi tunc remanebit tristitia tua? Si tunc me mille annis rogaveris, unum suspirium non obtinebis.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

# LIBER QUINTUS

## I. DE ANIMALI QUO MORALITER ANIMA DESIGNATUR.

ANIMA desolata et exul sic allocuta est dilectum suum: Duo sunt quæ jamdudum concupiscit anima mea, quæ necdum sum, proh dolor! assecuta. Unum quidem est spiritualis vitæ fida conversatio. [O væ mihi! præcordialis Dilecte; hoc omne media via remansit.] Aliud, sancta et finalis in morte dormitio, ad quam tanto aspiro gaudio quod omnem tristabilem serii mei dolorem postpono. Ostendit ergo mihi Dominus despectum vermiculum et dixit: Huic parvulo similis es vermiculo, quem respice diligenter. Et vidi animal illud in insula marina de limo maris generari, ita ut sol pater, mare mater esset ejus. Sic Adam Dei potentia super terram de vili materia est productus. Hoc animal designat hominem veraciter spiritualem, qui dum spiritum veritatis et perfectionis concipit, calore divinitatis editur, et in Christi humanitate tamquam in matre concipitur, fitque Spiritus Sanctus veluti materia omnem peccatricis naturæ fomitem eradicans. Crescit hoc animal ad calorem solis; et perfectus quisque igne Sancti Spiritus succensus aperitur. Hoc enim tantæ nobilitatis semen est quod germinat et crescit, et usque in finem suscipit incrementum. IV. 18.

Hoc animal cibo non nutritur; habet autem caudam valde grandem semper melle repletam, quam sugens pascitur omnibus diebus vitæ suæ. Habet etiam barbam auream,

dum sugit dulciter sonantem, ut vocis suavitas et clangoris jucunditas cor ejus lætificet, et dulcedo mellis corpus ejus satiet et confirmet. Cauda hæc mors Sanctorum est, quam bonis operibus et sacris virtutibus ornatam sapienter et gaudenter præ mentis oculis semper habent, fidem tamen suam libenter et longanimiter supportantes. Aurea barba Dei charitas est, quæ amantis cor penetrans dulcem in mente suscitat melodiam. Beatus homo qui hæc in hac vita vel semel meruerit experiri.

## DE FUGA SENSIBILIUM COGITATIONUM.

Hoc animal naturali quadam delectatione ductum, undas maris bibens, reficit inutilem sitim suam; propter quod mortis periculum non evaderet, nisi evomeret, quas sorbuit amarissimas maris guttas. Nos quoque qui carnis illecebris illecti, suasione diaboli fœces mundi glutivimus, et nosmetipsos intoxicavimus, mortem incurremus nisi nosmetipsos abnegantes, sæculo abrenuntiemus.

Aures habet animal istud grandes, sursum erectas et patentes, et concentum avium auscultantes. Fugit feras terribiles et timet terrestres serpentes; sic anima Deum diligens fugit societatem perversam, odit fallacem astutiam, apertas habens aures ad sanctorum scientiam.

Hoc animal animo nobile in mari non remanet, dum animalia ad ludendum conveniunt et aquæ redundant et intumescunt. Amat pudicitiam scandens super altissimum quem reperit montem, eligensque arborem pulcherrimam, ipsam gaudioso labore conscendit, summumque illius complectens verticem cum magna delectatione in libertatis altitudine requiescit. Sic amanti Deum animæ amara est vanitas, fugitque vehementer hujus mundi temporanea, quæ prætereunt velut aqua. Cognoscens autem quod per virtutum studia bonorumque laborum exercitia conscenduntur montana cœlestia, conatur per gratiam sine difficultate ad clarissimam summæ divinitatis lætitiam, cujus complexam celsitudinem, ejus meretur vicissim amplexibus honorari.

Hoc animal duobus acutissimis se tam sapienter tuetur cornibus, ut ab omni animali liberum pertranseat et illæsum. Intelligis hoc, ut reor, *prudens et Deum* amans anima? Repellis enim a te per Dei sapientiam tentamenta diabolica, vivisque in sancta puritate ab omni peccato libera.

Habet hoc animal duos claros humanos oculos, qui semper fluunt lacrymis, desiderantes *quem conspexerunt* montem pulchritudinis. O anima delicati amoris, [quam] pulchri sunt oculi tuæ cognitionis, quibus intuita es speculum *sine macula* sempiternum *candoris*. Lacrymæ tuæ sunt [amanter paratæ] *in maxillis tuis;* libens tamen sustines amaritudines hujus [peccati] mariš.

Hoc animal suavem mundamque linguam possidet, dentibusque carens, morsibus non nocet, nec terret murmuribus. Sic homo justus ore mundo loquitur sapientiam et docet scientiam; linguaque a noxiis restricta conservat disciplinam. *Detractionis vel alterius malitiæ* non mordet dentibus, sed in consolatione *non deest, sed* semper adest mœrentibus. Non habet nisi contemptus Dei et peccati odium, quæ super omnia detestatur.

Habet hoc animal os grande superius, et inferius diminutum. Os nostrum immensa Dei laus dilatat, ut cum omni creatura in omnibus factis nostris omni tempore ipsum collaudemus. Oris nostri pars inferior ad loquendum, proh! dolor, prona est de terrenis. Væ autem [pro omni verbo, quid fiet de] eis hypocritis qui sub imagine sanctitatis de bonis fidelium miserum corpus nutriunt, seque sic loquentes ostentant, ac si omnia in Dei cognoverint veritate, a quibus fidelis Deus, veritatis cognitor et amator. dignetur custodire se simpliciter diligentes.

Veloces habet hoc animal pedes; voce caret, et est in se quietum; et hoc habet proprium anima disciplinata, ut in amoris celsitudine velox permaneat [simul] et quieta.

Ignobilis est hujus animalis color et aspectu despicabilis; pallens enim est et marcidus; ideoque pro præsentis pulchritudinis defectu persecutionem agitationis non patitur; at post mortem cum alia putrescunt animalia, pellis ejus nobiliter decoratur, crinesque ejus tam mira pulchritudine variantur, ut omnes magnati, quibus hujus pellis copia con-

ceditur, præ omnibus ornatibus quarumcumque pellium, decorare studeant hac pellicula vestes suas. Perfectorum pax et mores eximii, utilisque doctrina dum vivunt pro nihilo æstimantur; post mortem vero illorum, cum miseri angustiis premimur, utique illorum sanctitatem et doctrinæ fidelem admonitionem recolimus, intra nosmetipsos confusi erubescimus, quod ipsorum familiaritati tam fuimus alieni. Efficitur ergo vita eorum decor eximius, quem præ oculis mentis nostræ delectabiliter gestamus; qui dum in vita degerent, ignobilitatem et gravitatem laboris tamquam cuprum exhorruimus, adeo quod pretiositate auri contingere verebamur.

Hujus animalis caro diebus jejuniorum et quadragesimæ comeditur, nec moritur nisi malis inundationibus et fluctibus obruatur. Totum Sanctorum vitæ tempus jejunium est; semper enim abstinent nec cibos edunt vetitos, sed tantum lege divina concessos. . . Inundatio et fluctus impatientis charitatis mortificat eos ab amore mundanæ vanitatis, ut in sola maneant requie veritatis. Tunc primum omnia eis in Dei communicantur amore, habetque amor eorum virtutem validam ad laudandum Creatorem in omnibus creaturis.

Animalis hujus ossa sunt cujusdam nobilis piscis, ex quibus fiunt clenodia de quibus magnati et nobiles gloriantur. Quanta nobilitate corpus sacrum, plenum charitate et carens iniquitate polleat, in suis carissimis ostentat Deus omnipotens, cum eorum verissimis miraculis illustramur. Deus in sanctis suis multa nobis dona et beneficia largitus est, pro quibus, si condignas gratiarum actiones non referimus, eorum consortio digni non erimus, [qui hic sunt de terra elevati]. Nomen hujus animalis est *Totum utile*. Beatus homo qui meretur in conspectu Domini hoc nomine gloriari.

## II. DE BONITATE RELIGIONIS, ET QUORUMDAM RELIGIOSORUM PRAVITATE.

NOMEN Religionis, [quam] venerabile [es] super omne nomen sæcularis gloriæ! Jesus Christus in omni vita et moribus suæ conversationis tam fideliter glorificavit te, quod omne nomen magnorum qui sunt in terris veterascet a gloria sua. Nomen vero Religionis exaltabitur juxta quod hic spiritualiter vivitur et bonis moribus humiliter sanctificatur. Vere mirabiliter, singulariter et in sanctitate excellenter exaltabitur; fratri Jesu et sorori Mariæ conformabitur, qui primo Religionis nomen in multa despectione extrinsecus *et in verissima sanctitate intrinsecus fidelissime* extulerunt. Sunt autem quidam Religiosi qui tam sancto incessu, tam profunda incurvatione extrinsecus se perornant, [et coram hominibus tam pulchra verba prætendunt,] ut veraciter æstimari oportet quod per Spiritum Sanctum regentem intrinsecus ista fiant. Non est autem hoc aliqua vera sanctitas, sed fraudulenta tentatio, qua homo cupit esse sine labore famosus, cum non sit in ore ejus Spiritus Sanctus, sed fallax et dolosus. Hujus rei experimentum hic accipe; fit enim apud domesticos crudelis ursus et fremens leo, inter quos deberet esse agnus mansuetudinis et columba virtutis *et simplicitatis*. Et est vita talium coram Deo et hominibus fallax officium, et coram familiaribus nocivum et perniciosum mendacium. Væ tibi, infelix avaritia, valde te odit anima mea, nam tollis a charissimis meis [sororibus] internam Dei dulcedinem et externam cum proximis societatem amabilem, quæ ipsas præparare et in lectum sponsi debuerant introducere; has sic induras intrinsecus et impias reddis extrinsecus, quod religionis verba quæ audiunt, mox despiciunt et pervertunt, eisque Sancti spiritualia dicere non præsumunt. V. II.

Oportet te, soror dilecta, sensus habere compositos, ut bonæ voluntatis efficiatur cor tuum, et dilatatam animam ut capere valeat influentem gratiam. Si sine consilio et necessitate sustentationem corporis tui dilataveris, altitudine divini

sensus profunditateque fluentis Dei dulcedinis particeps nunquam eris. Magna enim verecundia et indisciplina reputatur, et est confusio, quod sponsa regia voluntarie volutatur in luto.

Eia, soror, cum ex debito orare debueris, præbe cor tuum totaliter Deo, et dic: Domine Jesu Christe, hæc hora tui solius deputatur servitio, et Ecclesiæ tuæ, et peccatorum, et in purgatorio detentorum instituta est consolatio. Omnem cordis mei virtutem offero tibi hodie, ut tu, Domine, ad gloriam tuam secundum desiderium meum eis suffragari digneris, et concede mihi ut te [1] veraciter cognoscam; tunc primum *pie, utiliter* anima mea conturbabitur ad meipsam.

Cum autem, [dilecta soror,] ad opus accedere debueris, signa te *signo crucis* et dic: Domine, hæc hora tua est, et mea; auxiliare mihi, Jesu benigne, ut animam et sensus meos sic in te infigam et involvam, ne avaritiæ absorbeat me profundum; solet enim animas industrias invadere et tentare; quod si sapientiam, quæ desursum est, inveneris, nulla te pravitas vel malitia decipiet vel subvertet; nam in gratia, quæ a Deo fluit in corda ad ipsam suspirantia, invenitur veritas et discretio agendorum. Facile coram hominibus imago bonitatis assumitur; quæ si [veritas] defuerit, serpentium virus mortalibus propinatur. Purifica cor tuum interius, et ne ostentes exterius, tunc eris cum Deo familiarius.

## III. DE VIRTUTE ORATIONIS.

V. 13. ORATIO quæ ex tota virtute cordis promitur coram Deo magni ponderis æstimatur; nempe: cor amarum dulcificat, triste lætificat, egenum ditat, stultum informat, pavidum confortat, fragilem fortificat, cæcum illuminat, frigidum accendit, Deum altissimum trahit in cor parvi *summum*, famelicam mentem elevat ad Deum *vivum fontem*: conjungit duos charissimos, Deum et animam, in loco amœnissimo, ubi inter eos multa est de amore collatio. Væ mihi infelici!

1. me. *Ex teutonica lectione.*

[hic sacco involutæ] quod non licet mihi mori, *ut mea ibi jugiter anima remaneret, et corpus meum temporalem vitam hic finiret.*

Nullus scire potest quæ vel quanta sit consolationis dulcedo, pœnæ amaritudo, desiderii dilatio, nisi hoc experiatur in semetipso. Ego quæro auxilium, quia sustineo mœrorem continuum. Tres habeo filios, quos, proh dolor! cum gemitu intueor *languidos et miseros.* Primus est peccatorum multitudo, qui jacent æterna morte soporati, spem vitæ non habentes, præterquam quod corporaliter sunt viventes. Væ *mihi!* hunc filium respicio corde sanguineo, et lacrymantibus oculis [ diligo, ac ] in ulnis animæ meæ susceptum, ad pedes patris sui per quem ipsum genui defero, ipsumque supplex rogo, ut sicut Lazarum *potenter* excitavit *de monumento,* sic istum clementer suscitet *a peccato.* Ad hæc respondit Deus: Hujus filii infirmitatem curabo; si recidivum mortis cavere studuerit, *non consentiens peccato,* erit mihi semper similis in speciositate, in generositate, in divitiarum quantitate, circumdatus et infusus voluptate, in sempiterna æternitate. Surge, dilecte fili, quia de morte revixisti; liberum, quod tibi tribui, voluntatis arbitrium, tibi nunquam auferam, quia secundum hoc ponderabitur in cœlis tuæ retributionis præmium. Væ! adhuc jacet tacens *mortuus* propriæ voluntatis amicus et socius. V. 8.

Alter [ filius ] quem defleo, animæ sunt afflictæ in purgatorio, quibus mei cordis in potum propino sanguinem, *deprecationem ad Deum pro ipsis fundens supplicem.* Cum varias eorum angustias et sitim amarissimam quas pro singulis patiuntur delictis intueor, materna pietate moveor, *et in intimis meis crucior;* verumtamen in hoc gaudeo quod [ cum justo debito ] pœnas suas tolerant dantes laudem Deo, cum multa ferunt patientia, quia patet eis sua negligentia. Sustinent pœnas cum disciplina sapienter, imbibuntque angustias et sorbent molestias vehementer. Pro cura et salute hujus filii obtinenda, materna fidelitas suffragari debet indefessa.

Tertius filius est imperfecti Religiosi. Cum omnes infirmos

meos filios aspicio, pro nullo tamen crucior, quantum pro hoc solo, quia exterioribus sensibus deditus, et temporalibus occupatus, sic a cœlestibus dividitur et a generosa consuetudine elongatur, quod dulci familiaritate Dei qua specialiter dotatus fuerat spoliatur. Deinde adeo perversi fiunt quod nullis sermonibus superantur. Reprehendunt devotionem, divinam calumniantur dulcedinem, et malitiose quæ viderunt et audierunt observant et irrident. Apparent exterius sapientes, cum sint intrinsecus insipientes. Hic filius magis difficulter curatur *et mortem evadit*. Primo enim contentiosam pertinaciam incurrit, deinde acediam et vanam spem, post hæc in desperationem labitur, et tandem omnis gratiæ expers efficitur. Tunc miser per omnem vitam suam conversatione stat lamentabili, et ad extrema mortis fine vergit inutili, sicque venit in dubium quale de ipso fiat judicium.

## IV. DE BONO LABORE.

III. 6. Qui Deum sequi desiderat fideliter in labore, stet non pigritando; sed seipsum provocet meditando, recordetur qualis fuerit in peccatis, qualis nunc sit in virtutibus, et qualis futurus sit nisi caveat in lapsibus. [ Doleat, ] laudet, oret, diebus ac noctibus. Cum fidelis sponsa a somno emerserit, cogitat de dilecto; quem si habere nequiverit, lacrymis se consolatur et perfundit. O quam frequenter sponsis spiritualibus *et religiosis mentibus* hoc contingit!

## DE SEPTEM VIRTUTIBUS.

V. 2. Nobilissimum sensuum gaudium, et sanctissima pax cordium, et gratissimus incessus morum ex hoc provenit, si homo verax *et non fictus* in omnibus viis suis invenitur. Hinc locutus est Dominus et docuit me ea, quæ omnes cum Christo [omne genus humanum] judicaturi in novissimo debent habere. Qui his septem caruerit tamquam [ servus ]

emptitius [ coram hero suo ] in judicio adstabit, quia qui se hic contra veritatem Dei astuto mendacio erigunt, virtutes ipsas vendunt.

Primum est justitia in præsentia; hoc sic est intelligendum: video quod amicus meus inimicis Dei et meis injurias infert; amicum meum debeo fideliter corripere et inimicum adjuvare.

Secundum est misericordia in necessitate. Glosa : si video amicum meum et inimicum meum in necessitate simili constitutos, consilium et auxilium impendere debeo par utrique.

Tertium est fidelitas in societate. [Glosa :] socium arguere non debeo nisi pro peccato de quo non egit pœnitentiam [1] *coram Deo*.

Quartum est adjutorium in familiaritate. Glosa : quærat homo ubi sint exules, infirmi, et captivi, consolans eos verbis, interroget occulte de eorum periculis, ut eis valeat subvenire. Oh! [væ!] quot sine suspiriis et lacrymis et misericordia exulem infirmum prætereunt; quod minime religiosis competit, quoniam a Deo [sic] elongat, quod mox ejus familiaritate privantur, suam in hac parte sententiam ignorantes.

Quintum est quod homo in tribulationibus obtumescat. Glosa : Homo verba tumida, quæ ex superbia cordis consurgunt et iracundia, non proferat : tunc enim apud Deum ineffabilem gratiam promeretur.

Sextum est ut sit homo plenus veritate. [Glosa :] qui tunc plenus veritate dicitur, cum nulla mortalis criminis conscientia recordetur, gaudetque quod cordis ejus inspector Deus est, nec, si videretur [intra cor suum] hominibus, verecundiam sustineret.

Septimum est mendacii detestatio. Glosa : mendacium debemus in omni homine reprehendere, nec hæc in nobismetipsis debemus aliquatenus occultare.

In his septem debemus exerceri et ea perficere contra carnalis sapientiæ voluptatem. Nisi enim carnalis sensualitas edometur, non possumus hæc spiritualia adimplere; attamen animæ nostræ nobilitas salutaris nobis consilia suggerit, licet carnis infirmitas negligat pietatis

1. Versio recens germanica huic veteri latinæ consentit, non vero lectioni codicis Einsiedelnensis; quod non semel occurrit.

opera, et remurmurans contradicat. Cum recordati fuerimus quam dulciter et sapienter et lætanter ore suo benedicto creavit [Deus] animam nostram spiritaliter, sensus prudenter, corpus utiliter, merito erubescimus de pravis moribus foris, et intus de infidelitate cordis. De sensibus nihilominus non immerito confundimur quod dona Dei sic vane gerimus, quod tam modicum fructum ad fontem referimus unde omnia effluxerunt. [hoc est, cor Dei. O væ mihi merito dolenti !] Ad locum debitum voluntas recta perducit omnia, licet mores corporis non permittant.

## V. DE SPIRITUALI PAUPERTATE UTILI.

V. 25. UNUM est in virtutibus nobilissimum et coram Deo splendidissimum, et in hoc mundo cunctis quæ homo possidet acquirendum, *et hujus rei in cœlestibus mentio non habetur*, hoc est, ut homo in paupertate, in contemptu, in exilio, in infirmitate, velit, sciat et possit ex corde benedicere, cum gaudio gratias agere, desideria sursum erigere, et operibus collaudare. Superest quod gravius est, ut religiosa ac spirituali paupertate, in coactione obedientiæ, in multiplici mentis et corporis amaritudine, Deo laus, quemadmodum prædiximus, exsolvatur [1]. Hæc in cœlesti patria hominem superexaltant et honore dignum faciunt ampliore : præeminent enim aliis in laudatione, in dilectione, in claritate, in gaudio, in deliciis, in decore, in divitiis, in fruitione beatitudinis (*a*) sempiternæ. Deus meus, interrogo te : quomodo sapit tibi laus et gratiarum actio, quam tibi turbatus homo offert sine omni *dilectionis* dulcedine. Audi quid nunc dicat : Adscendit sursum cum potentia, cujus honor magnus est et multiplicatur ; cui cedit omne quod est, donec perveniat in locum sanctum Dei, ubi mirabilia operatur. Transit enim speculando tres personas et tangendo, et concitat facitque

1. *Alia hujus loci versio, originalem ad verbum reddens, in codice B, ad marginem, sic legitur :* et quod gravius est, in spirituali paupertate, in coactione obedientiæ, in multiplici amaritudine interius et exterius, velit et possit et sciat in his laudare Deum, et cum gaudio gratias agere, et desiderio se in altum erigere et opere implere.

(*a.*) Trinitatis. *Cod. B. in marg.*

in amore delectari sanctissimam Trinitatem. Eam vero qua tunc fruor suavitate, anima ipsa percipit, cui plene familiaris esse nequeo, nisi velit vacans et nuda in meis reponi [divinis] brachiis, ubi eidem alludens divinitus condelector ; propter hoc quippe parvulus factus, pauper, nudus et despectus et postremo mortuus, ejus me tradidi voluntati, ut velit proxima et dilectissima compar et socia mihi esse. Et erit sicut piscis in mari, et in aqua natans, anima ejus et corpus, in [mea sancta] Trinitate absorpta, ejusque dulcedine ebria et copiosissime satiata. Ubi tunc dolor et miseria quam pro me et propter me est perpessa ? Hæc est dulcis consolatio dexteræ Excelsi.

## VI. DE INSIDIIS ; DE INIMICIS.

Qui rite se secundum attractionem Domini et cognitionem quam habet regeret, delicias maximas, quæ in cor hominis non ascendunt, et illustrationes quas non videt oculis, perciperet. Sic esset tamquam Angelus in omni vita sua amabilis et unitus Deo in omnibus viis suis, fieretque infernus diaboli regnum Dei. Cum autem homo justus tractionem derelinquit, immittit ei Angelum malum Dominus ut tentetur durius et excitetur *a somno peccati otiosus*. Verumtamen [dilectus noster Dominus] vires hosti subtrahit, et ne cadat protegit hominem et defendit. Inimicus autem concessam sibi potestatem reputans in hominem, nititur omni tempore ut ipsum valeat seducere. Væ mihi miseræ ! quoties his insidiis in me studuit prævalere ; ostenderat mihi Deus rem magnificam quam implere promiserat, de qua reddenda propter meam indignitatem diffisa, gratias agere [heu !] neglexi. Venit ergo diabolus volens mihi infligere pœnas, et dixi ei : Quid tibi vis ? Vides quod Deus mecum est, et quomodo audes ipso præsente me punire. Respondit dæmon : Ego volo nunc sicut olim volui, sedem [meam juxta] suam [ponere], imo ipsum de sede animæ tuæ conabor depellere et in te residere ; quin etiam cœlum, paradisum, purgatorium, terram, convertere cupio in infernum. Et dixi ei : Velles-ne ut V. 29.

hæc omnia essent cœleste regnum, ut tu gratiam invenires? Respondit : Non ; ad hoc nunquam potero inclinari. Et dixi : O quomodo tam infelix es, quod coram Deo non erubescis ? Respondit : Qui boni aliquid habet in se, non est omnino malum ; qui vero peccat, perdit verecundiam ; qui si erubesceret non peccaret ; præsumptuosus ego sum, et audens, stulte sicut musca advolans et inquietans semper, et nulli parcens. Cæterum qui se tuetur virtutibus, permanet illæsus, et qui Deo stat firmus triumphat de omnibus molestiis invictus.

## VII. DE PERICULO PRÆLATORUM.

VI. 1. GRANDIS timor consistit in *Ecclesiastica* potestate : cui enim nomen prælationis imponitur, in eo tentationis periculo locus datur. Age ergo, *o homo*, et cum multa humilitate prosternere et ad orationem confuge, et in Domino consolare ; renova cor tuum in Dei charitate, ut omnem tibi subditum ames et respicias in sua necessitate. Esto cum subditis [et Fratribus] amanter jucundus, et benigne seriosus, et misericors in omnibus laboribus super eos. Dulcibus verbis ad [audacter] prædicandum eos dirige, et ad confessiones utiliter audiendas hortare, quia a Deo ad hoc missi sunt in mundum ut liberetur, et adjuvent peccatores, sicut Christus [omnem] mundum salvavit de cœlo veniens [in hujus sæculi lutum], *ut nos ad sublimia elevaret*. Hæc loquere cum [profundissima] humilitate tibi subditis, mundo corde dicens : Eia, dilecte, ego [omni bono] indignus, servus tuus sum [in omni servitio quod præstare possum, et non dominus tuus] licet tibi præsum, et in charitate mitto te ; laboribus tuis quidem [heu !] compatior ; quam Deus tibi præparavit congratulor dignitati ; nunc igitur mitto te ut cum Jesu perditas requiras oves, pro quibus [ex amore] pertulit passionem. Charitas Dei conducat te in viis et laboribus sanctis tuis. Desideria, orationes cordis mei et lacrymas mitto tecum, ut te Deus sanctum et plenum charitate reducat.

## DE HOSPITIBUS.

[Ita debes tu omnes tuos fratres consolari cum exeunt;] cum de via redierint, lætificare stude eos, et [præcedens in hospitium] ordina discipulis Christi necessaria et commoda, quantum prævales, secundum Dei largitatem. Pedes eorum lava, et humiliter subdere, licet eorum prælatus sis [vel prælata]. Cum hospitibus non diu maneas, sed conventum respicias ordinate. Hospites non diu vigilent, sed *ad orationem se conferant et quietem.*

Ad infirmos quotidie ingredere, et eos dictis et factis pie fove, et [terrenis rebus largiter] refice; Deus enim dives dabit quod fuerit necesse. Stude semper circa infirmos munditiam ordinare, et eis [in Deo] dulciter arridere. Secretas miserias debes ab eis tollere, et fideliter [amanterque] inquirere de eorum occulta infirmitate, eisque paterne assistere; sic Deus dulcedinem suam effundet in te.

Coquinam intrabis et cavebis ne parcitas tua [in conventu Fratribus necessaria recuset], et coqui desidia laudem divinam [in choro] furentur; clericus enim famelicus jucunde non cantat, et homo esuriens studiis intendere non prævalet, et sic propter hæc vilia Deo subtrahitur laus et gloria.

In Capitulo, justitiam dilige, in Deo suavi animo et secundum culpæ meritum pœnas inflige. Cave diligenter ne contra voluntatem [Fratrum aut voluntatem] Conventus tuam auctoritatem exerceas vel extendas, [quia inde magna divisio exoritur]. Elatas cogitationes omnino evita, quæ religiosa corda frequenter tentant, dicentes: Tu prælatus istorum est, quod volueris facere tibi licet. Non *sic loqueris in corde tuo;* hinc enim [sancta Dei] pax scinditur, et turbatur. Cum mansuetudine morum et verborum investiga placitum eorum, et secundum hoc dirige vias tuas.

## VIII. DE ORATIONE.

Cum tibi a subditis reverentia exhibetur, custodi cor tuum interius et time, et cum disciplina exterius erubesce. Omnem querelam misericorditer suscipe et salubre consilium fideliter impertire. Ædificationes superfluas non admittas; magis autem persuade ut per Scripturas sanctas virtutesque sacras in cordibus templum sanctæ Trinitati et habitatio construatur.

[Primus lapis splendidi hujus palatii, in quo æternus Deus amantissimæ suæ sponsæ sine fine secundum suam potentem voluptatem et secundum ejus inhiens desiderium blanditias exhibebit, est profundissima humilitas, quæ cum dulci in hac terra pereuntium sufficientia tam optime inclinatur, quod nec appetens superbia, nec pungens inanis gloria potestatem ejus unquam sic augebit, ut nos in illo ædificemus tamquam terreni domini vel dominæ: quin potius ædificabimus tamquam cœlestes principes in terra. Unde nos in novissimo die apud pauperem Jesum, dominis Apostolis similes, sedebimus. Fratres dilectissimi, volumus ædificare nostram cœlestem domum cum divina lætitia; nostram vero terrenam scholam cum sollicitudine, quia vitæ nostræ spatium nec usque ad crastinum diem certum habemus.]

Oculos aquilæ in mente tua constitue, quibus tibi subjectos pie et sine malitia intuere, si quem occulte tentatum inveneris, eia, illi cum omni studio et benignitate assiste, sic poteris familiaritatis Dei gratiam obtinere.

His qui portant officia dicam quod in veritate orando intellexi. Homo in fide catholica humiliter orans, et in Deum exulis animæ oculos amotis omnibus defigens, divinus [cum Patre cœlesti] efficitur, et se miserum recognoscit, ac solius Dei gloriam desiderat et requirit. Cum autem piis et justis insistit laboribus, ea charitate qua contemplationi vacaverit, efficitur membrum Christi; quod vero inutiliter et curiose geritur, mortuum in conspectu Domini reputatur. Qui autem [præ Dei amore, non vero humana opinione] indoc-

tos docet, et peccatores convertit ; qui tribulatos consolatur, et desperatos ad spem revocat, hic Sancti Spiritus organum computatur. Beatus homo qui cuncta Deo placita sibique possibilia ad laudem Dei simplici intentione in charitate perficit : sanctæ Trinitatis gloria perfruitur. Pulvis autem peccatorum *levium*, qui frequenter etiam præter voluntatem affectibus illabitur, igne amoris citius consumitur, cum acies mentis Deum attigerit, cui nullus resistere poterit. Quæ cum sursum scandere cœperit, omnis peccati pulvis decidit, fitque una cum Deo, ut quod ipse vult velit ; et hæc est vera unio : conformitas voluntatum.

[Eia, homo,] stude semper unam tibi horam assumere, qua valeas sine impedimento orare et Deo libere vacare, quia dona, quibus Deus salutare et docere electos suos consuevit, tantæ nobilitatis tantæque subtilitatis sunt, et tam dulciter ac familiariter fluunt, *quod ei cuncta corporata cedunt*, cum amanti animæ Deus dignatur copulari. Ipse namque sic amore ejus vinctus est, ut omnia *carnis suæ* commoda per triginta annos et amplius postponeret, ut ejus osculis et amplexibus frueretur. Si hoc cor tuum tangeret, nequaquam tam inurbanum existeret, quin per triginta annorum spatia unam ei [horæ] morulam indulgeres.

Cum ego miserrima ad orationem accedo, secundum ignobilitatis meæ indigentiam me exorno, induo me pulvere qui sum; calceo me tempore quod [quotidie] perdidi ; cingo me pœna quam merui ; deinde assumo mantellum pravitatis qua plena sum; impono capiti meo coronam verecundiæ quam contra Dominum habui. Post hæc assumo [in manu mea veræ] cogitationis speculum ; in quo sim statum perspicio; in quo, proh dolor ! nihil invenio nisi lamentationes et væ. Hæc indumenta libentius defero quam quælibet terrena ad libitum possidenda; verumtamen sic mihi sunt molesta cum miserabili impatientia, quod optarem potius inferno vestiri et sine culpa diabolo coronari : O væ nobis ! quam sæpe raptores instabilitatis his indumentis nos spoliant, cum propriam complacentiam persuadent, et cum in peccatis positi excusationes prætendimus, per inanem glo-

riam perducamur, et per elationem degradati vel dejecti nudis efficimur nudiores. O [væ !] quantum coram Deo et omnibus amicis ejus et omni debemus erubescere creatura ; qui si omnem verecundiam cum magno honore cupimus evincere, oportet rursus illis indui vestimentis. Sic ornata quæro Dominum Jesum Christum, nec aliquo modo ipsum velocius invenire queo, licet gravia sint et *corpori* minus apta. Oportet hæc valenter cum forti desiderio et pudore culpabili cum amore ferventi et timore humili omnia aggredi; tunc labes peccati coram oculis Domini evanescit; incipitque in anima relucere et ipsa refluere præ amore. Ibi omnis culpa et miseria animæ dissipatur, docetque [ille] eam suam voluntatem, et [ipsa] prægustat ejus dulcedinis suavitatem. In salutatione divinitatis virtus sanctæ Trinitatis corpus et animam penetrat, qua veram sapientiam suscipit et reportat; et sic contacta et amplexata infirmatur; incipitque sugere ut ille langueat et deficiat præ amore; sed ille modum imponit et temperat quem ille scit, et ista ignorat. Quærit ergo fidelitatis vicem rependere, ipseque ejus cognitionem augere. Deinde læta in carne amore affligitur; sed ille in ejus anima firmat et stabilit sua dona [cum sancto affectu]. Tunc si carnalem concupiscentiam et omnem terrenam voluptatem abdicaverit, perfecti amoris gratiam et Dei gloriam in omnibus promovebit.

Duo sunt tibi potissimum cavenda, de quibus boni nil provenit: scilicet, ut bene quis operetur ut dignitatem aliquam assequatur. Qui cum quod concupierat apprehenderit, sic in virtute deficit, ut ab eo contristentur hi qui eum desiderabiliter elegerunt; unde plerumque talis deponitur ab honore incipitque simulata virtus fallaciter apparere. Secundum est si homo rite promotus, a virtute mutatus in ea tentatione nititur permanere; [quod est signum multorum defectuum.] Qui licet forsitan condigne stet, humiliari tamen debet et cavere ne cadat.

Hunc libellum legat post mortem meam qui desiderat mecum loqui, sed non potest.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## IX. DE VIA MIRABILI ELECTORUM.

ELECTOS suos Dominus in via mirabili deducens *edocet eos et dirigit ne offendant*. Hæc est via mirabilis et sancta, ut crucietur homo sine crimine, et sine piaculo puniatur; ipsa est in qua Dei Filius innocens pertransivit. In hac exultat Deum sitiens anima, gaudens in Deo qui, propter sua beneficia, multa pertulit supplicia. Pater cœlestis Unigenitum suum a gentibus percuti et a Judæis crucifigi constituit; nunc vero, quidam pietatis speciem habentes, et religiositate gloriantes, filios Dei affligunt in corpore et cruciant in mente, ut *complantati similitudini mortis ejus*, conformes sint Filio ejus, qui mentis et corporis sustinuit cruciatus. I. 25.

Hæc est mirabilis et excellentior via, in qua fidelis currit anima ducens post se sensus corporeos, quemadmodum videns ducit cæcum. In hac via liberatur anima vivens sine [cordis] molestia, nil cupiens præter id quod ille vult, cujus voluntas, bonitas et opus est benignitas. I. 26.

### DE TRIBUS QUÆ HOMINEM HABILITANT AD BENE AMBULANDUM.

TRIA sunt quæ hominem habilitant ut cognoscere et in hac via digne valeat ambulare. Primo, si homo *simpliciter et ex toto*, absque omni humano magistêrio, se in Dei luce et veritate contineat, gratiamque ejus in sanctitate custodiat, et voluntaria patientia portet, abstrahens sensum ab omnibus creaturis [secundum humanam voluntatem]. Secundum in via retinet, quod homo cuncta quæ veniunt gratanter excipiat præter solum peccatum; *quia nihil fit sine causa et providentia Dei super terram*. Tertio, hominem perficit in hac via, ut omnia a laude Dei incipiantur et terminentur. Ego minima quæ in me reperio bona coram Deo sic existimo, ac si altissimæ contemplationi insisterem, qua homo in hac vita poterit sublimari. Nam si æquali charitate ad gloriam I. 27.

Dei id facio, æquali merito et præmio exultabo ; cum vero peccando delinquo, in hac via non consisto.

### X. QUALITER SE HOMO HABERE DEBEAT IN AGENDIS.

VI. 12. CUM oras, humiliare ; cum confiteris, veritatem loquere ; cum satisfacis, diligens esto ; cum manducas, sobrius sis et frugalis ; cum dormis, disciplinatus sis ; cum solus fueris, esto fidelis ; cum cum aliis fueris, prudentiam serva ; cum de bonis moribus instrueris, consentiens esto et obedi ; cum de pravitate reprehenderis, patientiam exhibe, et desiste ; cum feceris quod justum et bonum est, inutilem te reputa ; cum a recto deviaveris, veniam pete ; cum levis et dissolutus fueris, time ; cum turbaris, spem in Deo pone ; cum laboras manibus, festina, ut cogitationes inutiles valeas evitare.

### DE IMPEDIMENTIS RELIGIONIS.

V. 33. PERFECTIONEM Religiosorum valde diminuit incuria et æstimatio modica venialium peccatorum. Fateor quod cum vel levi risu aliis innocuo vel rancore cordis modico licet occulto, aut proprii incommodi impatientia levi inficior, obtunditur mox mens mea et obscuratur, et cor refrigescit, donec [in lacrymas et gemitus erumpam, et] exul et misera, amicabili prece et desiderio valido cum humilitate meum vitium recognoscam ; tunc recuperata gratia valeo, [tamquam canis e coquina fuste pulsus redire, et] *in pulvere Dei clementia respirare*. Cumque vitium incognitum et incorrectum affuerit, infernalem maculam in anima mea pingit ; [sic quid consilii capiam, non habeo ;] *ejusque auctor* in me imaginem dæmon, [qui ignem purgatorium curat, in quo peccata consumenda sunt,] respicit ; mihique horrorem ingerit, cum sola fuero, quia hujus expers miseriæ sum facta, [cum dona, quæ vocantur conscius amor, reciperem.] Moxigitur ad pedes ejus procido, *et ante eum medullitus ploro* dicens :

Miserere mei Deus, [vel Pater noster], sicque mundata ad paradisum quietis redeo, unde ejecta fueram maculata cœno.

## XI. DE CARNALI SAPIENTIA RELIGIOSORUM.

Ate, Domine Jesu, quærere compellor, in quo quorumdam cæcitatem detestabilem recognosco, cur spiritales homines internæ devotionis gratiam reformident, cum superna dignatio humanæ animæ illucens frigidum aliquantulum accenderit ut ardeat, cœpitque liquefieri, ad lacrymas effluere; tunc cœlestem in terrestrem commutare vult, ut in eo veraciter ipse imitari, diligi valeat et agnosci. Humanus ad hæc sensus dicit: [Non!] ego in exterioribus utilis esse possum. Maximeque monastici, quanto prudentiores sunt, talia dicere consueverunt. Ad hæc respondit Dominus: Divinitas mea ad terram venit, ubi mea humanitas laborat. Divinitas crucem ascendit, humanitas mortem pertulit. Divinitas infernum confregit, et a morte cum corpore resurgens in cœlum conscendit. Omnes qui me repellunt a se, repellentur et ipsi a me. Sine me nihil homo potest facere, [nisi peccatum]; nam et humanitas mea nihil unquam perfecit nisi quod mea divinitas præordinavit. — Ecce, Domine, ipsi dicunt sapientiam esse parcere corpori, eo quod Spiritus tuus bonus et suavis a te procedens, animamque sua dulcedine penetrans, corpori vires auferat, et infœcundum ad opera bona reddat. VI. 13.

### DE USU GRATIÆ.

Hæc dicit Dominus: Cibus regius removeri perfunctorie non debet, quousque [terrena] necessitas hinc sit sumpta. Donum meum speciale dignitatem corporis et animæ confert homini singularem; dat insipienti doctrinam, solatium sapienti, laudem et gloriam indeficienti profluvio tribuit, de quo prodiit, cum fructuose revertitur ad me a quo fluxit. Gratia quæ a Deo potenter repente infunditur, tantæ in se virtutis ac nobilitatis est, a tam ineffabili Dei procedens amicitia, quod non mediocriter

delinquit qui hanc pro temporali quocumque *ingratus* abjicit ac relinquit. O [væ !] ignobilis anima, qua mente eum a te repellis antequam eo secundum desiderium fruaris, cujus summa voluntas in te est [abscondita]. Vis nosse quemadmodum Dei donis fruaris et utaris secundum ipsius voluntatem ; ipsa te docebit peroptime, si tibi gratus fuerit adventus ejus ; exteriore virtute et interiori devotione suscipienda est, humili timore servanda est in omni necessitate discreta. Da ei tempus et locum in te, quia aliquid non quærit *a te*, ipsa te sic in Deum convertet profunde ut ejus cognoscas in omnibus voluntatem, quamdiu, *quo tempore* ejus dulcibus inhæreas amplexibus, quo tempore et quemadmodum hujus mundi peccatoribus et in purgatorio constitutis subvenias, et inspecta cujuslibet vivi vel defuncti necessitate succurras. Cumque [hoc perfeceris] interius secundum Dei voluntatem animæque tuæ possibilitatem (lassatur enim mortali juncta corpori) dicit de suo : Fuge nunc interius, [mihique exterius assiste, ut omnibus factis meis fulgeant tua dona [et ego libenter molesta sufferam].

## QUALITER HOMO CHRISTO ET SANCTIS EJUS SE CONFORMAT.

VI. 32. Amor et misericordia et stabilitas quæ proximis impendimus, cœlesti Patri similes nos reddunt qui hæc sine intermissione circa nos operatur. Paupertas, contemptus, pœna, abjectio nos similant Dei Filio vero *Domino Jesu Christo*. Quantum effluimus cordis liberalitate ad dandum nostra pauperibus et corpus serviendum debilibus, tantum Sancto Spiritui assimilamur, qui est larga effluxio Patris et Filii. Quantum veraces, modesti et discreti in sancta simplicitate fuerimus, tantum cum *simplici* Trinitate similitudinis habemus, qui unus verus Deus est in sapientia perficiens omnia opera sua. Quantum casti in omni puritate, humiles cum omni subjectione, serviles cum omni sanctitate, innocentes ab omni pravitate fuerimus, tantum Dei Genitrici semper Virgini Mariæ conformamur, quæ his virtutibus super omnes emicuit, quæ Virgo Mater facta, Virgo permansit, impera-

trix et miseratrix totius creaturæ. Si benigni, amabiles, pacifici studuerimus esse, sanctis Angelis similes sumus, [qui nunquam malitiose agunt]. Si sanctam conversationem cum exilio et tribulatione sine solatio sufferimus, sancto Joanni Baptistæ, qui inter natos mulierum major est, nos conformamus. Desiderium laudis divinæ, cognitio in donis, et fruitio Dei voluntatis ordinata Patriarchis et Prophetis nos similes reddit, [qui se magnis virtutibus conjunxerunt Deo]. Studium divinæ sapientiæ et conversio peccatorum et in tribulationibus perseverantia sanctis Apostolis nos assimilat, qui se reliquerunt usque ad mortem. Si patientiam in omnibus eventibus et fidem catholicam inconcussam usque ad mortem servaverimus, formam Martyrum induimus, qui viam regni cœlestis suo sanguine resperserunt. Quando necessitates vivorum et mortuorum fidelium in sancta Ecclesia cum pietatis studio pertractamus, sanctis Confessoribus, qui cum multis laboribus, vigiliis et sanctis exercitiis similia fecerunt, utiliter conformamur. Pugna invicta contra carnis concupiscentiam, et virginalis munditia conservata, electis Virginibus conformitate sociat, quæ nunquam palmam victoriæ amiserunt. Vera pœnitentia et satisfactio magna sanctis Viduis nos assimilat, quæ post culpas tantam gloriam meruerunt. Quantum omni virtutum studio et operibus attenti fuerimus *in hoc sæculo*, tantum Domino Deo nostro et omnibus Sanctis ejus conformabimur *in futuro*, qui eum [cum omni alacritate] secuti sunt *in hoc mortali stadio, vitiis repugnantes et virtutibus adhærentes.*

## XIII. DE UTILITATE TRIBULATIONIS.

GRATIAS ago Deo quia benignitas est, et quamdiu vixero meipsam judicans defleo mala mea; *Deus ultionum*, Deus non supervacue ulciscitur *in peccatis*. Quamdiu vanitati et peccato creatura subjecta est, *etiam non volens*, non tam virtutibus indiget quam pœna. Quam dum sibimet inflixerit homo consulte et discrete, utilis est assumpta propter Deum; ea vero quam Deus per inimicos suos infert vel V. 2.

amicos, tanto nobilior et utilior consistit, quanto ipse melior et suavior est omnibus per quos tormenta et supplicia inferuntur. Christus Dominus noster non per pœnam quam sibi intulit nos redemit; verum quemadmodum sibi in pœnis famularemur et laboribus, nos instruxit. Passio autem quam ab inimicis et perfidis pertulit sine culpa, mors miserabilis et despecta, in qua nullus cum eo amicus perstitit præter singularem virginalem Matrem, intemeratam Mariam, nostræ redemptionis causa præcipua exstiterunt; quia vero Mater Virgo Filio veraciter unita fuit interius, cum ei inseparabiliter adhæsit exterius.

Dum ego misera anxiarer et pœnarum mearum tædium me teneret, consolatus est me Dominus dicens: Adversitatum doloribus, pœnarum cruciatibus carere semper, saluti fragilitatis humanæ non convenit; purificat enim assidue a peccatis multiplicibus hominem et tuetur.

Et ecce vidi in spiritu terribilem peccatorum exercitum nos persequentem, tamquam omnes montes, et lapides, [gramina], arbores et eorum folia, stillæ pluviarum et arenæ maris in vivas personas versa, nos quærentes opprimere, ne valeamus in Dei misericordia respirare. Igitur contra peccata, quæ quandoque verbis nequimus exprimere, datur nobis *ab occulto Dei judicio* pœnarum asperitas, quas occulte in nostris membris miseris sustinemus; præterea amaritudo adversitatum a futuris lapsibus defendit, quos frequenter munda electorum corda quæ Spiritus Dei repleverit pertimescunt. [Tertio,] hujus etiam incommoditatis nobilitas ad susceptionem Dei gratiæ dignos reddit. Cum enim omne temporale commodum et transitoriam necessitatem terrenumque solatium anxia cum timore et exuli corde suscipio, tum *procul dubio* divina illa ac delicata adest consolatio.

## XIV. QUOMODO DEUS CONSOLATUR IN TRIBULATIONE.

FACTA sum aliquando opprobrium *abundantium et despectio superborum*, et dixit mihi [ Dominus noster ] : Noli mirari : si vas electionis et gloriæ, *omnique pretioso lapide ornatum*, factum est tamquam vas perditum, *audiens vituperationem multorum secum commorantium*, quid fiet de vase contumeliæ immundo, *quod caret operculo*, repleto felle amaritudinis? Igitur cum honoraris, erubesce; cum affligeris, gaude; in beneficiis time; cum malefactis tuis me offendis, desolare ex corde. Quod si turbari nequiveris, memento quam acerbos, quamque diuturnos pro te labores sustinui et dolores. Et dixi : Domine, largitas tua est pastus corporis mei mirabilis, et præbenda; misericordia tua est animæ meæ consolatio singularis; amor tuus est animæ meæ requietio æternalis. I. 31. I. 32. I. 33.

Tu es mihi agnus *mansuetudinis*, turtur *simplicitatis* in divina afflictione. Tu mihi sponsus in expectatione. Et dixit Dominus : Ama abjectionem, fuge admirationem. Sola sta; conjungere nulli; esto non multum negotiosa, et ab omni re libera et otiosa; absolve captivos a vinculis, alliga male liberos in compedibus; infirmos refice; tuque nihil posside; aquam tribulationis bibe; ignemque amoris lignis virtutum fove. Tunc habitabis veraciter in solitudine vera. I. 34. I. 35.

### DE RARITATE VERÆ VIRGINIS.

SI virginitatem, quam Unigenitus sic honorare dignatus est ut pro tua dilectione filius virginis fieret, exornare volueris, [ eia! cogita quid hoc dicat], humiliter tace; amanter adversa sustine; persevera in omni bono omnibus diebus vitæ tuæ, virginalem pudicitiam custodi et retine; sic poteris ex virginitate cœlesti sponso complacere. O virgo, quantum tibi Dominus gloriæ magnificentiam pro his disposuit exhibere. Ipse tibi speciosus erit sponsus, tecumque cœlestia tripudia fie- IV. 1.

quentabit. O ego misera, clauda canicula, prout potero claudicans ambulabo. Intende quæ dico: Castarum, proh pudor! virginum non est multitudo.

## XV. DE REVERENTIA COMMUNIONIS CORPORIS CHRISTI.

III. 15. O INSIPIENTES *Virgines*, beguinæ *videlicet*, quomodo sic estis temerariæ, quod *expavescendo*, coram Omnipotente non tremitis Judice, cum ad sacrarium corporis ejus [tam frequenter] cæca acceditis consuetudine; ego quidem inter vos sum minima, erubesco, paveo, et contremisco. In quadam festivitate sic pavida exstiti, quod hoc sacramentum contingere non præsumpsi; quia de meis præcipuis meritis confundor coram oculis suæ majestatis. Rogavi ergo Dominum ut mihi in hoc gloriam suam declararet, et dixit mihi: Vere si me præcesseris cum humili mœrore, sanctoque timore, oportet me te subsequi, sicut fluctus altissimus infra se positam molam influit et impellit. Quod si mihi virenti desiderio fluentis amoris occurreris, obviam tibi ibo, tangamque te divinitate tamquam reginam unicam et dilectam. Ut glorificetur Dei bonitas, necesse est ut secreta mea proferam; *quæ aliter Dei laudes non valeo enarrare*, quod profecto me non plus impedit quam si ignita fornax panibus similaginis repleatur. Igitur ad mensam Domini [accessi,] turma vallata nobili, quæ me tuebatur fideliter, et tamen observans me affligebat fortiter: veritas accusabat me, timor increpabat me, verecundia flagellabat me, contritio contemnebat me; desiderium interfecit me; charitas deduxit me, fides defendit me. intentio pura præparabat me; omnia bona opera mea clamabant adversum me; omnipotens Deus suscepit me, ejus immaculata humanitas univit sibi me, Spiritus ejus consolatus est me. Et dixi: Nunc *Deus* meus es tu, Domine, quia bis datus es mihi hodie, et etiam in Scriptura quæ dicit: Puer natus est nobis. Desidero, Deus, honorem tuum, non commodum meum, petoque ut hodie sacramentum corporis et sanguinis tui consolatio sit animarum quæ in Purgatorio cruciantur; tu vere meus es; esto igitur [hodie] redemptio

captivorum *qui tuam in pœnis gloriam præstolantur. Exaudivit Dominus me sicut in hoc libro continetur*[1].

## XVI. DE FORTITUDINE DEI ET INFIRMITATE HOMINIS.

EIA, Domine, Deus omnipotens, quamdiu subsistam in hac terra tamquam signum posita, ad quod currunt homines, jaculant et sagittant, insidiantes cum multa astutia et malitia famæ meæ et animæ saluti. Audite hoc responsum: Dicit Dominus: Nullus tam felix in cursu, nullus tam fortis in jaculo, nullus tam astutus in sagitta, nullus tam malitiosus in ira, qui cœlum irrumpere vel destruere vel dispendio attingere valeat, in quo mea est habitatio sempiterna. Verum ubi hodie ad hospitium invitor, et cras amoveor, similes sunt inferno, cujus ego fundamentum fuero, illius pinnaculum et sublimitas permanebo. VI. 38.

Eia, Domine, quis mihi dabit ut sic omnes vias meas perambulem, quod si mota fuero sine casu permaneam? Timor Domini tenebit me, et voluntas [Dei] deducet me.

Nullus scit quam firmus *in timore Dei* stet, nisi prius carnalibus tentationibus attentetur, nec scit homo virtutem suam nisi prius mundi malitia atteratur; nec bonitatem suam quis novit, donec vita præsens felici termino finiatur. VI. 40.

Pro eo quod omnibus me subjeci, et postposui creaturis, tu, Domine, me super omnia exaltasti, et quia omni terreno subsidio et peculio careo, terrenum [cor] non habeo, et tu es solus bonum meum, et ego variabilis et instabilis in omnibus factis meis. IV. 7.

Dicit Dominus: Hoc est inscrutabile, quod Deus peccatorem respicit tamquam jam ad se conversum. Hæc est vera voluntas Domino serviendi, quod homo valde festinet venire ad me, nec retardetur respiciens retro vel post se. Ego omne onus porto quod pro dilectione mea suscipit et tollit homo super se. VI. 17.

Respice omni tempore cor tuum in Sancti Spiritus veritate, et detestaberis omne mendacium in simplici puritate; VI. 18.

1. Lib. VI. c. 3.

nam falsitas charitatem excludit, et firmat in animo hypocrisim, odium et crudelitatem.

Qui in pœna positus impedimenta conqueritur, in cognitione est cæcus, in patientia non firmus, in amore frigidus, in virtute tepidus, stultus in sensibus, in bonis sermonibus mutus. Ideoque dixit Dominus: Hic homo nec infirmari vult nec despici; et super quo fundabo et ædificabo gloriam ejus? — Domine, cum infirmatur, vel despicitur, quo tunc ædificatur gloria tua? — Cum infirmatur, debet venerari, servire, amare me solum cum jucunda patientia: cum despicitur, debet amare me et longanimis esse. Sicut enim clerici ac religiosi quandoque *per obedientiam* restricti a divinis cum merito vacant, sic infirmitas et despectio se humiliter sustinentibus gloriam accumulant, gratiamque conservant.

## XVII. DE UTILITATE BONÆ VOLUNTATIS.

VI. 19. Multas in corde meo sustinui miserias, pro eo quod bonam voluntatem nunquam producere potui ad effectum. Impedit etenim me paupertas, impatientia, defectusque consilii, et quod supra naturam agere non præsumo. Postquam enim proprio arbitrio cecidi, divino judicio a deliciosa altitudine qua mirabar ea in quæ potens charitatis flamma me abstraxerat, quorum nec finem *nec principium* poteram reperire, hæc miseria me invenit. Nunc autem in tali profundo fluctuo cujus fundum non invenio; nam omne quod sustineo pœnale non æstimo, locum novissimum desiderans, ut tamquam canis rabidus nullius hominis amica, in exilio incognita, amicitiam inter pauperes *retinerem*. Nolo autem extra obedientiam fieri, quia sancta, humilis obedientia virtutum est sigillum. Voluntas bona, qua homo præditus est, nec tamen opere sufficit, similis est pulchritudini florum nobilium suave redolentium sine fructu. Sic me consolatus est Dominus, quod omnis pia voluntas perfectæ conversationis et vitæ flores sunt jucunditatis æternæ, quibus rex omnipotens in die lætitiæ festi-

vitatis suæ electis suis serta præparat, quibus coronentur, qui hic bonarum conceptibus voluntatum imprægnati, ad partum sanctæ non perveniunt actionis. Eia nunc, pie Deus, porrige mihi dexteram tuam, et deduc me in patriam charitatis ; quia, proh dolor ! tempora multa inutiliter perdidi, quæ per te recuperare proposui, Deus meus. Et quoniam corporis commoda et sensuum exteriorum solatia cum timore humili suscipienda sunt ab iis qui in veritate persistere quærunt, *tuum est auxilium implorandum.*

## XVIII. DE VERITATE ET FALSITATE VIRTUTUM ET VITIORUM [1].

TEMPORALES divitiæ peregrinus et infidelis hospes sunt ; IV. 4.
sancta paupertas magnarum divitiarum coram Deo pondus portat.

Mobilitas damnum proprium non recordatur ; [constantia est omnibus virtutibus plene onusta].

Stultitia sibi ipsi complacet ; sapientia doctrinam amplectitur et in se fovet.

Iracundia menti tenebras ingerit : mansuetudo sanctam gratiam Dei faciliter invenit.

Superbia reputari optima et suprema appetit ; humilitas despecta, nisi hominibus se subjiciat, non quiescit.

Inanis gloria coram Deo surda est et cæca : innocentia honorat in sanctis Dei opera.

Hypocrisis et falsitas pulchris abundat gestibus ; sancta perfectio patet superborum contemptibus.

Avaritia semper immitis est duritia ; sed felix modestia suavi fundatur in gratia.

Acedia multos thesauros negligit : diligentia non valide quærit sua commoda.

Infidelitas [semper falso ambulat consilio ; plena fidelitas] non prætermittit opus bonum :

1. In originali : De duabus viis dissimilibus, quarum una descendit ad infernum, alia sursum scandit in cœlum. *Cod. B. in margine.*

Vera Religio vindictam non expetit : inquietum cor semper pacem erumpere quærit ;

Sancta devotio malum non operatur : perversa voluntas nulli subjicitur.

Naturaliter malitia fundamento falsitatis nititur : gratiosa vero benignitas aspectu amabili et dulci eloquio fulcitur.

Corda sæcularium affectant reverentiam ; spiritales animæ despectam obedientiam.

Occulta crudelitas planum habet eloquium : manifesta vero pietas Deo est sacrificium.

Perversa observatio vicina est odio : suavi misericordiæ jungitur dilectio.

Mendacium clarum est in superficie ; sed nimis intus deforme, suscipiturque jucundius a suis complicibus : veritas despicitur propter incuriam quam patitur ; ideoque qui eam amplectuntur necesse est ut cum Domino Jesu multos contemptus sustineant.

Sine intermissione fremit invidia : sine dolore ardet amor Dei, liber a tristitia.

Perversitas invidiæ odit Dei largitatem : mundum cor plenum charitate congaudet super veritatem.

Detractio coram hominibus et non coram Deo erubescit ; qui tamen omnia novit et inspicit.

Gravis et crudelis casus est desperatio : vera spes est bonorum omnium impetratio.

Falsa spes nunquam vere lætatur ; nam per veram culpam sæpe conturbatur.

Postquam hæc ostendit mihi Dominus, dixit ad me : Qui semper quam bonus sum cogitat, assidue mihi adhærens cor suum ad me elevat. Quod tu præstare digneris, Domine, [propter tuam ipsius gloriam], *qui vivis et regnas sine fine. Amen.*

## XIX. DE DUPLICI PAUPERTATE ET FALSITATE.

III. 19. Duo consideravi genera pauperum *in hac vita.* Primi propter charitatem Dei pauperiem amplectuntur, inveniuntque semper quod de hujusmodi rebus nimis accipiant

et usurpent ; alii sunt qui præter voluntatem divitiis carent, pœnaliter et coacti mendicant, ambiuntque multa cupiditate terrena, insudantque multis laboribus vehementer ut ea habeant et acquirant. Respondit Dominus ad hæc dicens : Hi qui inviti onus portant paupertatis, meam justitiam experiuntur, quia si terrenis abundarent, non me plus diligerent vel agnoscerent ; unde oportet ut eos per pœnæ duritiem ad me traham. Charitatis autem pauperibus amplius tribuo quam audeant ipsi tribuere ; non tamen sustineo in ipsis pulverem quo terrenis dediti gravarentur. Desidero ut corda eorum semper pateant mihi et aspirent ad me, ac sine impedimento jugiter in eis resplendeat luminis mei fulgor.

## XX. DE HYPOCRISI FALLENTE.

INSTRUCTOR meus Spiritus Sanctus est, docens me suaviter prout vult, occulta tenens quæ latere vult. Ait ergo : Sapientia sine Spiritus Sancti firmamento convertitur in montem superbiæ in extremo ; pax sine ejusdem Spiritus vinculo, in vanam lætitiam redigitur continuo ; humilitas sine charitatis incendio manifesta falsitas fit in novissimo ; justitia sine fundo [humilitatis] crudelis efficitur ex odio ; paupertas cum frequenti avaritia est in se criminosa superabundantia ; timor crudelis in vera culpa inducit horribilem tristitiam in patientia ; suavitas incessus cum animo lupino deprehenditur faciliter a prudente viro ; sanctum desiderium in veritate raro pervenit sine labore ; [vita bona absque contentione facile ad inutilia flectitur] ; virtus elata absque Dei munere perit flagello superbiæ ; speciosa promissa sine fideli redditione falsitas est ex diaboli persuasione ; fiducia carens vera securitate efficitur mors animæ in vitæ extremitate ; patientia quæ Deo ex corde non subditur, in peccatum reputabitur. Omnis enim qui in factis suis ad Deum ac mente non erigitur, tandem ab ipso cadens verecunde dejicitur. Amor cui non est mater vera humilitas et pater sancti timoris veritas, plusquam alia virtutum falsitas abjicitur, tamquam detestabilis vanitas. III. 14.

### QUOMODO VITIA SOLENT DISSIPARE VIRTUTES.

III. 7. MAGNUM detrimentum nobis generat quod sine utilitate *bonorum operum* pertransimus; prava consuetudo confundit et maculat, *et proximos ubique scandalizat*. Terrenorum cupiditas sanctæ doctrinæ est abolitio vel deletio, et iniqua cordis distractio. Duræ mentis pertinacia *pietatis divinæ est societatis humanæ exterminatio* et mors animæ. Hostilem mentem fugit Spiritus Sanctus, et rancorosum cor familiaritatem Dei minuit et extinguit. Hypocrisis et falsa sanctitas non subsistet, veraque Dei charitas nunquam excidet. Si horum hostium malitiis cesserimus, non solum regno cœlorum nos spoliant, [est enim quoddam cœli atrium nos hic sancte vivere ;] verum etiam donis Spiritus Sancti bonisque moribus et charitate Dei evacuant atque privant, oculos cogitationis eruunt, et cæcatos in septiformem peccatorum laqueum introducunt. Et quo tunc pergit homo nisi ad inferni loca, ut mergatur in abysso ?

### XXI. DE MALITIA ET PECCATO.

V. 10. OMNIPOTENTIS Dei magnitudini nulla adeo est comparabilis magnitudo quam peccatricis meæ iniqua et audax malitiæ amplitudo.

V. 16. Quidam indurati homines et perversi asserunt quod peccare *non* sit *diabolicum, sed* humanum. Ego autem in omnibus corporis mei tentationibus et perversi cordis motibus, sensuumque meorum apprehensionibus necnon et nobilibus intellectibus aliud conjicere non valeo, nisi quod peccare diabolici spiritus est, *non humani ;* omne enim grande vel leve peccatum similem facit diabolo et consortem ; assumpta namque per liberum arbitrium diabolica conformitas plus deformat et officit quam innata et illata humanitati pœnalitas, id est fames et sitis, et similia quæ Christus ipse homo factus pro nobis pertulit et nobiscum. Quod si peccatum homini naturale esse debuit, etiam ipse, cum verus esset homo,

peccato vero non debuit carere. Erat autem justus per sapientiam, constans per virtutem, perfectus per Spiritus Sancti plenitudinem et super hæc omnia Deus in veritate æterna, in quo peccatum incidere nullum potest. Cui, si conformes fieri appetimus, oportet ut eidem vita et moribus conformemur, [aut per pœnitentiam salvemur].

QUALITER HOMO NEGLIGENTER DE VITIO IN VITIUM LABITUR.

HÆC mala a Deo hominem sic elongant ut nunquam ad ipsum regredi prævaleat nisi potenti virtute gratiæ retrahatur. Exordium hujus elongationis vanitas est exagitans et impellens ; cui nisi renuntiaverimus, carnis libidinem incurremus, sicque gradatim de luxuria ad avaritiam et de hac ad desidiam, hinc ad mendacia, et tandem ad perjurium dilabimur. Sed nec hic stare permittimur: adest enim ira quæ ad detractionem et delationem, ad invidentiam et libidinem incitat vindicandi. Sequitur descensus ad desperationem, præsumptionem, inverecundiam, diabolicam sapientiam, et infidelitatem. *Cumque in hoc profundum peccatorum dilapsus fuerit et absorptus*, tunc dicit : Vana sunt quæ audivimus, nec evenient. Omnia quæ de benigna Dei Providentia prodeunt cum tanta *cordis* malitia suscipiunt, ut vix *piorum* aliquis *pro salute eorum* audeat loqui eis : ea vero quæ loquuntur ex propriis, adeo perversitate et mendaciis permixta sunt quod, proh dolor ! in dictis eorum nullum veritatis vel boni indicium valeat reperiri, licet aliquando se probos simulent ; reprobi tamen sunt, proh dolor ! et mendaces. V. 19.

Lætare, o felix perfecta anima, quæ sola divina similitudine illustraris. Nec immerito ; tu enim dono Dei cum patientia inebriaris multa amaritudine sine culpa. Tu ab adversariis frequentius conturbaris, sicque pruina inferni decoquit florem cœli. Floret certe indesinenti pulchritudine, cujus radix perseverantiæ viret jugiter de Spiritus Sancti rore.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER SEXTUS

## I. DE CIVITATE INFERNALI ET FUNDAMENTO ET CONSTRUCTORIBUS.

VIDI civitatem *horribilem et infelicem* cujus nomen est Odium æternum; quæ in abysso profundissima constructa est ex lapidibus variis criminalium peccatorum. Lapis ejus primarius superbia est, quam fundator ejus primus ibi Lucifer collocavit. Inobedientiam, avaritiam, gulam, luxuriam, [quæ fuerunt gravissimi lapides], superposuit primus homo Adam. Iram, fallaciam, homicidium adjecit Cain. Mendacium, *detractionem*, desperationem, traditionem, propriæque manus crudelem injectionem superædificans, Judas proditor structuram exaltavit. Crimen *detestandum* Sodomæ *humani generis destructivum* fraudulentaque hypocrisis imaginem præferens sanctitatis, hujus horrendi ædificii sunt lapides angulares. Ab initio temporum fundata est hæc *maledicta* civitas. Væ omnibus construentibus eam! Nam quanto magis ad ejus ædificationem hinc transmiserint, tanto, si secuti fuerint, illic infelicius punientur. III. 21.

### DE LOCIS INFERNI ET INHABITATORIBUS EJUS.

HUJUS civitatis tanta ac talis est perversitas ut superiores sedes obtineant inferiores, et ignobiliores habeant mansiones. Lucifer in profundissimo inferni loco residet

suo scelere alligatus; de cujus cordis spurcitia et horrendissimi oris cavea indesinenter peccata effluunt omnia, pœnæ, dolores, scandala, per quæ infernus, purgatorium [et hæc terra] miserabiliter cruciantur. In inferiori inferni loco est ignis, tenebræ, fœtor et horror, omniumque pœnarum genera, ibique Christianorum animæ juxta sua merita dispositæ puniuntur. In media vero parte omnis est pœna mitior, in qua Judæi secundum sua opera puniuntur. In suprema vero parte pœna tolerabilior est, ubi Gentiles malorum suorum recipiunt talionem. Hi *in suis cruciatibus* sic exclamant: Væ nobis! quia si legem naturæ servassemus, pœnam hanc horrendam non sustineremus [æternam]. Et exclamant Judæi dicentes: Væ! væ! Si Dei voluntati secundum doctrinam Moysi paruissemus, damnationem hanc perpetuam non incurrissemus. Super omnes Christiani vociferantes ululant, quod collatam a Christi charitate sibi gloriam per voluntariam suæ perversitatis amiserunt miseriam. Horridissimum Luciferi vultum sine intermissione cum dolore maximo speculantur, et coram eo nudi in suis turpitudinibus versantur. O quam pudibunde suscepti et horribiliter salutati et amarissime allocuti audiunt dicentem: Vos maledicti mecum, quale hic gaudium nunquam narrari audivistis; et unde vobis complacuit *quod ad me venire voluistis?*

## II. DE CRUCIATIBUS SINGULORUM VITIORUM.

Tunc *crudelibus manibus* superbos principaliter rapiens, sub suaque cauda deprimens dicit: Non adeo in profundo *damnationis* sum mersus, quinimo adhuc vestræ volo elationis stultitiæ superferri. Sodomitæ per collum ejus ingressi in ventris ejus tenebris retinentur; inde cum exspirat, exeunt, et cum respirat denuo revertuntur. Hypocritas in suo sinu collocat et horrendo ore deosculans sic alloquitur: Vos consortes mei estis, nam et ego vanæ speciei colore seductus fui, per quem vos et omnes me sequentes sunt seducti. Usurarium semper rodit, improperans quod miseri-

cors nunquam fuit. Raptorem primus spoliat et agitandum et percutiendum sine misericordia suis consortibus deputat. Fur ibi levatis sursum pendet pedibus, lucerna factus dæmonibus, nec tamen clarius videtur. Qui hic fornicando cohæserunt, illic coram Lucifero sic jacebunt; quorum si alter defuerit, ejus vicem dæmon supplebit. Infideles philosophi coram pedibus residebunt Luciferi, ut quem coluerunt confusi aspiciant; coram quo disputante et de eisdem concludente obmutescant. Avarum *diro morsu* devorat, quia semper habendi cupidus extiterat; quem cum deglutivit, per posteriora turpiter digerit. *Viri sanguinum* occisores hominum, coram ipso perfusi sanguine astabunt, et ignitorum gladiorum ictus a dæmonibus sustinebunt. Qui hic dira moventur invidia, ejus erunt olfactoria ad nares pendentia. Qui crapulæ vacant et ebrietatibus, sitis ac famis [coram Lucifero] arescent cruciatibus; ignitos rodunt lapides, torrentesque bibunt sulphuris [et picis], amara sumentes pro dulcibus. Piger cunctis doloribus onerabitur. Iracundus igneis flagellis, atteretur. Joculator, qui vanitates provocat, amaras fundet lacrymas, *æternas sustinens tristitias*.

Vidi fundum sub Lucifero inferni, saxum nigerrimum et durissimum, super quo civitatis hujus consistit ædificium in æternum; et licet infernus initium non habet vel fundum, ordine tamen divino nec fundo caret nec profundo. Qui quomodo in se fremens sit et frendens, qualiter se cum dæmonibus angeli flagellentur, quis sit modus decoquendi vel assandi, quemadmodum fluctuent vel transnatent in illo fœtore, igne, vermibus et luto, qualiter in sulphure et pice demergantur, nec ipsi nec aliqua creatura poterit enarrare.

## III. NULLA PROSUNT DAMNATIS REMEDIA.

Cum auxiliante Deo has pœnarum diversas miserias respexissem, infirmatum est miserum corpus meum ex fœtore, et inconsueto calore adeo læsum, quod nec ambulare valui vel sedere; et per triduum omnis humani sensus sic impotens permansi tamquam homo tonitruo fulminatus.

Verumtamen nullum anima mea supplicium pertulit, quia mortalis morbi, quod peccatum est, veneno caruit. Et si foret possibile quod immunis a culpa cum eis moraretur anima, grande eis esset solatium et lux perpetua. Talis enim immaculata et felix anima lucet naturaliter et splendet æternaliter, utpote divino lumine insignita. Quæ si diabolicam imaginem peccando assumpserit, luminis sui decorem perdit.

Damnatis itaque a fidelium orationibus et eleemosynis nullum, credo, provenire solatium potest; [hoc utique non didici]; eo quod in perpetua obstinatæ mentis malitia consistentes, omnis boni gerunt odium et horrorem.

## IV. STATUS DAMNATORUM POST JUDICIUM.

Post extremum judicium novo vestietur Lucifer indumento, quod ex omni angelorum et hominum sordibus criminibusque est confectum. Ipse namque, causa et princeps peccatorum omnium et malorum, tunc solutus est adeo ut omnis furor illius et crudelitas cunctis dæmonibus et animabus se commisceat, ut ejus præsentiam nullus effugiat. Tunc interdum immaniter se distendet, et dilatabit os suum et aperiet valde, in quod dæmones, Judæos et Gentiles uno spiritu attrahet interius. Ventre plenam mercedem accipient et festa tristia celebrabunt. Væ tibi tunc, corpus et anima! humana lingua eloqui non sufficit ineffabilem pœnæ miseriam quæ tunc erit. Vere fateor Deo quod meditatio mea huic immorari non patitur, quousque ab homine Salutatio angelica compleatur. O quam crudelis damnatio, et quam horrenda illic erit vexatio!

## V. DE PURGATORIO.

Infernus capite immanissimo horribilis et terribilis est; innumeris et crudelibus oculis undique repletum; de quibus egrediuntur flammæ nigerrimæ miseras animas exurendo:

Limbum de quo Filius Dei Adam aliosque Sanctos eduxit. Nunc Purgatorium majus est ; in quo peccatores salvandi, maximis tamen pœnis obnoxii, cruciantur. Ibi vidi Episcopos, advocatos, et magnates, in diutina angustia et doloribus infinitis. O quam benigne et quam vix ibi existentes Dei clementia de absorptione tartari eripuit sempiterna ! Nullum enim ibi reperi qui vel in extremis compunctus sincera confessione decessit, quibus dum vis mortis exteriores sensus eripuerat, cunctaque corporis membra invalida jacebant, adhuc tamen corpus et anima unam habebant voluntatem, licet usus rationis portio quieverit. In hac extremitate misericordia divina gratiam compunctionis infudit. O quam angusta est ibi via ad regna cœlestia consequenda ! In illa hora corporis et animæ unitas indivisa. Sic loquitur *cum misericordia divina :* Verus Deus, miserere mei, veraciter de peccatis meis doleo. In hac hora brevissima invenit occulta et inæstimabilis Dei misericordia quos perditos et damnatos æstimant humana judicia. Ego nullum hanc consecutum esse cognovi misericordiam, qui non pietatis opus fecit ex sinceritate intimæ voluntatis. Animas peccati macula respersas dæmones ad pœnas rapiunt purgandas ; Angeli enim sancti non contingunt eas, nisi purgatæ eisdem claritate aliqua similentur. Potest autem quis ab amicis christianis viventibus adjuvari, quod ejus animam angeli Satanæ contingere non audeant ; quæ si fuerit multum rea, pœnas alias exsolvet, quas tamen luit levius, quam malignorum morsus dæmonum et interminabiles irrisiones eorum.

Cum sancti Patres ad infernum descenderent cum fide sincera, spe inconcussa, charitate divina, cum humili virtute multa, fidelibus quoque laboribus descenderunt. Qui licet ad inferos descenderunt, erant tamen ad cœlestia suscipienda parati. Unde inimicus eis nocere non poterat, nec eorum supplicia molestare. Quæ secum adduxerant cremabilia non fuerunt, maximeque in eis arsit charitas, quæ omnes electos Dei filios inflammabit perpetuo, si etiam regna cœlestia non intrarent. Nam æternæ sapientiæ sic ordinavit justitia ut quæ seminaverit homo hic, hæc illic metat, recipiens in spiritu prout gessit in corpore, sive bonum fuerit sive

malum. Verumtamen negligentes qui sine satisfactione cum multis pœnis sibi debitis hinc discedunt, in illo loco gravissime cruciantur, ubi halitus Luciferi egrediens eos pertransit : urunturque flammis sævissimis tam crudeliter, velut beati patres in dulci cognitione Dei charitatis ardebant. Feminarum nullam ibi vidi, nisi principum uxores et filias, quæ ipsis consentientes omnia eorum peccata imitabantur amando. [Infernus etiam superius in capite suo os habet, quod omni hora stat apertum. Omnes qui in os veniunt nunquam mors æterna auferet.]

## VI. DE COMPASSIONE PURGATORUM [1].

II. 8. Cum in conspectu Domini pro defunctis simplici corde magnoque desiderio exorarem, ostendit mihi Dominus generaliter pœnas purgatorii multiplices, sicut culpæ inerant purgandis. Tunc compassionis igne succensa, brachiisque meis omnium cruciatus amplectens sustuli graviter, optans in eorum charitate salutem. Et dixit mihi Dominus : Cessa ab hoc opere, ne ejus pondere quod supra vires tuas est prægaveris. Et dixi cum tremore : Eia, misericors Domine, erue [saltem] aliquas *de his pœnis*. Et Dominus : Quot, inquit, vis ex istis ? Et dixi : Domine, quot prævaleo tua benignitate redimere ? Et iterum Dominus ait : Accipe nunc mille, et eas quo tibi placuerit perducas. Et ecce egrediebantur de pœnis nigræ, igneæ, pollutæ, ardentes, cruentæ, fetidæ. Dixi ergo in spiritu ad Dominum : Eia dulcis Domine mi, quid nunc fiet de his, quæ sic deformiter turpatæ non possunt ingredi regnum tuum ? Et inclinavit nimis infra se suam nobilitatem dicens verbum omnibus peccatoribus consolatorium, *verbum bonum* : Tu eas mundabis tuæ charitatis lacrymis, quæ fluunt ex oculis carnis tuæ. Et ecce facta est in similitudinem luci rotundi aquarum congregatio ingens valde, ubi convolantes simul animæ in

1. Quod unus homo redimit mille animas suis precibus et lacrymis charitatis Dei per gratiam. *Cod. B. in margine.*

impetu ingressæ sunt, clarioresque sole effectæ, lotæ in illo balneo charitatis. Ego autem nimia jucunditate accepta dixi: Benedicant te, dulcis Domine, omnes creaturæ tuæ in æternum; nunc istæ *dealbatæ et splendidæ* decent te et congruunt regno tuo. Tunc inclinatus ad eas Dominus de excelso coronam charitatis quæ eas absolverat imposuit eis, dicens: Coronam hanc portabitis æternaliter in signum Sanctis mecum conregnandis, quod vos de pœnis charitatis lacrymæ sustulerunt, cum adhuc torqueri per novem annos merebamini, *mea justitia exigente.*

## VII. DE MULTIS ANIMABUS LIBERATIS A PŒNA.

CUM *infesto quodam corpus Dominicum suscepissem*, dixi Domino: Deus meus es tu, Jesu Christe, hodie enim datus es mihi. Et cum propheta dixi: PUER NATUS EST NOBIS, ET FILIUS DATUS EST NOBIS. Nunc quæro, Domine, laudem tuam, non utilitatem meam, petens ut sacratissimum corpus tuum hodie miserarum consolatio sit et redemptio animarum. Tu vere meus es, ideoque rogo, Domine, ut pignus salvationis et liberationis esse digneris hodie captivorum. Tunc nimis confortata spiritu, deduxi eum in virtute ipsius ad locum terribilem, in quo erat balneum confectum igne, pice, luto, fumo, fœtore. Nebula condensata utpote pelle nigra balneum tegebatur; ibi animæ miseræ in similitudine [ranarum] luti volutabro mergebantur. Erat humana eorum dispositio; specie tamen erant imaginem diaboli in se præferentes. Coquebantur et assabantur pariter; clamabant in nimiis doloribus, lugentes carnis quæ eos in profundum demerserat voluntatem: [caro obcæcaverat eorum spiritum, unde præcipue coquebantur.] Et dixi ad Dominum: O Domine, quis est numerus harum miserarum quas hic intueor animarum; tu es, Domine, pignus veræ redemptionis; oportet te misereri. Et ait Dominus: Innumerabilis est, nec potest earum multitudinis numerus ab homine comprehendi. Hi omnes vasa confracta exstiterunt, nec carnis facta mortificare spiritu voluerunt, ex omnibus nationibus III. 15. § 2.

et regionibus huc profecti. Et dixi : O juste Judex, ubi sunt solitarii, et reclusi, quia hic non comparent ? Et ait Dominus : Occulta eorum fuerunt facinora, idcirco in profundissimis juncti cum dæmonibus cruciantur. Tunc perturbata nimium ad pedes procidi Creatoris, et vehement desiderio æstuans, dixi ad Dominum confidenter : Domine, ante te est omne desiderium meum. Et dixit Dominus : Tu me huc adduxisti sine misericordia, eas non deseram intuitu pietatis. Circumstabant autem eas multitudo dæmonum, [quam dinumerare etiam non potuissem], qui eas de illo formidabili balneo affligebant confricantes, et pungentes, [rodentes, unguibus lacerantes] et flagellis igneis verberantes. Et dixi ad dæmones : Audite, devoratores scelerum, perspicite hoc pignus redemptionis pretiosissimum. Mox territi et confusi et trementes dixerunt : Nunc educito eas hinc ; licet damnati simus et infelices, tamen recognoscimus veritatem. Tunc de dulcedine Cordis Jesu datum est desiderium illis miseris animabus, moxque cum multa [lætitia et] charitate de suis suppliciis prodierunt ; et dixi [ego anima extranea : ] O pie Deus, ad quem modo locum convertent se ? Et respondit : Ego deducam eas ad montem floridum ubi reperient inexplicabilem jucunditatem. Itaque comitatus cum eis Dominus charitatis obsequia præbuit, societatis eis amicabilis beneficium exhibendo. Dixitque mihi Dominus, quod septuaginta millia [ibi] erant *quos tunc eripuit a tormentis ;* quærentique mihi quamdiu ipsorum pœna duraverit, respondit : Triginta anni sunt quod sua corpora reliquerunt ; decemque adhuc annis purgari debuerint, si non eis redemptionis pignus tum efficax succurrisset ; quod expaventes dæmones, fugerunt, illudque contingere non audebant. Dixique ad Dominum : Quousque in hoc monte istæ animæ morabuntur ? Et respondit : Sicut nostræ fuerit beneplacitum voluntati.

## VIII. DE PURGATORIO ET PŒNIS CLERICORUM.

OLIM, quondam vidi purgatorium fluvio igneo comparatum. Coquebatur velut æs fluidum bulliens, superductum nebula tenebrosa, in quo natabant pisces humanam speciem præferentes. Hi sunt animæ clericorum qui divitiarum deliciis dediti, carnisque exusti concupiscentia et delectationibus excæcati, nullius bonitatis amore ducebantur. Erantque desuper hanc aquam piscatores qui nec navi nec retibus utebantur, sed cum ungulis igneis piscabantur; spiritus enim diabolici erant isti. Quoscumque captos ad littus pertrahebant, mox [in spiritu] crudeliter excoriatos bullientique cacabo immissos fustibus igneis contundebant, sicque pro libitu cruciatos, rostris laniatos crudelibus devorabant, et super aquam regressi eos iterum turpiter evomebant, sicque rursus captis, coctis, devoratis, ut prædiximus, faciebant. V. 14.

## IX. DE LENI STATU ANIMÆ BONI SACERDOTIS.

PRO quodam sacerdote justo et devoto in sua parochia defuncto secundum consuetudinem Ecclesiæ Dominum deprecabar. Et vidit anima mea animam ejus in laudabili dignitate, expectantem adhuc gloriam sempiternam. Quatuor angeli ducebant eum super omnem tempestatem [in primum cœlum], psallentes sibi chordis cœlestibus, sicque purgabant eum, æternæ beatitudini coaptantes. Interrogavi eum quo merito hanc dignitatem attigisset. Et respondit: Ego dilexi solitudinem, et cum timore Domino supplicavi. Et dixi: O nimis felix, cur non continuo cum istis electis angelis evolasti? Respondit: Tanta est gloria quam accepturus sum pro munditia clericali, quod eam adhuc non mereor adipisci. V. 15.

## X. DE VALDE GRAVI PURGATORIO CUJUSDAM RELIGIOSI.

III. 17. RELIGIOSUM quemdam de quo mihi bona fuit opinio, dum viveret, pœnis vidi deditum et afflictum. Oravi igitur pro ipso per tres menses cum gravi cordis mei molestia ; nec tamen obtinui ut ejus dolores perspicerem, donec in vespera ultimæ diei, sicut spiritum exhalaverat, repente in orationibus meis quas pro ipso obtuli, ostensus est mihi. Vidi eum solum, nec concessum est ei ut mihi supplicia sua omnia demonstraret. Pallidi coloris erat, et in alba nebula videbatur. Et dixi : O cur non es in cœlo ? Respondit mihi in verbis ambiguis, in miseria verecunda ; legit autem quemdam librum lacrymando, cujus verba omnia *adversus eum,* cum omnibus libris quos legerat, conclamabant. Et dixit : Sæculum et res mundi in corde, in verbis, in moribus nimis dilexi. Duo dracones incumbebant pedibus ejus, sugentes et extrahentes ab ipso omne solatium quod ab Ecclesia catholica fuerat percepturus, propter inobedientiam qua propriæ voluntatis amator, non secundum prælatorum sapientiam procedebat. *Horror culpæ et ignis pœnæ ipsum in draconum specie cruciabant, quod percipere non poterat suffragia quæ Ecclesiæ charitas offerebat.* Et sciscitabar ab eo dicens : Ubi sunt inimici tui qui te solent affligere ? Respondit : Nobilitas ordinis mei non sinit quod dæmones me contingant. Grande certamen in carne mea sustinui ; quædam mente tractavi ; quod si effectum habuisset, inutile valde esset. Ideo vitam meam protelari Dei benignitas non permisit ; ardeo in meipso ; mea propria voluntas cruciat me. Et dixi : Eia ! narra mihi, quemadmodum possis adjuvari ? Respondit : Si quis per annum centum venias duodecimque disciplinas ac multas contriti cordis ex oculis suis lacrymas mihi daret, peccatorum mihi indulgentiam impetraret : missæ etiam sunt legendæ. Eia, roga virgines et sacerdotes, ut pro me Dominum deprecentur ; finem purgatorii mei dicere nolo tibi, ne ex hoc fratres mei ordinis contristentur. *Et dixit :* Nunc fuge a me. Tunc accepta diabolica imagine in se ardebat et obmutuit contra me.

## XI. DE PURGATORIO CUJUSDAM BEGUINÆ QUÆ ERAT PROPRII SENSUS.

Væ tibi, peccatum infelix, quod tantum malum et damnum ingeris et infligis, sancta destruis opera, quæ præter sana consilia sunt peracta. Dicunt quidam: Humanum transcendi consilium, vivam secundum divinum spiraculum. Hæc verba semper horrui; quia non potest homo utilius subdi quam ut corde humili obtemperet consiliis christianæ fidei. Hoc experimento didici in quadam femina, quæ amore Dei flagrabat mirabili, quo fruebatur inhumanis et indiscretis laboribus, ut natura aresceret et deficiens moreretur. Pro qua dum secundum christianam consuetudinem exorarem, in attractione spiritus mei vidi spiritum ejus. Erat autem clarius in seipso sicut sol propter munditiam cordis ejus intentione fideli. Circumdabatur tamen magnis tenebris, et desiderabat vehementer fontem æterni luminis; tendebat sursum jugiter, sed tenebrosa nocte tenebatur semper. Hoc erat voluntas propria sine consilio, quæ hanc perfectam feminam tantum retardabat a Domino. Interrogavi ergo quemadmodum posset a suis pœnis liberari. Et respondit: Quia nullius hominis in terris juxta christianum ritum curavi audire consilium, idcirco nullius possum juvari orationibus vel sentire auxilium. Conversa ergo ad Dominum quæsivi quid hoc esset, quod homo transit ad purgatorium, qui in hac vita pro dilectione sua tot pœnis exposuit corpus suum. Et dixit mihi Dominus: Nulla virtus meis complacet oculis, quæ non fulcitur sanis consiliis. Ego ad terras descendi cum consilio, ibique Patri ac humano generi servivi cum omni humilitatis officio, et ita cœlos conscendi cum libertate et gaudio. V. 5.

Verum, quod vero ostendi exemplo, nullius utilitas est operis merito; desideriis, orationibus, laboribus, quæ hic pro ea fiunt, his decorabitur, cum post pœnas ad cœlestia sublimatur [anima:] quia quod nobis in via regni cœlestis pro adjutorio tribuitur nostrum, exigente justitia, putatur; cum ad regnum pervenerimus, universitati defunctorum fidelium

Dominus pro amore nostro impertitur, ut liberati velocius Deum nobiscum collaudent in cœlestibus. Decem et septem annorum pœnas deputaverat huic feminæ justitiæ sententia, quam in [decem et] septem menses commutavit misericordiæ clementia; quoniam ex charitate sincera perfecit *hæc munda conscientia*. [Deus nos adjuvet recta mensura. Amen.]

## XII. DE PURGATORIO CUJUSDAM SCHOLARIS INTERFECTI [1].

VI. 10. ROGAVI Dominum pro anima cujusdam qui in peccatis existens fuerat interfectus. Et dixit Dominus ad me: Septem anni pœnitentiales et septem carenæ quasi una gutta pluviæ esset in grandi igne. Infra triginta annos non expeteret a me, quoniam per stultam superbiam triginta annorum spatium quo victurus erat sibimet abstulit, quos oportet eum mihi exsolvere in tormentis. Et dixi: O Domine, licet tuam misericordiam exorare? Et respondit: Utique. *Et addidit:* Cum duo colluctantur, oportet ut succumbat infirmior fortiori. Ego, licet sum omnipotens, infirmior esse volo. Triginta millia [2] missarum redemptio ejus est, quia nunquam nisi pro verecundia missam integram perstitit vel audivit. Et dixi: Domine, quo merito salvus factus est? Respondit Dominus: Sermones meos audiens compunctus suspiravit, propter quod a me accepit in extremis internum suspirium pro peccatis. Et dixi: O misericors Deus, frater matris suæ, qui vir ecclesiasticus est et tibi a juventute sua usque ad canitiem in religione, in ærumnis et laboribus deservivit, offeret *ad te placandum* pro eo omnia quæ per eum operatus es tibi placita opera, ponens se in primo statu famulatus tui; numquid velles *propter hanc oblationem* istam animam liberare? Respondit Dominus: Utique, si mihi talis inferretur coactio, oporteret me tribuere quidquid vellet hominis instantia postulare.

1. In originali, ponitur talis titulus: Quod orationes, missæ, auditio verbi Dei in prædicationibus, vita bonorum, jejunium, carenæ, liberant animas de purgatorio. *Cod. B. in margine.*

2. centena. *Cod. teutonicum.*

Et dixi : O Domine Deus, si ille famulus tuus omnia benefacta sua huic indigenti animæ largiretur, quid tunc fieret circa eam ? Extemplo indulsit mihi Dominus quod illam felicem animam videre digna fui ; quam prius propter impudicam pœnam quam sustinuit non poteram intueri ; quia hoc anima mea non valuit sustinere. Erat autem sole pulchrior , elevatus valde super omnem miseriam deliciosa fluens claritate. Et dixit ad me gaudens et exultans : Dic amicis meis : si terra aurea perpetuo solis splendore illustrata, vernali florum ac fructuum aerisque tempore cum odoris efflueret dulcedine, una ibi hora nollem consistere, quia tanta amœnitate et jucunditate perfruor in hac vita. Nondum tamen pervenerat [ad æternum cœlum] beatorum.

## XIII. DE STATU SANCTORUM.

DOMINUS Jesus Christus virtutibus plenus ad dexteram Patris ascendit ; quem nullus sequi potest nisi fulciatur virtutibus. Sancta Trinitas super celsitudinem exaltata resedit cum omnibus electis amicis, quos honore, pulchritudine, gaudiisque ditavit, secundum quod laudabiliter piarum virtutum similitudinem in hoc sæculo habuerunt. Quælibet [virtus] quæ in hoc mundo bonæ voluntatis formam accipit, charitate ornata, et perfecta sine culpa resonat in cœlestibus, tamquam chorda fidelis animæ et [prompti] corporis coram throno. Dicit Pater grates Filio quoniam virtutibus attraxit, Filiusque Patri quoniam creavit , stringitque Patrem et Filium Spiritus Sanctus ; etenim cum jubilo sic transfluunt, ut [illa] in omnibus Deum diligant et collaudent. VI. 8.

Diabolus et Satanas cum omnibus vitiosis sic in infima est demersus, sicut Dominus Deus cum Sanctis super omnia exaltatur. Inter altitudinem divinam et abyssum Satanæ duplex purgatorium invenitur, in quibus multiplex pœna et angustia reperitur. Primum purgatorium est utilis miseria, quam in hoc mundo in pœnis multiplicibus et pœnuriis ex-

perimur; secundum purgatorium est post hanc vitam : immane nimis, quod in faucibus inferni incipit et in porta cœli desinit et finitur. Dæmones autem potestatem non habent animas puniendi nisi super terram et in aere et in omnibus locis in quibus peccatis suis aerem maculavit. Hæc sunt testimonia diaboli in verecundiam et pœnam ampliorem peccatorum, quæ hic per pœnitentiam diluere neglexerunt. Cum autem manum diabolicam evaserunt, tunc in semetipsis ardore mirabili etiam pro culpis minoribus cruciantur; deinde adjutoriis et compassionibus a pœnis omnibus elevantur, ubi cœlo proximi omnibus gaudiis perfruuntur; attamen visione Dei nondum digni sunt, nec gloriam quam accepturi sunt adhuc habent, nec coronam de manu Domini perceperunt. Hæc est dispositio purgatorii in terra et aere, inter infernum et firmamentum. Anima autem quia spiritus est, a corporalibus rebus cruciari non potest, cum fuerit a corpore separata.

## XIV. QUALITER ELECTI ET REPROBI IN CŒLO, IN PURGATORIO ET IN INFERNO COMPARENT.

IV. 25. Nostra præsentia jam nunc resplendet in cœlestibus, secundum quod hic decorati virtutibus et charitatis Dei munere sumus, sic jam manifesta omnibus beatis; laudantque Dominum et gaudent ac si jam eorum consortio jungeremur. Nostrum autem profectum non cognoscunt, verumtamen virtutum incrementum et claritatis augmentum, et ascensus ad profectum sanctis hic de die in diem conceditur; unde sanctorum meritum et angelorum jucunditas cumulatur. Cum vero in quæcumque peccata labimur, pulchritudo in nobis cœlestis obumbratur, et desiderant angeli, orantque pro nobis sancti, ut purificati per pœnitentiam revertamur.

In purgatorio quoque nostra apparet præsentia; unde ibi existentes contristantur, nec tamen juvare nos poterunt, suis cruciatibus miserabiliter occupati. Multæ cum tam gravibus culpis ad purgatorium animæ descenderunt, quod eis scire non conceditur si unquam debent liberari. Quare? Nolebant, dum viverent, suis carnalibus labiis confiteri. Quomodo au-

tem salvari valeant in loco alio est descriptum [1]. Peccatorum manifesta est præsentia in inferno, quos divina sic prosequitur misericordia, ut qui hodie sunt dæmonum, cras fiant socii angelorum. Sic variatur nostra præsentia de cœlo ad purgatorium et ad infernum, prout nostræ voluntatis declinat arbitrium.

### DE IMMENSA ET INEFFABILI MISERICORDIA DEI.

AUDIENS et perpendens immensam Dei misericordiam, dixi: Domine, justitia et misericordia tua unum sunt, et secundum magnitudinem misericordiæ tuæ magna est justitia tua. Quid igitur est quod misericordia tua magis elucet in omnia opera tua? Respondit mihi Dominus magnæ fidelitatis *et clementiæ* verbum: Per memetipsum juravi et vere dico tibi, quod plures in Ecclesia mea reperiuntur, qui sine medio de morte transeunt ad vitam, quam qui æternis suppliciis deputantur; justitia tamen suæ rectitudinis potestatem non deserit; nam quidquid ejus conspectui cum crimine oblatum fuerit, hoc de manibus ejus a me nullatenus auferetur; verum tamquam pater desolatam animam primitus visitabo, si quid boni in non desperante potuero invenire. Cogit me adhuc paternæ fidelitatis tentatio, qua circa filios meos moveor *quos creavi*. Et dixi: Eia, Domine, indica mihi hanc tuam tentationem, ut tua delectatio et meum desiderium conveniant et concordent. Respondit Dominus: Audi quomodo tentor: bonitas et largitas, fidelitas ac miseratio tam fortissime me compellunt quod sino ut per montes superbiæ et valles humilitatis, per rubos immunditiæ et per plana munditiæ, transeant atque fluant. Plusque me cogit dulcedo benignitatis quam hominem perversum amaricatio suæ mentis, majorque est meæ pietatis clementia quam omnium dæmonum malitiosa dementia. Et dixi: Domine, tua justitia sic in tua resplendet et condecet veritate, quod inæstimabilem sine cordis molestia mihi ingerit lætitiam, et quocumque se convertit, in hoc veritas exultabit. III. 22.

1. Lib. III. cap. 21.

## ORATIO DEVOTA ET GRATIARUM ACTIO.

V. 35. EIA, pie Pater, trahe animam meam sine impedimento in te, et occurre illi in omnibus bonis quæ sunt in te. Tunc orare, imperare, et te plene laudare vellet *cum Unigenito tuo Jesu Christo* super omni bonitate tua. Eia, da mihi, Domine, sanctæ Trinitatis tractum, in dulcis amoris volatu, ut laudabiliter fruar omnibus donis largitatis tuæ, et nunquam a te petam quod tu ad gloriam tuam nolueris exaudire. Amen.

Eia, Pater omnis bonitatis, ego peccatrix gratias ago tibi super omni fidelitate tua cum corpore afflicto et languido, cum anima exule et corde culpabili, cum sensibus turbatis et despecta vita in hoc mundo. Domine Pater, hæc sunt in me et mea, et nihil aliud; nunc laudo te et gratias ago tibi, cum dilecto Filio tuo Jesu Christo, et cum universa creatura tua; et bonitate qua eam creaveras antequam peccaret et futura est in renovatione, qua eam dignaberis reformare. Eia, dulcis Pater, cum omnibus rebus his laudo te hodie, quia animam meam [exulem] et corpus meum [miserum] semper custodia fidelissima protexisti, et pro omnibus donis quæ tu mihi, magne Deus, corporaliter et spiritualiter largissime contulisti. Cum hac universitate creaturæ desidero, Domine, hodie laudem tuam, in omnibus et pro omnibus rebus quæ de corde tuo dulcissimo, immaculatæ, Pater mitissime, profluxerunt. O dilecte præ omni dilecto, invoco te hodie, cum his omnibus ad laudem tuam, pro [vera mutatione et] conversione plenaria omnium peccatorum qui adhuc peccatis criminalibus prægravantur. Oro te, vera charitas, pro incremento sanctarum virtutum et christianæ religionis omnibus qui in hac vita sine crimine conversantur. Rogo te, Domine, pro omnibus animabus in purgatorio afflictis et pro iis specialiter qui per nostram negligentiam talibus cruciatibus sunt addicti, [quod nos per bonum exemplum avertere debuissemus.] Supplico te, Domine, pro sancta sanctificatione et vera defensione, tuique spiritus infusione, nominatim pro omnibus qui meum exilium pro tua charitate per suum

sustentant auxilium, corporis et animæ præbentes subsidium. Imploro te, Deus, qui dives es *in omnes qui invocant te*, per Jesum egenum Filium tuum, ut pœnas spiritalis paupertatis meæ et amaritudinis meæ fel in faucibus mentis meæ [in mel velis convertere.] Oro te, Deus, vita vivens, pro nobilitate fidei christianæ, ut tu, Domine, eam nobis defenses per tuam sapientiam contra falsos testes. Et confirma spiritum nostrum ut in veritate beatifica requiescat. Rogo te, dulcis Domine, pro omnibus qui me cruciant christiani, ut te hic adhuc cognoscere et diligere mereantur. Supplico tibi, omnipotens Deus, pro repressione vera falsæ dominationis cum discretione, et pro misericordi compassione multitudinis innocentis. Rogo te, consolatio æterna, Deus, ut consolari digneris omnes desolatas animas, quæ hodie cum angustia et tremore de suis corporibus separantur, ut eas per tuam sententiam ad vitam æternam deputes et misericorditer *salves*. Oro te, Domine, pro emendatione et spirituali perseverantia ac laudabili custodia divinæ veritatis in omnibus, et specialiter iis qui religionis habitum et ecclesiasticam potestatem pro tuo amore deferunt et exercent. Imploro te, piissime Deus, pro vera gratitudine omni tempore, pro tuis beneficiis cunctis, [ut succurras his] qui pro tuo nomine paupertatis et miseriæ onus portant. Supplico tibi, sancte Deus, pro clementi respectu inutilis vitæ meæ et pro continua tecum mei spiritus unione, et pro fideli viatico sacri corporis tui, quod in extremis meis cibus sit ultimus corporis et animæ meæ *in æternum*. Supplico tibi, summa et benedicta Trinitas, pro extrema hora exitus de hoc exilio, cum anima mea misera a corpore dividitur, ut tu, Domine, tunc ad me digneris te inclinare, ut omnes inimici mei tristes a me discedant, et juxta tuam voluntatem et meum diutinum desiderium, te jugiter intuear, ut oculi animæ meæ in tua deitate ludant, et dulcedo amoris tui de tuo pio pectore prodiens animam meam profluat et infundat. P. D. N. J. C.

Benedictus sis, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! Credo, Domine, et vere scio quia tu es verus Deus et verus homo. *Digneris nobis hic tuam præsentiam exhibere*; ideoque adoro VI. 37.

te Deum et Dominum, Creatorem et Redemptorem, Regem regum, mihi præ cunctis dilectum in sæcula sæculorum. Confiteor, sancta Trinitas, *cum gemitu et querela cordis mei*, sine timore et verecundia coram te, *graviter* me peccasse. Concede mihi quæso, mitissime Deus, plenam indulgentiam omnium peccatorum, et coram te gratiam et amicitiam invenire, quoniam consuetudo peccandi menti meæ tenebras superduxit. Munda, Domine, cor meum ab omni terreno amore, et fluentis cœlestis roris arentem infunde animam ut digne defleam peccata, quibus et me perdidi et te irreverenter contempsi. Ago tibi gratias, Domine Deus, pro beneficiis quæ omnibus diebus nostris a te accepimus, et nunc accipimus, et æternaliter accepturi sumus. Oro te, omnipotens Pater, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut purifices et custodias me ab omnibus peccatis, et sanctifices me in omnibus operibus virtuosis. Rogo te, Domine Jesu Christe, per angustias et horrores mortis quos caro tua in cruce sustinuit, ut oculis tuæ [divinæ] miserationis [et tuæ humanæ fidelitatis, et tui sancti Spiritus favore] necessitates meas ad extremam horam vitæ meæ clementer intueri digneris, et concede mihi ut sacramenta corporis et sanguinis tui, ea fide et charitate tunc suscipiam, ut sint corporis et animæ meæ perpetuum alimentum. Rogo te, Deus meus, ut me tunc digneris ab omnibus hostibus liberare, et spiritum meum tuis consolationibus sublevare. Rogo te, Fili Dei, ut animam meam cum benedictis manibus tuis excipias, et perducas me cum gaudio ad regnum Patris tui, ubi te cum omnibus Sanctis tuis, [ex hoc exilio] fruar æternaliter et collaudem. Præsta mihi hoc, Domine Jesu Christe, et omnibus mecum qui pro amore tuo, [qui nunc ibi sunt et adhuc pervenire debent], mihi favent et benefaciunt, *me suis beneficiis sustentantes;* iis quoque qui me impugnant contra voluntatem tuam, et omnibus christianis tuam misericordiam non deneges impertiri. Supplico tibi, Domine Deus, ut propter gloriam tuam concedas Ecclesiæ tuæ in perpetuum Caput plenum virtutibus catholicis, Romanum scilicet Pontificem, per quem Ecclesia dilatetur, a peccatis liberetur, et in omnibus operibus sanctificetur. Libera, Deus, hodie [cum tua potenti dextera] Jerusalem, civitates et terras quas iniqua potestas opprimit, ut ibi laus tibi a

fidelibus decantetur. Cum omnibus Sanctis tuis supplico tibi ut pacem et aeris temperiem cum fructibus necessariis donare digneris huic terræ et omnibus populis christianis. Conserva, Domine Jesu Christe, amicos tuos in tua gratia, et hostes tuos converte, et eorum dilue pravitatem. Rex regum et corona omnium principum, rogo te ut principes hujus terræ et totius Ecclesiæ Spiritu Sancto adunare digneris, ut nunquam iniqua bella et congregationes perversas exerceant contra tuam voluntatem et propriam felicitatem. Consolare, Domine, omnes fideles in aquarum, infirmitatum, captivitatum, tentationum, turbationum, paupertatum angustiis constitutos ut nunquam a tua gratia decidant vel trahantur. Miserere, benignissime Deus, animabus quæ hodie per mortem a suis corporibus separabuntur; salva eas et dona eis requiem sempiternam. Eia, pie Deus, propitiare animabus parentum meorum, et omnium qui in purgatorio cruciantur; libera eas, Domine, in hac hora, propter gloriam nominis tui sancti. Requiescant in pace. Amen.

Oro te, Domine, pro meis familiaribus et consortibus, ut repleas nos virtutibus tuis sanctis; munda vitam nostram et sanctifica ad laudem tuam, et ad utilitatem Ecclesiæ nos dirige, Deus noster. Suscipe, Domine, hanc orationem querulosam, et fac nobiscum secundum tuam misericordiam. Amen.

## DE QUERELA IMPOTENTIÆ VIRIUM.

Cum *senuisset soror M. dixit*: Væ mihi miseræ! queru- VI. 4.
lor in conspectu tuo, [cœlorum] Deus, quod deterior nunc, quam ante triginta annos fuerim, sum inventa. Tunc enim in exilio degens utebar quibuscumque; nunc autem ut subsistam, uti necesse est delicatioribus alimentis. Proinde inter animam et carnem meam duos [perpetuos] constitui custodes, ne plus mihi sapiant quam oportet. Præservant etiam sensus meos ne seducar in avaritiam plus habendi, vel iis diutius immorandi. Primus custos est discretio quæ omnia perfecte, secundum Dei voluntatem ordinat ad

utendum ; ita quod homo alienum cor semper retinet ad terrena, adeo ut si his caruerit, animus consoletur, anima liberetur, sensus non sollicitetur, sicque in Domino delectetur, ac si ab amico optimo de maximo onere sublevetur. Quicumque enim hæc terrena onus esse non reputat, spiritalem se in conspectu Domini non cogitet æstimari. Quapropter hæc dicit Dominus : In necessitate omni bus uti licet, qui a voluntaria paupertas semper egens est ; ideo sancta est, nec potest in ea superfluitas tenebras in anima generare.

Secundus custos meus, timor sanctus, qui per supernam Sapientiam cavet ne anima mea donis terrenis mihi oblatis arrideat, sed ea ut tentamenta suscipiat, ne avaritia aut vana gloria subrepat, quæ multos laudatos religiosos adeo cæcaverunt, quod lumen discretionis caloremque amoris ac gustum divinæ dulcedinis, pacem ac miserationem adeo perdiderunt, quod proprium non sentiunt detrimentum. Hæc dicit Dominus : Ecce ipsi dicunt [sub pulchra specie,] quod ideo terrena [diligunt et sibi] cumulant ut mihi serviant ; sed ipsi non mihi, sed magis serviunt ventri suo. Qui sibi commodum et utilitatem procurat, suus est ; verum omnis homo deberet esse Christi, ut non quæ sua, sed quæreret quæ sunt Jesu Christi. Vere felix homo qui totus vivit Deo ; hic æquo animo recipit quod offertur ; quemadmodum Deus Pater Unigenitum de trono majestatis deposuit in stabulum paupertatis, sic hodie electos suos ab omni segregat voluptate. Vere sanctus plus metuit quam quærit necessaria. In cœlo enim mente habitat, et hic æstimat se captivum. Hæc dicit Dominus : Ei qui libertatem meam cognoscit et diligit, non sufficit ut me diligat propter me, sed et creaturam diligat in me ; et sic me proximum retinebit in se.

## QUALIS DEBEAT ESSE IN EXTREMIS.

VI. 6. Interrogavi Dominum meum, quemadmodum in extremo vitæ meæ tempore placens suis conspectibus apparerem. Et dixit mihi : Qualis eras tuæ conversationis initio, talis esse stude in tempore vitæ tuæ extremo : charitas, deside-

rium, contritio, timor, tuæ fuere salutis primordia; necesse quoque est ut in his consummationem accipiat vita tua. Et dixi : O Domine, ubi erunt fides et spes, quæ sunt christianitatis corona et principalia fundamenta? Et respondit mihi Dominus : Fides in cognitionem convertitur, et spes in realem certitudinem.

Hanc verbis ejus glossam reperi, et mente mea intellexi : In tribus contritio mea extat : De peccatis doleo, præcipue pœnitens et contrita ex charitate; pœnam autem contritionis abstulit amanti charitatis in amore. De peccatis universorum dolens plango, facta tamquam infirmus delicatam rem cupiens, quam raro vel nunquam consequetur. Idcirco cor meum mœrens et anima mea desiderando persequens, utpote venator feras immanes et sylvestres. Et dixit mihi Dominus : Immanes feræ capi non poterunt nisi ad aquas profundissimas agitentur; sic peccator non convertitur, nisi justorum desideriis in profundas pœnitentiæ lacrymas impellatur. Doleo de omissis bonis operibus, quæ propter carnis commodum præter causam debitam intermisi. Et dixit Dominus : Sicut sine locali spatio habitatio non construitur, sic sine justis operibus possessio in cœlestibus non habetur. Quod idcirco Dei charitas constituit, ut unaquæque anima quasi pro merito accipiat quod per Dei gratiam est assecuta. Idcirco Deus nostros labores, paupertates, infirmitates tam libenter amplectitur, ut has miserias in charitate supportantes remuneret, suæque justitiæ condescendat prout suæ congruit æquitati. Hæc in cumulo divinæ reperi largitatis.

QUALITER EXULTAT DE MORTE SOROR MECHTILDIS.

MULTUM sum mirabilis, mirorque in meis sensibus quod anima mea sic est mirabilis. Cum de morte cogito, exultat ad exitum anima mea tam potenti gaudio ut perfundantur dulcedine ossa mea; anima enim mea quædam ineffabilia in exitu animæ de corpore mirabilia contemplatur. Hoc respectu amplector tempus mortis, quod Deus mihi VI. 26.

constituit *et non poterit præteriri*. Extendit autem e contra se in extrema tempora amplitudo desiderii mei, ut cum Sanctis, qui tunc erunt, fundatur sanguis meus in fide ejus quem diligo, Domini Jesu Christi. Ejus charitatem ex singulari dono me habere profiteri audeo, eo quod contemptus et tribulatio exsurgens in amore Dei tam suaviter me accendit, ut corpus meum voluptate delicata repleatur. Manet tamen apud me compassionis miseria, oroque pro persequentibus me, ut a peccatis liberentur.

VI. 27. Domine sancte Pater, gratias ago tibi quod me creasti. Domine Jesu Christe, laudo te quod me redemisti. Spiritus alme Domine, glorifico te quod me *purificans* emundasti. *Benedico te*, sancta et indivisa Trinitas, *Deus noster*. Memento nunc, quæso, Domine, omnis fidelitatis *et gratiæ tuæ*, et concede mihi misericorditer mortem quæ ab omni angustia me liberet. *Amen*.

In manus tuas commendo spiritum meum.

### VALEDICIT OMNIBUS CREATURIS.

MORITURA, omnibus a quibus separor valedico. Primum, sanctæ Ecclesiæ, gratias agens Deo quod christiana de christianis nata sum; cui quousque vixero, exorans pro peccatoribus, quos patitur, adhærebo. Valedico cruciatis in purgatorio; [quod si diutius hic maneam, illorum debita libenter compensare volo,] gratias agens Deo, quod vasa sunt misericordiæ, quibus exoptabo. Damnatis justitia Dei in ipsis refulgens utitur, quibus si semper viverem, non optarem. Valedico omnibus criminaliter in hoc mundo viventibus, gratias agens Deo quod eorum consors non sum; pro quibus, cum vixero, ut convertantur exorabo. Valedico omnibus vere pœnitentibus, gratias agens Deo quod eorum consors sum, eorumque quo advixero, amatrix sum. Valedico omnibus hostibus meis, quorum Dei gratia victrix ego sum; quorum si viverem, semper salutem exoptarem. Valedico creaturis omnibus, confitens et dolens quod eisdem perverso ordine sum abusa. Valedico amicis meis charissimis, gratias agens

Deo et ipsis quod mihi in meis necessitatibus affuerunt; coram quibus si viverem, semper erubescerem, quia meos defectus et miserias cognoverunt. Valedico tibi, fomes immunde, per quem in me dona Dei sunt obruta, et quodam modo in nihilum computata. Parce, Jesu piissime, quia peccavi nimis coram te. Valedico corpori meo misero, gratias agens Deo, qui me a multis malis misericorditer custodivit, ab eo, cujus talis est insolentia, pro qua si diu hic morarer, ipsum perpetuo detestarer.

### DE TURMIS OCCURRENTIBUS ANIMÆ EGREDIENTI.

Coacta scribo quod libentius vellem reticere; timeo enim [secreto] inanis gloriæ jaculo vulnerari; verumtamen, nisi Deus pepercerit, plus de silentio vereor judicari. Timorem et mœstitiam continuam cordisque molestiam ab infantia anima mea sustinuit, quæ de extremo hujus vitæ termino sollicita semper fuit. Nunc in ultimo vitæ meæ tempore ostendit mihi Dominus Angelorum ac Virginum, processionali more, de cœlo descendere turbas quatuor. Virginum turmæ innuit virtutes quibus floruit homo Christum serviens *in hoc mundo;* angelica vero munditia, puritatem meritorum qua Deum coluit repræsentans. Has turmas Filius cum Virgine Matre sequitur, ut egredientem de carne spiritum tueatur. Erat hæc via pacifica, itemque sole clarior ex Sanctorum illustrata splendoribus et æternis fulgoribus. Et ait anima: Hæc via mea excellens merito complacet mihi, Domine; pavesco tamen intime quomodo solvar a corpore. Et ait mihi Dominus: Traham spiritum tuum in me, sicque sicut adamas sequeris attrahentem te. Harum processionum a latere altrinsecus multitudo erat dæmonum, quos nec oculis perspicere, nec numero valui æstimare. Verberabant se mutuo crudeliter, et corrodebant ungulis atrociter [sicut insani], nec tamen ad eorum aspectum expavi; sed exultavi uberius de præsentia ejus qui aderat, Jesus Christus. Hinc admirata nimium quæsivi a Domino quo gererentur ista prodigio. Et respondit Dominus: Ex ubertate securitatis scaturit hoc V. 32.

gaudium : cognosces enim tunc quod nunquam per dæmones a mea charitate vales deinceps impediri.

QUALITER PRÆSCRIPTUS LIBER INNOTUIT.

VI. 20. Ad cognoscendum ea [dona] quæ in libro conscripta sunt, tribus modis Dominus me instruxit. Primo, multa dulcedine ; postea, intima familiaritate; extremo, in nimia pœnarum asperitate : in quibus libentius quam in primis duobus perdurabo. Quamvis enim dulcedo et familiaritas Dei perpetuæ in seipsis et nobiles sint, tamen in hoc mundo tam raræ sunt, ut eas etiam ipsi qui possident exprimere non sinuntur. Timeo etiam spirituales voluptates, quoniam Christus multas acutas persecutiones pertulit in hac vita. Verum natura amoris est ut primo quidem fluat dulcedine, deinde ditetur cognitione , postremo contemptum appetat et lætetur in abjectione. [Sane tu es multum instabilis ;] attamen verus Dei amor interdum languet ex [mala] dulcedine inanis gloriæ et tumore superbiæ, ex [nociva] phrenesi iracundiæ, ex amplitudine terrenæ concupiscentiæ, fitque paralyticus in omnibus membris suis, ad inchoandum *et perficiendum* omne quod natura etiam subministrat. Porro nullus in corde suo cœlesti gaudio plene fruitur, qui non omne solatium [et omnem gratiam in hoc mundo] abnegavit. *Hujus enim mundi* voluptates a Deo separant ; unde ad ipsum redire cum amaritudine nos oportet. Tamen quia sine ipso nihil possumus, nequaquam denegat gratiam ad omne quod agimus, et auxilium ad ea quæ graviter sustinemus.

DE CONCORDIA FINIS CUM PRINCIPIO HUJUS LIBRI.

IV. 28. Liber iste a charitate sumpsit initium, unde conveniens est ut in charitate etiam concludatur ; quia nihil sapientius est charitate, nihil sanctius, nihil pulchrius, nihil fortius, nec potest aliquid perfectius inveniri. Tunc dixit Dominus

noster Jesus Christus : Loquere, Pater, ego nunc tacere volo, sicut tu taces, fremens et murmurans in ore Unigeniti tui, propter humani generis fragilitatem, et sicut humanitas mea locuta est tremens propter mundi falsitatem. Respondit enim voci meæ per mortis acerbitatem, interficiens me veritati testimonium perhibentem.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# LIBER SEPTIMUS

## I. DE CORONA ET DIGNITATE, QUAM D. N. JESUS CHRISTUS POST DIEM NOVISSIMUM ACCEPTURUS EST.

Dominus noster, Pater cœlestis, multifaria in sua divina sapientia servat adhuc indicibilia dona, quibus post diem novissimum ornare suos electos filios vult, maxime vero suum Unigenitum Jesum, Salvatorem nostrum. Cui cœlestis ille coronam paratam ita magnis, gloriosis, variisque operibus contexuit et ornavit, quod omnes magistri qui quandocumque fuerunt, nunc sunt, et futuri, nunquam hujus coronæ claritatem aut multimodas delicias plene describere valerent. Quæ corona amanti animæ oculo spirituali visa est in perpetua æternitate, ipsique innotuit ejusdem contexio. Quid est hoc, æternitas? Nempe increata illa infinitæ divinitatis sapientia, quæ nec initium, nec etiam finem habet.

Corona tribus constat circulis, quorum primus Patriarchas, alter Prophetas, tertius vero sanctam Christianitatem continent. Insuper ornatur quasi floribus pullulans hæc corona omnium præsentia Sanctorum qui novissimo die regnum Dei adepturi sunt; qui tamen ordine suam dignitatem juxta cujus-

1. In codicibus latinis non reperitur hic septimus liber, quem totum ex teutonico codice Einsidelnensi transtulimus.

que opera obtinebunt. Primus quidem circulus quasi gemmis decoratur ac illustratur Sanctorum intimo fervore bonisque operibus quæ Patriarchæ perfecerunt. Hominum etiam imagines, corpore et anima, præfert ille circulus. Prima est imago sancti Stephani, et omnium martyrum qui pro christiana fide sanguinem suum fuderunt; juxta vero sanctus Petrus omnesque Apostoli Domini pariter figurati; proximo ordine beati omnes qui Apostolorum doctrinam sunt secuti; tandem matrimonio juncti in circulo eodem imaginem suam habent, cum filiis, dummodo bona opera Dei sint secuti.

Secundus coronæ circulus summis Pontificibus, aliisque cunctis spiritualibus Patribus efformatur, quibus gregem suum commisit Dominus. Qui circulus omnimodo potestate spirituali decoratur, christianaque floret doctrina.

Tertius coronæ circulus pulcherrime effingitur Domini nostri Jesu Christi nobili humanitate, juxtaque illum sua gloriosa matre Maria cum omnibus Virginibus qui Agnum sunt secuturæ; ubi invenitur Agno proximus sanctus Joannes Baptista, et hi secus illum apparent, qui sub ejus manibus facti sunt christiani. Creatione omnium arcus coronæ ornatur secundum amorem, intentionemque Creatoris, qui ibi insuper se omnia juxta suum beneplacitum creasse ostendit. Ex omni parte floret corona scuto sanctæ fortitudinis, quæ ad fidem pertinet christianam. Imperium quoque in corona usque fulgebit florebitque dum illi novissimi qui Deo servire mereantur, fuerint nati. Antichristi temporibus coronæ plurima accedent nobilium imaginum ornamenta, scilicet Enochi et Eliæ multorumque sanctorum martyrum, qui illam suæ sanctæ vitæ flore decorabunt. fidelique sanguine consecrabunt.

Corona item Agni sanguine tincta erit, validoque inaurata amore quo Jesus Cor suum dulcissimum in duas partes divisit. Hanc coronam creavit noster cœlestis Pater, Jesus Christus meritus est, Spiritusque Sanctus præparavit fabricavitque in igne amoris, sicque nobili arte beatissimæ Trinitatis in unam massam redegit, quod jam nostro Salvatori Jesu Christo optime aptatur, tantumque pretium acquisivit, ut inde cœlestis Pater de Filio suo unigenito majus

etiam recipiat gaudium. Quod et fieri necesse est; quamvis etenim æterna Divinitas absque initio, omnes delicias omneque gaudium in se habeat, et nunc et in perpetuum habere debeat, sic tamen singulari disponit voluntate æterna, ut Unigenitum cum omnibus quæ illum subsequuntur cum gaudio velit contemplari.

Postquam Jesus Christus suum novissimum judicium exercuerit, suamque cœnam ministraverit atque compleverit, tunc a Patre suo cœlesti illam accipiet in magno honore coronam, simulque omnes in corpore et anima, qui magno labore ad æternas pervenerunt nuptias; sicque unusquisque in corpore et anima in hac corona suam agnoscet dignitatem.

Elaboratur corona in hac terra magno quidem dispendio, non vero argento aut auro aut pretiosis gemmis, sed humano labore, humano fletu, sanguine atque sudore, omnibus etiam virtutibus, ac novissime per durissimam mortem.

Angeli quidem in hac corona non apparent, quia ipsi non sunt homines; verum ad hanc coronam Deum dulcissimo cantu laudabunt. — Primus chorus sic decantat : Te, Domine, laudamus, propter tuum primordiale connubium, unde provenerunt isti omnes qui in tua sunt figurati corona. Secundus chorus : Te laudamus, Domine, cum fide Abrahæ et ardenti desiderio prophetiisque omnium Prophetarum. Tertius chorus : Te laudamus, Domine, cum sapientia et pietate omnium tuorum Apostolorum. Quartus chorus : Te laudamus, Domine, cum sanguine et patientia omnium tuorum Martyrum. Quintus chorus : Te Domine laudamus, propter sanctam orationem et christianam doctrinam omnium Baptistarum et Confessorum. Sextus chorus : Te laudamus, Domine, cum pœnitentia et constantia omnium Viduarum. Septimus chorus : Te Domine laudamus, cum castitate omnium Virginum. Octavus chorus : Te Domine laudamus, cum fructu Matris tuæ et Virginis. Nonus chorus : Te laudamus, Domine, propter sanctam mortem tuam, et gloriosam post mortem vitam tuam, et propter largam omnium donorum atque bonorum effusionem, qua tu, Domine, nos exal-

tasti et laudabiliter ordinasti. Te laudamus, Domine, cum tuo igneo amore, quo tu nos in unum coadunasti.

Supra coronam pulcherrimum agitatur vexillum, quod unquam in hoc imperio visum fuerit, nempe sanctæ crucis, in qua Christus mortem passus est. Crux in quatuor oppositas partes vergit: pars inferior jucunditate ornatur, sole clarior. Sed et ante et subter crucem nutant erectæ columnæ, Agni sanguine tinctæ, quasi flosculis clavis decoratæ, qui Dominum nostrum pupugerunt. Supra vero arborem crucis pendet pulcherrima imperialis spinarum corona regni, cujus florent spinæ, ut lilia rosæque, jucundo cœlestique colore. Hoc est coronæ vexillum, quo Jesus Christus triumphans ad Patrem suum redivivus reversus est.

Statim vero post ultimum diem in æternis nuptiis, ubi nova fecerit omnia Deus, manifestabitur hæc corona, supraque humanitatis caput Domini nostri dependebit ad honorem laudemque beatissimæ Trinitatis, omniumque Sanctorum perpetuam exultationem.

Humanitas Domini nostri est quædam fidelissima ejus æternæ divinitatis imago, ita ut per humanitatem divinitatis apprehensionem, beatissimæ Trinitatis perfruitionem habeamus, incomprehensibilemque divinitatem amplecti ac osculari valeamus, quam nec cœlum, nec terra, infernum nec purgatorium capere aut frenare unquam prævalebunt.

Æterna deitas apparet et lucet, ac jucundat omnes beatos qui ipsi præsentes sunt; sic gaudent sine labore, et usque laudant sine ullo cordis dolore. Domini nostri humanitas salutat, jucundat diligitque incessanter carnem suam suumque sanguinem, licetque ipsa jam neque caro neque sanguis sit, nihilominus tanta intercedit fraterna cognatio, quod ille ut suam humanam speciali prosequatur amore naturam necessarium habet. Spiritus item Sanctus suam amantissimam effusionem largitur, beatisque propinat unde plenius bibant, sicque cum lætitia decantent, delicate arrideant, tripudientque disciplinato modo, ac effluant, et innatent, evolent item et de choro in chorum ad regni supremam altitudinem ascendant. Ibi in speculo divinitatis voluntatem et operationem vident beatissimæ Trinitatis, necnon suimetipsorum in corpore et in anima formationem, in qua perpetuo remanere

debent. Anima quidem in corpore hominis effigiem præfert, divinam vero in se habet apparentiam, et per corpus quasi lucidum aurum per purum crystallum translucida est: unde beati tantum læti facti sunt, et liberi, et agiles, validi et amabiles, clari Deoque similes, quantum ad hoc capaces esse possunt. Inde feruntur, prout libuerit, ultra mille milliaria, ut nec mentis uno cogitatu longius res expediatur. Probant quousque se illud extendatur; verum ad regni hujus fines usque nunquam pervenient, nec spatiorum largitatem aut aureas vias attingent, quippe quæ sint super omne protensa, nec mensuram recipiant. Non autem hæc aurea, verum æternaliter auro gemmisque pretiosiora, quæ terra sunt et ad nihilum redigentur.

Nunc ad finem coronæ veniendum est: Spiritus Sanctus hujus coronæ extremas fabricat partes, nempe usque ad novissimum diem, cujus laboris a Patre Filioque recipiet mercedem, animas scilicet omniumque corpora, quæ in regno Dei congregata fuerint. In his obtinebit Spiritus Sanctus requiem æternam, et absque intermissione salutabit, jucundabit quodcumque per Dei amorem bonum factum vel futurum est. Quidquid pro Deo reliquerint vel passi fuerint, in corona efflorescet. Eia! qualis corona! Eia! quis mihi dabit ut hujus coronæ parvus flosculus efficiar, quales sunt infantes vix nati, qui minimi huic coronæ flores insunt! Si prolixius locuta sum, prolixitatis causa sit animi gaudium in hujus coronæ contemplatione immorantis, quamvit res multas brevibus expedierim verbis. Unde sic me sæpe alloquor: Ut quid, vilis munde, allatrare pergis? Tace et obmutesce, quando illa quæ sunt maxime amabilia silentio tegere coacta sum.

## II. QUOMODO IN DIE ANIMARUM QUIDAM PRO ANIMABUS IN COMMUNI ORAVIT.

In die omnium animarum cum sancta Christianitate orabam pro animabus communiter, quæ in purgatorio pœnas suas exsolvunt, tuncque cognovi purgatorium, quod velut fornax quasi extrinsecus nigra, intrinsecus vero flammis plena vide-

batur ; cumque introspicerem, vidi qualiter in his flammis starent, quasi palearum manipulus ardentes. Tunc adfuit mihi quasi magnus Angelus, a quo rogavi unde tantum ad exteriores partes eniterentur animæ, cum pro ipsis a piis hominibus oratio fieret, quædam revera exeuntes, pleræque vero exire non valentes. Et ille quem interrogaveram mihi sic respondit : Quando super terram degebant , noluerunt his qui se in necessitate deprecabantur subvenire. Tunc miserta anima mea illarum potentiæ ac dignitatis ad cœlum exclamavit : Domine Deus, utinam cum his in ardore et cruciatibus ibi adessem , quo citius ad te venire possent ! Tunc ostendit se Dominus mihi illum esse Angelum qui mihi astabat, dixitque : Vis-ne illuc intrare, tunc ego tecum intrabo. Apprehensamque animam intro duxit ; anima vero cum Domino ingressa nullum dolorem experta est. Interrogavitque quam multi ibi essent ; respondit vero Dominus : Illos numerare non posses ; hi sunt enim pro quibus orasti, cum adhuc in terris viverent.

Tunc quemdam inveni pro quo ante triginta annos orare consueveram ; unde non parum fui turbata, quoniam huic orationi me dederam, tantumque dominum tanta orare præ mea vilitate reformidabam. Attamen hanc unam emisi vocem : Eia , dilecte Domine , vis-ne illas liberare ? Et ecce una sublatæ sunt in magno amore, jucunditate, nive candidiores, paradisumque in dulci clara petierunt deliciositate, ubi cum gaudio requieverunt. Cum autem ex igne tollerentur, omnes cantabant psalmum : *Laudate pueri Dominum*; cui subjungebant : Te laudamus, Domine, propter magnam tuam bonitatem, ac donorum tuorum suavitatem, tuique auxilii fidelitatem.

Attamen adhuc remanebat Dominus in loco ignis, animam circumplectens , quæ dixit : Eia, Domine, tu scis quod desidero : nempe ut pedibus nostri Domini prostrata, condignas ipsi referret gratias. Tunc illam dimisit Dominus, ipsique ista gratias egit pro illo quod sibi daretur magnam contemplari gloriam quæ a Deo pauperibus facta fuerat animabus. Et in ejus pedibus invenit rosea nostræ redemptionis vulnera , rogavitque : Domine, da mihi benedictionem tuam. Dixitque Dominus : Te benedico cum meis vulneri-

bus. Quod fiat mihi, Deique ac meis amicis. Sed proh dolor! non ex meis laboribus ita provenit, siquidem in sancta Christianitate multi sunt multo meis digniores.

### III. QUAM UTILE SIT HOMINI COR SUUM IN HUMILITATE SINE INTERMISSIONE SCRUTARI.

NEMINEM tam bonum scio cui non sit necesse ut cor suum sine intermissione scrutetur, agnoscatque quid intra se habitet, atque sæpissime reprehendat omnia opera sua. Quod cum humilibus verbis debet fieri; docuitque me vox Domini me nunquam aliquid boni fecisse quod non adhuc melius facere potuissem. Et hæc est mea reprehensio qua nostram imbecillitatem arguere debemus: Eia, vilissima creatura, quamdiu tuam inutilem consuetudinem vis in quinque tuis sensibus hospitari? Nostra pueritia in stultitia, juventus in tentationibus pertransiit, quas quomodo superaverimus Deus scit. O væ! mea provecta ætas mihi nimis heu! culpanda est, utpote in operibus quæ videntur valde inutilis, ad gratiam frigida; ad hæc impotens effecta est, quippe quæ illud juventutis non retinuerit quo divini amoris ignem ferre valeat; impatiens insuper effecta, ne minimum quidem de quo juventus non curaret dolorem suffert nisi magno supplicio, licet bona ætas libenter perduret exspectando, solique confidat Deo.

Ante septem annos turbata anima cujusdam provectæ ætatis personæ de his miseriis querulabatur Domino, cui respondit Dominus: Tua pueritia mei Sancti Spiritus fidelis comes exstitit; juventus tua meæ est sponsata humanitati, tua matura ætas est meæ divinitatis matrona. Heu, Domine, quid prodest canem latrare, dum paterfamilias dormit, fur domum ejus effodit. Puri tamen cordis oratio nonnunquam excitat istos morte sopitos peccatores. Væ! peccator, quam deflendus es, qui tui ipsius occisor inveniris, bonorum omnium destructor atque etiam tuæ utilitatis. Vir bonus magnum habet profectum; cum enim alium in vanitatem et in peccatum videt incidere, tum a longe circa se respicit, ne in

similem deveniat necessitatem. Sic melior efficitur qui jam bonus est, ex his quæ male fiunt, bona autem opera libenter imitatur. Qui vero malus ad pejora trahitur, cum mala exempla videt : sicque est malus, quod bona opera, bonosque homines contemnit, suam præ cæteris attollens perversam sapientiam.

Meus dilectus magister, qui me simplicem, stultam illum docuit librum, hunc etiam manifestavit sermonem : Quidquid egerit homo, cum ipse non veritate constat, ne illi intime confidas. Inimicum quemdam agnosco, divinæ veritatis in corde hominis eradicatorem, qui, si accessum non denegatur, cum hominis libero arbitrio falsam veritatem ipsi in corde scribit, dicitque : Ego sum natura iracundus ac infirmus. Verum tu nequis coram Deo de hoc te cum dignitate excusare : nam ex gratia mansuetus, validusque fieri debes. Non habeo gratiam. Ergo deficiente gratia ad Deum gratiæ recurras, humilibusque cum lacrymis, constantique oratione in sancto desiderio illi supplicare debes, sicque necesse est ut iræ vermis pereat. Tu tibi ipsi fortitudinem indere debes, unde nulla te possit superare cum dolore potentia, sive ex Deo sive ex quolibet alio sit ; sicque ad nihilum redactus erit vermis qui granum radit. Si etenim iram imperfectionemque nostram cum Deo superare et evincere voluerimus, tentationes quæ ad peccandum nos provocant secreto silentio tegamus, sanctamque exterius hilaritatem præferamus.

Nos miseros ! quamdiu ira tenemur, nil boni nobis inest, et quoties tunc ad cor redimus, de culpis nobis erubescendum est, adeo vires fregit iracundia, carnemque nostram contrivit ; sicque multum nobis utile tempus perdidimus , quo Deo servire debuissemus. O væ ! hæc est perditio æterna ; atque iterum væ ! cum peccaminosas gemens recordor lacrymas, quæ in superbienti funduntur iracundia. Tunc obscurior fit anima ex eo quod tanto tempore nihil boni recte perfrui homini permissum est.

Quæ autem ex pœnitentia profluunt lacrymæ, sanctæ et piæ sunt ; quas si fundere potuerit magnus etiam peccator, ad infernum nequaquam, modo perseveraverit , deveniet æternum. Si quis pius levia quotidiana peccata sua relinquere quamdiu vita conceditur noluerit, neque talia cum

moritur, confessus aut detestatus cum dolore fuerit, quantumvis sanctus inveniatur, ad acres purgatorii ignes deputabitur; nam, quantumvis misericors Deus sit, tantum etiam justus, et quibusque peccatis infestus est. Existimo tamen ibi amorem semper immoraturum esse, in tenebris bonos nunquam futuros esse, itemque libenter humilitatem ibidem permanere.

## IV. DE VIRGA DOMINI.

POSTQUAM ad claustrum venissem, non multo inde tempore elapso, adeo sæva infirmitate fui visitata, ut inde compassione Domnæ meæ valde afficerentur. Tunc dixi ad Dominum: Dilecte Domine, quid vis ex hac pœna? Tunc ita respondit Dominus: Omnes viæ tuæ sunt mensuratæ. omnia vestigia tua numerata; vita tua sanctificata est, finis tuus lætus erit, et regnum meum tibi multum proximum est. Domine, cur vita mea sanctificata est, cum tam parum facere valeo boni? Dixitque Dominus: Sic vita tua est sanctificata, quod virga mea a tergo tuo numquam desistet, *Te Deum laudamus*, quod tam bonus est Deus!

## V. CUR MONASTERIUM QUODAM TEMPORE LACESSITUM EST.

DEBENT illis secreto benefacere quos in necessitate positos perspexerint, nam bonum quod inde aliquis accipit nolo ad monasterium habere. Hæc est glosa. Quisque juxta dignitatis suæ officium misericorditer illis benefaciat quos scit in necessitate degere.

## VI. DE CAPITULO, ET QUOMODO CONSIDERARE SUOS DEFECTUS ILLOSQUE DEPLORARE DEBENT; DE DUOBUS AUREIS NUMMIS SCILIC ET DE BONA VOLUNTATE ET DESIDERIO.

QUICUMQUE hanc habet cognitionem, queruletur et lacrymetur mecum. Quando electi Dei filii ad Dominicum corpus accedunt sancteque illud accipiunt, ego in ferventi recollectione Capitulum meum debeo intrare. Tunc occurrit mea indignitas me tangens ; occurrit et desidia mea quæ me culpat; occurrit animi levitas, mihique instabilitatem meam objicit; occurrit et vilitas inutilis vitæ meæ, et turbat me; tunc occurrit timor Dei et flagellat me; indeque tamquam miser vermiculus super terram irrepo, et sub herba mearum multimodarum negligentiarum quotidianarum me abscondo, residensque ad cœlum sic exclamo : Eia piissime Deus ! concede mihi ut hodie gratiæ tuæ particeps efficiar, quam nunc electi tui acceperunt. Et respondit Dominus : Accipe duos nummos aureos, qui ejusdem sunt ponderis, et inde emas, nam æque multi quidem sunt pretii, et æque boni. Heu ! dilecte Domine, quomodo mea vilitas tuam posset æquare bonitatem, cum sim nihil, quo tibi redonare honorem valeam ? Nihil habeo quod te condeceat, nec aliquid ex mundo spero in animæ meæ consolationem, adeo dejecta miserabilisque sum effecta, quodque tamdiu concupivi hoc frustrata sum. Dixitque Dominus : Cum bona voluntate ac sancto desiderio quodcumque velis poteris ex æquo solvere.

## VII. QUOMODO QUIS DEO OMNI TEMPORE UNIRI DEBET.

HOMINEM Deo sine intermissione uniri, hæ sunt cœlestes deliciæ super omnem mundi voluptatem. Quomodo vero illud fiet? In omni nostra operatione sine intermissione conversari debet nostrum desiderium, omniaque opera nostra in christiana fide confessioneque divina indesinenter scrutari

debemus, ne sint unquam inutilia; sicque in omnibus nostris operibus Dominum laudabimus propter opera sua, quæ unquam in terra operatus est pro amore nostri. Unde ipsi in terrenis suis operibus per cœlestem uniemur amorem. Post hæc spiritualiter illuminati, Dominum Deum nostrum laudabimus pro universis quæ largitus est donis, pro corpore et bonis, pro amicis et propinquis, et pro omni terreno delectamento quod appetere possumus. Item illi gratias agemus pro suis ex misericordia donis, quæ nobis tam in corpore quam in anima contulit; sicque cum Deo in dulci charitate et humili gratitudine unimur. Exinde omnia Dei dona in nostro corde comprimamus, tunc amore abundare incipit, nostrique sensus aperiuntur, tamque clara fit nostra anima ut in Dei cognitionem inspiciamus, eo scilicet modo quo quis in speculo suam imaginem intuetur. Sic Dei voluntatem in omnibus operibus nostris agnoscimus, illamque veneramur diligamusque, in severis ut in consolatoriis donis, atque ita nobiscum agi gaudemus, quia fit sine peccato, quod dolere atque detestari debemus, nam illud nimis odio haberi non potest. Ibi in ipso terræ regno uniti cum Sanctis in cœlorum regno efficimur, qui de Dei voluntate maxime gaudent in cœlis.

Nescio quomodo innotuerit inimico Deum mihi illam dedisse cognitionem in nocte, cumque illi in magna dulcedine juncta essem, iste pessimus adfuit, meque confidenter allocutus illudere volebat. Ejus vocem carnalibus auribus percepi, spiritualibus vero oculis formam vidi nigram, horridam, crudelique similem homini. Attamen illum minime timui; siquidem cum donum Dei animam habitat, et in sensibus luctatur, in ejus præsentia non potest corpus reformidare. Si vero corpus inutilibus operibus occupetur, et iste adveniat, tunc tanta corpori fit miseria ex tali præsentia, quod similem in terra nunquam sum experta.

Igitur sic mihi est locutus: In nocte somniabam me divitem esse multaque possidere. Innuens nempe mere somnium esse has delicias, hanc sanctam animæ cum Deo unionem; verum domna corporis, scilicet anima, illi respondit: Mentiris. Et ille: Ita, sicque, quandiu Deus vivet, faciam. Anima: Attamen cum doctus sis, dic mihi quid

agam? Tunc prompte respondit diabolus: Tu gaudere debes, et hanc rem magnam cum magno animo ferre. Anima: Sed heu! ego tam parvus sum adhuc clavi uncus, ut per acus foramen omnes meos inimicos ad valvas januæ cœlestis patriæ meæ affigere possem. Diabolus: Nimis circumsepta es. Anima: In tuis verbis agnosco tuam falsitatem, ambiguitatem, vanam gloriam atque fastum. Ascendat solidus murus circum me usque ad nubes, nunquam tamen ab inimicis meis liberum securumque erit cor meum. Tunc remansit stans tremensque coram me. Heu! quam horrida mihi videbatur ejus falsitas. Postremo caput sibi vellens, ira fremens hinc exsiliit.

## VIII. QUALITER HOMO QUÆRAT DEUM.

Cum Deus homini alienus fieri voluisset, tunc ille Dominum quæsivit et dixit: Domine, abysso profundior est pœna mea, mundo largior cordis mei molestia, montibus altior timor meus, stellisque sublimior desiderans ardor meus; verum in his nusquam te invenire possum. Cum autem in hoc luctu defleret anima, illi adfuit dilectus suus, pulchro similis juveni, pulchritudine quæ verbis exprimi non potest. Et licet se illa abscondisset, tunc cecidit ad pedes ejus salutavitque ejus vulnera tam dulcia, quod suæ pœnæ atque ætatis omnino est oblita; sed cogitabat intra se: Heu! quam vis ejus vultum libenter aspicias, ad ejus vulnera te dejicere debes; et quamvis libenter ejus verba ardensque desiderium audias, stare debes vestita decorataque sub moderationis disciplina. Et dixit: Bene venias, dilectissima. In hac voce recognovit quamlibet animam quæ devota Deo servit, ipsi dilectissimam esse. Et ille: Tibi parcere debeo in utraque fruitione, mea et tua. Quæ fruitio est ineffabilis. Accipe hanc coronam virginum. Tunc ab ipso venit corona, capitique meo repausavit, quæ quidem quasi purum aurum fulgebat; duplexque erat, cum esset etiam amoris corona. Dominusque dixit: Hanc coronam oportet coram omni exercitu cœlesti manifestari. At illa sic rogavit: Domine,

vis-ne animam meam accipere, ut ego sacrum corpus tuum accepero? Respondit : Tu ditior adhuc eris pœnas sufferendo. Domine, quid hic debeo in hoc claustro facere? Tu illuminabis et docebis et cum ipsis in magno honore vives. Tunc sic secum cogitabat : Eia, nunc tu sola hic es cum Domino. In qua cogitatione duos vidit sibi adstantes Angelos, qui sicut terreni principes erant conspicui præ pauperibus hominibus. Illaque dixit : Quo modo nunc me abscondam? Responderunt : Te de pœna in pœnam, de virtutibus in virtutes, de cognitione in cognitionem, de amore in amorem portabimus. Quod talia miseræ peccatricis os possit et debeat loqui, mihi gravissimum est; nec tamen hoc de Deo omittere audeo, ac propter obedientiam, hominum despectui perseveranter, Deique timori omnibus diebus vitæ meæ subjici debeo.

## IX. QUALITER AMANS ANIMA DEUM LAUDET CUM OMNIBUS CREATURIS.

Amans anima nunquam laudis satiatur, indeque cunctis in semetipsa in suo desiderio collectis quæ creavit Deus clamat ad cœlum : Domine, etiamsi essent omnes hæ personæ tam perfectæ, tamque sanctæ quam tua benedicta mater Maria, si possibile illud esset, attamen mihi pauperi ut plenam tibi cum Unigenito tuo laudem tribuere valeam non sufficerent. Domine, numquid ad plenum potes laudari? Non, et inde gaudium est mihi. Tunc respondit Dominus : Virgines, qui diu mihi servierunt, me laudabunt.

## X. QUOD SEQUITUR TEMPORE ADVENIT QUO MAGNA ERAT INORDINATIO ET NECESSITAS.

Cum Dominum pro belli necessitate mundique multimodis peccatis orarem, ita respondit Dominus dixitque : Peccati fœtor me tangit, a terrenis abyssis usque ad cœlum ascendens. Si possibile esset, inde me ejiceret. Jam quidem e cœlo me expulerunt peccata, cum me humiliavi, mundoque

usque ad mortem meam servivi; nunc autem ita non debet fieri; nunc enim ex peccatis justitiam ædificabo meam: — Dilecte Domine, quid nos miseri nunc facere debemus? Respondit: Sub manu minanti Dei omnipotentis humiliemini, illumque in omnibus operibus vestris timeatis. Volo equidem adhuc populum a necessitate liberare, nempe illos qui amici mei sunt. Communis oratio cor meum satiat. Quid enim intime sentiam, optime novi: spiritualium hominum orationem libenter audio, qui me ex corde diligunt. *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri. Regnum mundi. Eructavit cor meum. Quem vidi. Gloria Patri*, etc.

Domine, cœlestis Pater, suscipe famulatum laudemque tuam a tuis turbatis filiis, populumque tuum a præsenti libera necessitate, omnibusque nos absolve vinculis, exceptis solis amoris vinculis, quæ nunquam a nobis tollenda sunt.

## XI. QUALITER DOMINUS OPERARIO SIMILIS VISUS EST.

Ostendit mihi Dominus similitudinem quam in me adimplevit, et nunc adhuc implet. Vidi pauperem quemdam et terra erigentem se, vilibus pannis quasi operarium vestitum. Cavam manum præferebat, in qua quoddam onus terræ simile repositum erat. Tunc dixit: Vir bone, quid portas? — Ego porto, inquit, tuam pœnam. Converte tuam voluntatem ad pœnam, illamque tolle et porta. Et anima: Domine, tam paupercula sum effecta, ut nihil possideam. Dixitque Dominus: Sic docui meos discipulos cum dicerem: *Beati pauperes spiritu*, id est, si quis libenter aliquid ageret, sed actu non prævalet, hæc est spiritualis paupertas. Anima: Numquid tu es, Domine? Vultum tuum ad me converte, quatenus te possim agnoscere. Dixit Dominus: Agnosce me intrinsecus. Anima: Licet inter mille te viderim, optime te agnoscam. Quamvis enim intra cor meum me ad accessum sollicitasset, non tamen audebam illi me jungere quasi vere Dominus esset. Dixique: Dilecte Domine, hoc onus nimis mihi grave

est. Respondit : Illud juxta me sic volo disponere, ut tu quam facillime ferre valeas. Tu me sequere, et considera quomodo ante cœlestem Patrem stem in cruce sicque perseverem. Et illa : Domine, da mihi tuam benedictionem. Tibi indesinenter benedico; boni consilii erit pœna tua. — Domine, sic omnibus succurre qui libenter pro te patiuntur.

## XII. QUALITER VANÆ GLORIÆ ET TENTATIONI RESISTITUR.

Quando quis de se boni quidquam existimat, statim ex secreto cordis angulo exsilit vana gloria, cum quadam peccati voluptate, ut per quinque sensus diffundatur. Tunc vero debet ille mentem suam coercere, animamque continuo humilitatis timore intra se cædere, seque sanctæ crucis signo signare, moxque ab ipso recedet tentatio, quasi nunquam adfuisset; quod ego miserrima sæpe sum experta. Nec dissimili ratione agendum est, cum malæ circumvolant cogitationes, quæ et ipsæ sanctæ crucis virtute evanescunt, cum ex his tristitia in animo exsurgit.

## XIII. QUOMODO IN PERSONA PEREGRINI DOMINUS VISUS EST.

Ego paupercula et indigna, memet abrenuntians, illa quæ in Deo vidi et audivi loquor. Quadam nocte vidi Dominum in similitudine cujusdam peregrini, qui quasi totam per Christianitatem circumerrasset videbatur. Tum ad ejus pedes corruens dixi : Dilecte mi peregrine, unde venis? Respondit : Ex urbe Jerusalem (significans Christianitatem), et ex meo ejectus sum hospitio. Gentiles me ignorant; Judæi me nolunt, Christiani me impugnant. Tunc oravi pro Christianitate. Postea excusare se cœpit Dominus de injuria quam ex Christianis passus fuerat, allegans, quam multa his ex initio contulisset bona, quantum pro Ecclesia laboravisset, quodque adhuc quotidie locum in

ipsa investigaret, in quo gratiam suam effundere posset. Tunc querelas ingeminans, exclamavit Dominus : Ex hospitio cordis sui per suum liberum arbitrium expellunt me; verum si nullum in eo invenio locum, illos in suo libero arbitrio stare permittam, et cum morientur, quales tunc invenerim, tales ego judicabo. Tunc oravi pro Congregatione : Dilecte Domine, ne illos perire permittas; in illorum cœmeterio lumen ponam, ex quo seipsos poterunt cognoscere.

## XIV. DE ELECTIONE ET BENEDICTIONE DEI.

Alia nocte cum in oratione mea essem cum magno desiderio, absque ullo dubio novi Dominum adesse. Stabat in cœmeterio, coram se habens totam Congregationem, eo ordine compositam quo quis ad claustrum venisset. Sicque ad illas est locutus : Ego vos elegi, vos eligite me; multum vobis dare volo. Et dixi : Domine, quid vis illis dare? Respondit : Volo illas perspicuum in terra facere speculum, ita ut quicumque voluerint, in his suam vitam cognoscere quæ sit debeant. In cœlis vero lucidum illas constituere speculum, ita ut qui illas conspexerint, quomodo ego illas elegerim clare agnoscant.

Tunc extendit Dominus dexteram, deditque illis suam benedictionem dicens : Vos benedico cum meipso; vos me in omnibus cogitationibus velitis. Hi quidem qui Dominum in omnibus cogitationibus suis volunt, sunt illi beati qui Dominum recte laudant. Tunc dixi : Illæ modum quo te viderim nosse cupiunt. Respondit : Inter ipsas quædam sunt quæ me noverunt.

## XV. QUALITER HOMO QUI AMAT VERITATEM ORARE DEBET.

Qui veritatem amaverit, sic libenter oret : Eia dilecte Domine, fave mihi atque subveni, quatenus te indesinenter cum omnibus sensibus meis, in omni re pie

quæram, quia præ cæteris quibuslibet te Dominum elegi, et præ omnibus principibus te animæ meæ sponsum consecravi. Da mihi etiam, Domine, ut te in omni desiderio meo, cum accenditur rursusque extinguitur, semper inveniam. Item peropto ut te frui cum fluenti amore omnium tuorum donorum valeam. Tua exuberantia reple os meum, Domine, qua mihi quælibet pœna, despectio, amaritudo dulcescere queat. Ex tua gratia illud semper mihi fiat, piissime Deus, nuncque illud serva mihi. Item me adjuva, Domine, ut te semper observem in omnibus meis voluntatibus juxta tuum beneplacitum : sic nunquam exstinguetur in me tui flamma amoris. Amen.

## XVI. QUALITER HOMO DESIDERAT ATQUE ORAT.

Cum quis supra omnia dona omnesque pœnas, præcipue desiderat animam suam a Deo beato fine solvendam, dicit Dominus : Expecta me. Et ille : Dilecte Domine, in vanum nolo meum desiderium erogare, adeo tecum libenter essem. Dicit Dominus : Tuum habeo desiderium, antequam mundus inciperet; te desidero, et tu desideras me; cum autem duo ardentia utrimque desideria conveniunt, tunc perfectus est amor.

## XVII. COGNITIONIS CUM CONSCIENTIA COLLOQUIUM.

Cognitio sic alloquitur Conscientiam : Quantum tibi despectionis atque vexationis infertur, licet tamen stas pura ante Deum !

*Conscientia* : Domna Cognitio, bonum verbulum dixisti : qui suos omnes perpendit errores, debet humile cor habere.

*Cognitio* : Domna Conscientia, tam pretiosum speculum est tibi, quod sæpius in die te intime potes intueri; illud quidem esse debet vivens Dei Filius cum suis omnibus operibus; alioquin adeo sapiens esse non posses.

*Conscientia* : Domna Cognitio, quando [1] me intueor, simul mihi bene est atque male : bene quidem quia Dei fluens bonitas ad me dirigitur; male vero, quia tam parva in bonis remaneo operibus.

*Cognitio* : Domna Conscientia, in omnibus Dei voluntatem et gloriam propriæ tuæ commoditati tam animæ quam corporis præponis; tu diaboli infernus, Dei vero cœlum es; quis jam tibi potest comparari?

*Conscientia* : Domna Cognitio, quodcumque accepi a Domino, in me hoc proposito ille recondidit, quo suam inde laudem et gloriam promoverem, simulque meam utilitatem; quoniam vero hoc illi restituere debeo, ejus maxime gratia egeo.

*Cognitio* : Domna Conscientia, admodum ex mundi peccatis vulnera pateris, nec etiam spiritualium hominum tibi parcit imperfectio; ex suo libero arbritrio sibi possunt eligere ad cœlum vel ad infernum pergere, aut etiam in longo purgatorio durare; hoc tibi onus gravissimum.

*Conscientia* : Domna Cognitio, non equidem queror me vexationes multaque dura quotidie sustinere; mundi peccatorum tantum me pœnitet quantum meorum ; pœna quidem corpus a peccatis mundat animamque in Deo sanctificat ; sic nos in ejus mandatis volumus cum jucunditate stare.

*Cognitio* : Domna Conscientia, qui sunt benevoli inter mundi divites, Deo offerunt bona sua atque eleemosynas; spirituales homines in ejus servitio suam carnem atque sanguinem,et ante omnia offerunt in obedientia propriam voluntatem, quæ oblatio majoris ponderis, majorisque pretii est.

*Conscientia* : Domna Cognitio, atqui illa non sufficiunt; si enim Dei fruitionem in sublimi habere, corona humilitatis et puritatis, castitatis ingenitæ vel acquisitæ, insuperque amoris sublimis necessaria est. Hoc vestimentum ipsa defert beatissima Trinitas : nempe, Pater amoris sublimitatem; Filius humilium puram castitatem, quam omnibus suis electis communicavit, Spiritusque Sanctus amorem igneum in nos, ac nostra bona opera.

1. Hic in codice Einsidelnensi aliqua desunt verba.

*Cognitio* : Domna Conscientia, constantia in bonis, est laborans amor, quo nemo carere debet, si cum Deo possidere cupiat maximam gloriam hic et in suo æterno regno. Beatus ille qui ad illum hic jam diligenter nititur.

## XVIII. COMMENDATIO SEPTEM HORARUM DOMINI NOSTRI PASSIONIS.

### *In Matutinis.*

O ros abundans nobilis Deitatis ! O delicate flos dulcis Virginis! O formosi floris utilis fructus! O cœlestis Patris oblatio sancta! O fidele mundi redemptionis pignus, Domine Jesu Christe ! Suscipe hos tuos sacros Matutinos in honorem et gloriam tuæ egenæ nativitatis, tuæ extremæ necessitatis, tuæ sævæ passionis, tuæ sanctissimæ mortis, tuæ gloriosæ resurrectionis, tuæ speciosæ ascensionis, ad tuæ omnipotentis gloriæ laudem et honorem. Memento mei, dilecte Domine, ut in omnibus factis,omissis, vel toleratis meis, tuam sanctam compleam voluntatem, ad bonum finem, ad beatissimæ Trinitatis honorem; simul idem omnes qui in tuo nomine tui meique sunt amici.

### *Ad Primam.*

O misera despectio, o anxietate plenus dolor, quibus mortificatum fuit Domini tui corpus, et cor dulcissimum ! Adjuva me, Domine carissime, ut omnem despectionem meam, omnemque cordis anxietatem in tuo amore debeam et valeam deplorare, quatenus hoc tibi in tuam æternam gloriam complaceat, meque in perpetuam deducat felicitatem.

### *Ad Tertiam.*

Grave pondus, miserandum onus, quod nos fuimus, quos cum cruce portasti, Domine ! Et nos modo supra omnem nostram necessitatem porta in vitam æternam.

*Ad Sextam.*

Cruenta pœna, vulnus profundum, dolor immensus ! Ne permittas, Domine, in meis pœnis me perire. Amen.

*Ad Nonam.*

O beatissima pœna ! o sanctissima mors ! o deliciosissimum cœlestis Patris speculum ! Jesu Christe, manibus pedibusque cruci pendens ! Tibi commendo, Domine, animam meam in suo ultimo fine, ut tecum in sempiternum indesinenter unita fiam, sicut tibi cœlestis Pater erat et nunc est unitus. Hoc mihi concedas, et omnibus te fideliter diligentibus. Amen.

*Ad Vesperas.*

O amoris alligata effusio ! o fidelis cordis effusio ! O nobile corpus, quod pro me occisum est ! multum dilecte Jesu Christe ! Te oro ut mei quinque sensus sine intermissione possint velintque de cruenta lancea, de tui dulcissimi Cordis vulnere semper gaudere, necnon mea misera anima pariter æternum mihi gaudium interne moveat, illique ibi sint mecum pro quibus christiane orare debeo atque desidero. Amen.

*Ad Completorium.*

O sancta omnis humilitatis profunditas ! O donorum omnium piissima largitas ! O gloriosa omnis amoris sublimitas, amor omnium, Jesu Christe, in quo ferventer tuum oras Patrem cœlestem ! Adimple nunc, Domine, erga nos tuam orationem ; sanctifica nos in veritate ; nobisque omnis humi-

litatis profunditatem concede, qua cunctis creaturis subjici optemus, quoniam resistunt creaturæ illi qui non agit sicut et nos. Da nobis, Domine, omnis dulcedinis largitatem libenter in omni nostra ordinatione adimplere per tuam charitatem; itemque nobis illam tui amoris tribue sublimitatem quæ nos in te puros, et a cunctis terrenis immunes conservet. Amen.

## XIX. DE NOSTRÆ DOMINÆ SALUTATIONE.

Ave, Domina, dilectissima Maria, quæ es beatissimæ Trinitatis deliciæ.

Ave, etc. quæ est omnis nostræ felicitatis initium.

Ave, etc. quæ es sanctorum Angelorum consors in et in regno Dei.

Ave, etc. flos Patriarcharum; Ave, etc. spes Prophetarum; Ave, etc. candidum lilium humilium Virginum. Memento qualis tibi venit ex ore Gabrielis salutatio; animamque meam in hora novissima saluta meque cum gaudio inturbatam transfer ex hoc exilio ad lætitiæ patriam, in qua filii tui dilecti requiem inveniam.

Ave, Domina, dilectissima Maria; docta sapientia Apostolorum; Ave, etc. rosa fulgens Martyrum; Ave, etc. munus Confessorum; Ave, etc., auxiliatrix Viduarum; Ave, etc. gloria omnium filii tui dilecti Sanctorum. Ora pro me, ut in omnibus meis operibus sanctificer cum illis, in quantum tam miseræ possibile est, o Maria, Imperatrix mea.

Ave, Domina, dilectissima Maria, refugium peccatorum; Ave, auxiliatrix et spes desperatorum; Ave, consolatrix omnium Christianorum; Ave, terror malorum spirituum; istique namque per te effugantur, quos a me, dilectissima Domina, procul constringe, ne unquam gaudeant de me, ego autem in tuo servitio constanter perseverem.

## XX. QUALITER AVE MARIA NOSTRÆ DOMINÆ COMMENDATUR.

Ave cœli Imperatrix, Mater Dei, meaque præcordialiter dilecta Domina; suscipe, Domina, conserva tuum Ave ad laudem et gloriam, in delicioso conspectu Patris et Filii et Spiritus Sancti, quod tanta deliciositate vultui virgineæ matris apertum revelatumque adstat, omnis beatitudinis plenum. Eia, Domina, hujus gocum omni meo desiderio, omnibusque precibus meis meminerim. Omnis mea pœna, necessitas, cordis molestia, meus honor, mea anima, novissimorumque meus finis, quando ab hoc lamentabili discedam exilio, illa, inquam, cuncta tuæ maternæ fidelitati sint commendata; tuæ virginali gloriæ, tuæ matronali bonitati sine intermissione commissa; insuperque illi omnes mecum qui tui meique in nomine Dei omnipotentis sunt amici. Præcordialiter dilecta Domina mea, nobilis imperatrix, Maria!

## XXI. QUALITER SUUM COR HOMO DEBET VISITARE ANTEQUAM AD DEI MENSAM ACCEDAT.

Me doceri cupitis, cum ego ipsa indocta sim; siquidem quod nunc postulatis, millies in vestris libris invenire potestis.

Quando ego misera illuc vado, corpusque Domini nostri accipere debeo, tunc animæ meæ faciem in speculo peccatorum meorum considero. Tunc me video qualiter vixi, et nunc vivo, et qualiter adhuc vivere volo; quo in peccatorum meorum speculo nihil quam væ et iterum væ reperio. Tunc ad terram prosterno faciem meam, gemitus lacrymasque ciens quam plurimos, quod ille æternus, incomprehensibilis Deus adeo sit bonus, ut se cordis mei ad impurum inclinet pulverem. Sic igitur recogito justitiæ magis fore consentaneum ut corpus meum ad patibulum tamquam fur traheretur, quia suum legitimum dominum ex illo projecit puritatis thesauro, quem in sacro baptismate mihi Deus contulerat.

Illud ergo deploremus, quamdiu in hac vita sumus, nos sæpissime hunc paternum tenebris offuscasse, quo culpam nobis, Domine, dimittas affectum; si quis vero quoddam peccatum nec confessus est, nec etiam vult confiteri, ille corpus Dominicum non accipiat. Deinde in veram spem me verto, Deoque gratias ago, quod illud unquam fieri possit, me miseram ad divini corporis sumptionem esse admittendam. Ideo ad Dei mensam cum gaudio accedere volo, ipsumque cruentum Agnum suscipere, qui in sancta cruce voluit pendere, per quinque sua vulnera non alligata sacrum effundens sanguinem. Bene nobis quod ita factum est! In ejus sancta passione volo omnia mala mea reprehendere. Sic igitur eamus cum gaudio, et præcordiali amore, inhiantique anima Dominum nostrum suscepturi, præ omnibus cæteris qui nobis sint cari dilectissimum, illumque in anima nostra tamquam in dulci curru deponamus, illi gloriam et honorem decantantes, quod hoc primum necessitatis sustinere voluit, cum in præsepio reclinatus est. Coram illa jam mente sensibusque prostrati, gratias agamus amori nostro, dicentes: Domine, tibi de teipso gratias refero, et nunc te rogo, multum dilecte, ut jam pure absque omni peccato vivam. Ubi nunc, Domine, ubi te reponam? Quod habeo hoc tibi do. In lectulo meo te reponam, qui totus est pœnarum; verum quando tuam recogito miseriam, meæ utique jam oblita ero. Tu mihi, Domine, reclinatorium amoris præbebis; cervical est mei cordis molestia, ex quo non sum omni tempore ad accipiendum tua pœnalia dona parata; de quo nunc tota doleo. Lecti stragulum est meum desiderium, quo sum involuta; quod si tu vis me quiescere, tunc meam comple voluntatem, peccatores mihi concede, qui capitalibus peccatis obstricti sunt; sic animæ meæ dabis gaudium et exsultationem.

Nunc, Domine, quid de amore colloquemur, cum in lectulo pœnæ meæ tam vicini pausamus? Te, Domine, recepi, tamquam super terram ex morte resurgentem. Dilecte cordis mei amor, jam animum meum consolare, ut tecum indesinenter munda perseverem, cum tanta inde sequatur felicitas. Animas quæ pro culpis purgantur da mihi, Domine; hoc mihi pretium redemptionis pluris æstimandum est.

Nunc ergo, cum te recepi, Domine, jam in cœlum ascen-

disti; ne, quæso, nimium mihi, dilectissime, parcas. Præ amore mori debeo, alio non poteris, Domine, me compescere modo: Da mihi, Domine, vel a me aufer quodcumque volueris: hanc unam mihi concede voluntatem ut ex amore in amore moriar. Amen.

## XXII. LAUS CŒLESTIS PATRIS.

Bene sit mihi! Te, Deus, laudo propter omnem tuam nobilem bonitatem, qua tu me ad tuum sanctum famulatum elegisti. Mentem meam sanctifica, quatenus omnia tua dona intima in fervore suscipiam, tecumque in gaudio semper persistam.

## XXIII. LAUS FILII.

Bene sit mihi! Tibi gratias ago, Dei imperialis Fili, majoresque semper gratias agam, quod me in mundo ex mundo suscepisti. Tua sacra pœna, mea est, quam pro me passus es. Quæcumque et ego passa sum, tibi in vicem reddere volo, quantumlibet inæqualia sint; ex hoc tamen libera mea fit anima. Conserva me in tuo obsequio, quo in æternum lauderis. Jesu, mi dilectissime, vincula mea solve, ut possim juxta te remanere.

## XXIV. DE FLUENTI AMORE.

Bene sit mihi! Gratias tibi ago, Sancte Spiritus; hæc est enim fides mea te unam esse beatissimæ Trinitatis personam. Tuus exundans fons amoris omnem cordis mei evertit molestiam, utpote suaviter ex beatissima exiens Trinitate. Te oro, Domine, Sancte Spiritus, ut me ab omni malignitate malorum spirituum per tuum divinum amorem sic præserves, ut quidquid in me quæsierint, minime reperiant.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XXV. BEATISSIMÆ TRINITATIS SALUTATIO.

Ego omnium virtutum egena, in mea substantia vilissima, volo et audeo tamen altitudinem, claritatem, delicias, sapientiam, nobilitatem, mirificam unitatem salutare beatissimæ Trinitatis. Inde siquidem omne profluxit, absque ullius imperio, quod fuit, quod nunc est, quod unquam erit. Illuc reditura sum et ego; quomodo autem hoc fiet? Debeo equidem iterum repere, ut multis debitis subjecta; debeo per bona opera meliorari; in multa diligentia currere, cum pennis columbæ evolare, scilicet, virtutibus, bonis operibus, sanctaque mente. Super omnia et supra me ipsam me sustollere debeo; tuncque cum exhaustis viribus defatigata inventa ero, rursus huc pervenero. Quomodo vero jam suscipiar oculus hominis non vidit, auris hominis non audivit, os hominis nunquam exprimere potuit. *Gloria tibi Trinitas!*

## XXVI. QUALITER AD DEUM IN TENTATIONE SIT CONFUGIENDUM.

Domine Jesu Christe, ego hominum pauperrimus te supplico, tuumque auxilium desidero, cum me persequantur inimici mei. Domine Deus clamo ad te, quia me a te volunt separare. Domine, omnipotentis Dei unigenite, ab istis separa me; in illorum potentiam ne tradas me, meque puram in te custodi, qui per tuam passionem me redemisti. Esto nunc mihi auxilium ac solatium, neque me, Domine, permittas perire, qui pro me mori voluisti. Domine Jesu Christe, a somno suæ acediæ excita animam meam, et sensus meos a tenebris carnis meæ illumina; da mihi ut a te per vagantes vias meas ad te sine peccato perducar, in quantum sit homini possibile, quia oculis tuis mea delicta non sunt incognita.

Maria Mater Dei, cœlorum imperatrix, sis nunc mea auxiliatrix, quia, heu! sum nimis peccatrix, ut gratiam ad

tuum carissimum Filium inveniam. Mater omnis castitatis, tibi defero omnem mei pœnam cordis. *Salve Regina.*

## XXVII. QUALITER SPIRITUALIS HOMO COR SUUM RETRAHIT A MUNDO.

Quando spiritualis homo cognatos, carissimosque sibi amicos ornatu vestituque ad mundanam formam decoratos coram se intuetur, tunc armis Sancti Spiritus se instruat, ne sic cogitet: Et tu similiter facere potuisses. Ex hac enim cogitatione in ejus cor et sensus quasi tenebræ ascenderent, quasi non præpararentur ad Deum, ejusque animus ita labefieret ad sanctam orationem, ejusque anima tam a Deo aliena redderetur, ut tunc cognatos quos habet in mundo quam seipsum licet spiritualem pluris faceret. Si vero purus cum Deo stare velit, certamen ineat; tunc enim ejus obtenebratur conscientia, quæ est lampas Spiritus Sancti, quando lumine jam non fulget hujus Sancti Spiritus.

Ubi enim accensa fuerit lampas, hujus ornatus tunc perspicue agnoscitur. Sic de spirituali homine, cui in animo omnia frigent mundi ornamenta, modo pulchram et ardentem suam lampadem servet. Si vero mundo cor ejus se aperit, frangitur lampas, insufflantque avaritiæ aquilonares venti e regione cognatorum nostrorum sæcularium, quasi nobis multum querantur se nimis parum istius pulvisculi possidere, in quo tamen infeliciter detruduntur, et in peccatorum suorum undis suffocantur. Tunc exstinguitur lampas, mundique nox nobis supervenit. Tunc a meridie oritur ventus quidam, scilicet, mundi falsa voluptas, pulchra specie, sed multa redundans amaritudine; quod si in hac nobis complacuerit, æternum tunc patimur damnum; a quo cavere studeamus, cum in hoc nullum sit peccatum tam parvum, quod nostræ non inferat animæ æternum damnum. Cur? Nunquam fuit tam secreto peccatum commissum, quod non melius fuisset omissum. Ideo constanter timendum nobis est, ne cum Deo simultatem geramus. Quod enim Deo dederimus, ab ipso iterum tollere sine nostro gravi damno non

possumus, nam quod suum erat illi vere dedimus. Piscis in aqua rubeo colore fulgidam magna perspicit aviditate prædam qua illum capere volunt; verum hamum non videt: sic mundi circa venenum, cujus latet damnum.

Tu vero si recte converti velis, aspice tuum sponsum, omnis mundi Dominum, quam pulchre vestitus adstet : pelle vestitus, cruore fulgidus, colore nigro, virgis variatus, columnæ astrictus, ubi pro tuo amore tam amara suscepit vulnera.

His in cor accessum concedas, quatenus mundi fallaciam vitare queas; quod si ultra progredi sancta cogitatione peroptes, attolle oculos, et in cruce pendentem considera, alto deputatum supplicio, ante omnium oculos sanguine profluentem. Cujus habitus cor tuum sibi devinciat : ejus imperiales oculi lacrymis suffusi, Cor dulce amore effluens; vocem vero auscultare, te Dei amorem bene docebit : necnon malleorum strepitum et ictum, qui illum manibus pedibusque cruci affigunt. Item recordare vulnus lanceæ quæ per latus ad intima cordis pertransiit; de quo tua omnia defleas peccata, atque sic Dei notitiam percipias. Nunc acutissimam quam in capite defert coronam considera; illam præ omnibus osculare, magnamque inde voluptatem fruere; hujus recordare qualiter pro tuo magno voluit amore mori. Sic nemo te decipiat, sic in ejus æterno regno regina esse poteris; hic pugna, hic vince cum lætitia omnem mundi amaritudinem.

## XXVIII. DE PERICULO CUJUSDAM BELLI.

Mihi quam maxime enixe commendatum est ut pro necessitate quæ nunc in Saxonia et in Thuringia urget, orarem. Cui cum laude et magno desiderio intenderem, me tamen suscipere Dominus recusavit, inque severo permansit silentio, quod dies quatuordecim sustinere in amorosa patientia debui. Tunc dixi ad Dominum : Eia, dilecte Domine, quandonam aderit placita tibi hora in qua volueris et ego debuero pro hac necessitate deprecari? Et ostendit se mihi, dixitque Dominus : Qualis matutini multis coloribus jucunde fulgens aurora, tales sunt pauperculi qui varia neces-

sitate nunc urgentur; sed post ortum æternæ claritatis, in æterno sole, cum magna lætitia post hanc necessitatem fulgebunt. Sic enim sanctificati et clarificati erunt ut sol, cum lætus ad orientem exsurgit, et ad summum inde ascendit cœlum. Sunt quidem in hoc exercitu nonnulli qui nonnisi necessitate atque metu compulsi, ex mea voluntate captivi vel corporibus soluti, ad me pervenire poterunt. Qui sunt belli causæ, hi ex se detestabiles et in operibus crudeles, qui etiam meæ divinæ domus imagines impetunt. Quos, ut optime scio, manet æterna perditio. Qui vias latrociniis infestantur, nisi bellum esset, ut fures et falsi homines reputarentur; ita mali bonos beatos efficiunt; verum hoc modo per ærumnas suas Deus ad se trahit, quos aliter lucrari non posset.

Sic de piis et devotis mihi locutus est Dominus, nec adhuc scio qualem hoc accipiat finem : hoc tantum pro certo scio me Dei amicos ex corde refecturam esse; hoc pro certo scio Dei amicos, licet multa sustinentes mala, in ejus oblivione nunquam esse venturos, verum in omni sua necessitate illum sibi auxiliatorem atque consolatorem experturos. Sic igitur militare et cum gaudio pati debemus, si coram Deo fulgere optaverimus.

## XXIX. DE QUADAM DOCTRINA.

Visne cor tuum ad Deum totum convertere? tunc de tribus edoceri debes : Ab omni peccato time, ad omnem virtutem alacri animo esto; in omni bono constans persevera; sic perduces ad bonum finem vitam tuam. Quod si hoc perficere eniteris, utique cum Dei auxilio adimplebis. Hic constans Deum deprecare, et omnem tuam molestiam suaviter sustinebis. Ora pure, Deoque diligenter famulare, sic multa ditaberis jucunditate.

## XXX. ORATIO QUANDO CORONAM VIRGINES ACCIPIUNT.

Accipe, Domine, sponsam tuam, illique cum puræ castitatis liliis cunctis diebus occurre.

Accipe, Domine, sponsam tuam, illique cum diligentis laboris rosis ad bonum finem usque occurre.

Accipe, Domine, sponsam tuam, illique cum profundissimæ humilitatis violis occurre, eamque ad tuum deduc thalamum, ab amplexu omnis amoris tuo nunquam separandam.

## XXXI. DE QUADAM QUERELA.

Hæc est amantis animæ querela, quam sola non potest sustinere, sed omnibus Dei amicis edicere debet, ut amoris servitio consentiant. Amoris ægritudo, corporis molestia, pœna, necessitas, duraque constrictio, iter nimis elongant qua ad dilectum Dominum tendunt. Quomodo etenim, dilecte, tamdiu te frustrari potero? heu! nimis procul a te remaneo. Numquid, Domine, querelam meam recusas? Ergo, in luctum meum rursum redibo, expectans patiens, simul tacens et loquens. Optime scis, dilectissime Domine, quam libenter demorer apud te: *Dominus noster:* Quando venero, magnus veniam. Non adeo magnum erit malum quod non bene sanare valeam. Tu me exspecta, te magis paratam invenire volo, antequam ad Patrem meum deducam, ubi majus te manet complacitum. Nunc vero libenter ad aures resonat tua amoris querimonia.

Quando obscurior fit humanus sensus, tunc cum querela excitemus divinum erga Dominum nostrum amorem.

## XXXII. QUOMODO BONI HOMINIS OPERA CONTRA DOMINI NOSTRI OPERA LUCENT.

Quomodo boni hominis opera in cœlesti gloria luceant et fulgeant, sequentibus indicatur verbis.

Si in hac vita innocentes fuerimus, in nostra lucebit fulgebitque Dei innocentia.

Si hic in bonis operibus laboraverimus, in nostro sancto labore lucebit fulgebitque Dei sanctus labor.

Si vero hic erga Deum intimo fervore accensi fuerimus, Dei ipsius sanctus fervor multipliciter in nostro lucebit fulgebitque fervore.

Si pœnas hic cum gratiarum actione susceperimus, et patienter toleraverimus, item Dei pœna in nostra fulgebit lucebitque.

Si etiam omnes hic virtutes cum diligentia exercuerimus, tunc Dei sanctæ virtutes in nostris fulgebunt lucebuntque cum multiplici honore; semper in æternum hoc accrescet.

Si tandem in sancto amore hic ardentes sancta clarueri-mus vita, tunc Dei amor in nostra anima nostroque corpore indesinenter fulgebit lucebitque nunquam exstinguendus.

Hi mutui oculorum respectus ex æterna deitate fulgent; hæc bona opera ex Dei sancta accepimus humanitate; illaque perfecimus in Sancti Spiritus plenitudine. Sic igitur nostra opera vitamque perspicimus in beata Trinitate. Ibi manifestum erit, qualiter hic nobis res steterit, et quemadmodum hic secreto in divino amore vixerimus, ibi in sublime cum deliciis feremur, nobisque pro mercede amoris potestas condonabitur, qua quodcumque voluerimus perficere valebimus, et Sanctis cogniti sic erimus, ut fuerimus, qua ipsis sociari debebimus. Amen.

## XXXIII. DE POTU SPIRITUALI.

Infirma sum, salubremque anhelo potum, quem ipse Jesus Christus potavit, cum Deus et homo in præ-

sepe venit, potumque jam sibi paratum potavit. Ex quo tam plene hausit, ut inde amore ebrius factus fuerit, et in omni virtute cunctam sui cordis intulerit molestiam, quæ virtutibus illud contulit ut semper bonæ et absque infirmitate essent.

Salubris potus me delectat : potus est pœna pro Dei amore, quæ si amarior videtur, hac radice temperatur : pati libenter. Alia vero superaddi potest radix, nempe, patientia in pœna, quæ et ipsa amara invenitur. Huic alia item injicitur, quæ vocatur sanctus fervor, quo patientia omnisque nostri labor dulcoratur. Tertia radix est in pœna diu vitam æternam nostramque salutem expectare. Multam adhuc retinet amaritudinem, ad quam temperandam alia sumitur radix : cum gaudio indefatigabiliter.

Eia, dilectissime Domine, vis-ne mihi hunc potum propinare? tunc cum gaudio indefesse in pœna potero vivere. Etiam regno cœlesti, quantumvis dulce sit ejus in me desiderium, aliquandiu volo carere. Nunc illud juxta tuam dilectissimam, Domine, mihi concedere debes voluntatem; hisque etiam qui illud per tuum exoptant amorem.

## XXXIV. DE SPIRITUALI ESCA.

Post amarum potum, dulcior exquiritur esca. Ascendens desiderium descendensque humilitas, necnon diligens charitas, tres virgines ad cœlum animam sustollunt; coramque Deo reponunt, dilectumque suum perspicit. Igitur sic loqui incipit : Domine, ego doleo te ab his qui in terra carissimi tui sunt, nempe christiani, tam acriter impugnari. Domine, querimoniam gero, quod tui amici a tuis inimicis adeo sunt impediti. *Dominus :* Cum isti sint recte in se boni, quodcumque ipsis supervenerit præter peccatum, in deliciis consumunt ad veri Dei manifestationem. Unde etiam pœna clara voce proclamat : super omne Dei servitium mihi cedunt, quia homo secundum Dei voluntatem inconsolatus est, si secundum propriam voluntatem accipit consolationem. Dei quidem voluntas omnino pura est, nostra

vero ex unione carnis multos defectus sustinet. Quicumque enim valde in intimo diligunt, extra tranquilli apparent, quia omnis exterus labor interiorem spiritum impedit, et quæ intus spiritus decantat, omnem cantum excedit terrenum.

Patientia quidem omni Angelorum choro suavius cantat, quippe qui nullam patientiam exerceant, cum nullam pœnam sustineant. Hoc ex Domini nostri accepimus humanitate, cum omni insuper gloria qua in terris a Deo glorificamur, et postea in cœlis exaltabimur. Ex nobili labore, sanctaque Domini nostri passione, noster christianus labor, bonæque voluntatis pœna nobilitantur, eodem utique modo quo aquæ omnes ex Jordane, in quo Dominus baptizatus est, sanctificantur.

Eia, dilectissime Domine, succurre nobis, quatenus nostrum sanctum desiderium nunquam resideat, nostraque profunda humilitas nunquam ad superbiam se extollat, et fluens sancti amoris Dei flamma hic sit purgatorium nostrum, quo peccata omnia nostra eradicitus exterminentur.

## XXXV. DE SEPTEM PSALMIS.

Dilectissime Domine Jesu Christe, hos septem psalmos ad laudem et gloriam omnium tuarum pœnarum lego, cum in cruce mori voluisti pro meo amore.

Dilectissime, te deprecor, quando tempus veniet quo mandatum tuum in me per meam mortem explere volueris, ut ad me sicut fidelis medicus ad suum filium venire digneris; mihique tunc concede sanctam inquisitionem, quatenus rectis sensibus, et vera christiana fide me intus præparem.

*Domine ne in furore.*

Te rogo, dilectissime Domine, ut tunc mihi sicut carissimus amicus in necessitate adesse velis, sicque mihi veram afferas requiem ut peccata mea sint intus omnino eradicata, et inde ab isto corpore imperturbata remaneam.

*Beati quorum remissæ sunt.*

Exoro te, dilectissime Domine, ut tanquam fidelis CONFESSOR ad carissimum amicum, ad me venire digneris, verumque mihi tunc lumen afferas, tui Sancti Spiritus donum, quo me intus videam atque cognoscam, et omnia ex intimo corde defleam peccata, in hac tamen spe sancta, quod a cunctis culpis absolvar, puraque inveniar. Inde præbe mihi tuum proprium corpus, quod tunc, dilectissime, cum majori amore suscipiam, quem unquam cor humanum habere potuit. Jam vero mecum remaneas, tamquam meæ exulis animæ viaticum, ita ut, multum dilecte, ego tibi socier in æternum amorem. Amen.

*Domine, ne in furore.*

Rogo te, Domine dilectissime, ut tamquam fidelis FRATER ad caram sibi sororem advenire digneris, afferasque mihi sanctam armaturam, qua mea fiat parata anima ad inimici accusationes repellendas, quatenus de suo omni quem in me consumpserunt labore confundantur.

*Miserere mei Deus.*

Oro te, dilectissime Domine, ut velis ad me venire, tamquam fidelis PATER ad carissimum filium, tuearisque tunc finem meum. Et si tunc meum os peccati nulla proferre nequit verba, ergo loquatur intus anima mea, quatenus a te solatium accipiat pariter et tutamentum, ut læta, non vero turbata efficiatur: hoc te oro, Domine, per tuam dulcissimam misericordiam. Amen.

*Domine exaudi orationem meam.*

Oro te, Domine, ut tunc ad me mittere digneris tuam virgineam MATREM, qua non possum defraudari, ut ipsa meum longum expleat desiderium, meamque pauperculam animam ab inimicis custodiat illæsam.

*De profundis clamavi.*

Oro te, juvenis dilectissime, Jesu, puræ virginis fili, ut tunc ad me venire digneris, ut omnium dilectissimus SPON-

sus, atque mecum sic agas ut solent nobiles sponsi cum sponsas suas muneribus præveniant, ad latus tui amoris me accipias, tuique longi desiderii pallio me contegas. Me in æternum felicem, si tunc soluta fuero!

Hanc horam si mente frequenter perpendimus, tunc ad profundum superbiam omnem demittimus; et cum nobis faciem suam Dominus manifestaverit, speculum sibi optatissimum possidebit anima: hic vero magis ac magis querulor, in terra rem nunquam secundum meum desiderium se habere potuisse.

*Domine exaudi orationem meam, auribus percipe.*

## XXXVI. DE SPIRITUALI CLAUSTRO.

A Domino desideravi fore ejus voluntatis mihi patefacere ut amplius jam non scriberem. Cur? Quia nunc me magis vilem et indignam agnosco, quam ante triginta annos fui, magis etiam quam cum illud incipere debui.

Tunc ostendit se mihi Dominus manu gerens sacculum, dixitque: Nonnullæ adhuc mihi radices supersunt. Et ego: Domine, aio, has radices non cognosco. Respondit: Tu bene cognosces, primum ut illas videris. Sunt quidem infirmi recreandi, sani confortandi, mortui excitandi, boni sanctiores efficiendi. Post quæ vidi spirituale claustrum quod virtutibus erat ædificatum.

*Abbatissa* est charitas vera, cujus sancti sunt sensus multi per quos diligenter Congregationem in corpore et in anima custodit, totum ad Dei gloriam; ipsique multimodam sanctamque erogat doctrinam, quatenus in omnibus Dei fiat voluntas. sicque propriam in libertate servat animam.

Charitatis, seu amoris, *capellana* est divina humilitas; quæ semper amori subjecta, arrogantiam aliam sequi cogit viam.

*Priorissa* est sancta pax Dei, cujus beneplacito patientia præstatur, ut Congregationem sapientiam doceat divinam; et ad quodcumque se vertat, hoc ad Dei gloriam fiat.

*Subpriorissa* est amabilitas, quæ parva colligit fragmenta, scilicet minores defectus, et cum benignitate annihilat; quæ

æquanimiter nequit sufferre ut aliquis male se habeat, sed cupit ut melior per Deum homo fiat.

*Capitulum* quatuor constare debet : primum ut manifestetur sanctitas quæ Dei servitio inhæret; deinde labor qui libenter sustinetur, quo magna inimico infligitur pœna, Deo vero accedit gloria, quapropter in anima multa redundat lætitia; a vana gloria ibidem caveatur, multo magis proximi honor quæratur; diligenter servitium expleatur, præmiumque Deo æquale inde meretur.

*Cantrix* quæ est spes, sancta humilique devotione repleta, in cordis deficientia, coram Deo cantus tam suaves intonat, ut notæ Deo complaceant quæ in corde intimo resonant. Quicumque cum illa cantat, non secus in cœlesti amore obtinebit cum ipsa præmium.

*Scholæ magistra*, quæ est sapientia, bona voluntate diligenter ignaros docet, quo multa claustro sanctitas et honor accedet.

*Celleraria* est in dono auxilii effusio, quod in divino erogat gaudio, indeque sanctum in divinis donis lucratur animum. Quibuscumque ab ipsa quoddam requirentibus satisfacit tribuitque semper absque querela, adeo in ejus cor effluunt suavia Dei dona. Qui vero illi sunt in adjutorium, eadem sibi dulcia conquirunt dona.

*Cameraria*, quæ est mansuetudo, semper bona voluntate in ordinata benefacit mensura; quod vero non habet, per bonam voluntatem supplet, quod est Dei speciale donum. Quod si quibus datum fuerit, cum intimo affectu gratias Deo retulerint, cor tamquam ex nobili potu in puro scypho inde jucundatur.

*Infirmaria*, quæ est diligens misericordia, hanc semper famem patitur, ut indefessa infirmos curet, adjuvans, mundans, refocillans, atque lætificans, consolans et quasi carissimos sibi delicate et amanter tractans. Quæ a Deo hanc recipit mercedem, ut semper illud libenter peragat; et idem auxilianti ei a Deo conceditur.

*Ostiaria* est vigilans custodia, quæ bono animo in omni gestu quodcumque sibi demandatum est implet; cujus labor et opera non perit, quippe quæ ad Deum venire semper parata sit, statim ut hoc ipsa rogare voluerit. Cum illa quidem in tranquillo manet Deus silentio. Si vero ex cordis molestia

querulatur, quod aliquid grave interdum sibi imperatur, alleviat omne sancta obedientia, cui tunc cum gaudio remanet subjecta.

*Disciplinæ magistra* quæ est sancta habitudo, semper ut cereus ardeat, in cœlesti libertate nunquam extincta, sicque omnem suaviter cordis molestiam, usque ad sanctum finem sustinebimus.

*Præpositus* est divina obedientia, cui reliquæ subjiciuntur virtutes, quatenus in Deo stare claustrum valeat. In hoc claustrum qui concedere voluerit, cum divino gaudio usque permanebit, nunc et in vitam æternam. Bene sit illis qui in ipso perseverant!

## XXXVII. DE ÆTERNIS NUPTIIS BEATISSIMÆ TRINITATIS.

Quicumque ad æternas beatissimæ Trinitatis nuptias se in vero amore voluerit præparare, jam nunc incipiat: primum cœlestem Patrem sequatur illique serviat incessanter cum sancto timore, necnon cum humili in omnibus humilitate. Deinde Filium ejus item sequatur illique cum pœna et patientia, voluntariaque paupertate in sanctis laboribus famuletur. Similiter Spiritum Sanctum in spe sancta præ omni verbo sequatur, hilarique corde menteque suavi illi famuletur; sic in eo spiritus bonitatis redolebit.

Puræ vero diligentes Virgines, ultra procedere atque sequi debent nobilem juvenem Jesum Christum, puræ Virginis filium, quem sic diligant, quasi duodevicennis sit, et virginibus ideo maxime pulcher et amabilis videatur. Quem quidem delicioso et delicato prosequuntur affectu, in fulgenti suæ mundæ conscientiæ candore. Juvenis vero virtutum carpit flores, ex quibus pretiosa fit corona quæ in æternis nuptiis semper feretur.

Expletis vero nobilibus epulis in quibus ipse Jesus Christus ministrare voluit, valde sublimis ordinatur chorea. Illic quisque corpore et anima suarum virtutum defert coronam, quas utique sancta devotione exercuit multimodas. Et inef-

fabili voluptate Agnum sequuntur, e voluptate ad amorem, ex amore ad gaudium, ex gaudio ad claritatem, ex claritate ad potestatem, ex potestate ad altissimam procedentes sublimitatem, ubi stant ante cœlestis Patris oculos; et ille suum Unigenitum salutat, simulque omni sponsæ secum advenienti dicit bene:

Eia, dilecte Fili, quod tu es, et quod ego sum, et quod hæ sunt, nunc gaudeo. Dilectissimæ sponsæ, magis semper gaudete; in æterna mea gaudete puritate; nunc mittite omnem miseriam omnemque dolorem; vobis ipsi mei Angeli ministrabunt; vos Sancti mei honorabunt, materque mei Filii jam cum laude in suam se præparat societatem recipere. Gaudete, carissimæ sponsæ; vos omnes Filius meus amplexabitur, suaque penetrabit divinitate; vos Spiritus Sanctus in lætissimis semper, secundum vestram voluntatem, deducet deliciis. Quid amplius vobis potest fieri? Ego vos ipse intime diligere volo.

Quæ vero puræ virgines non sunt, his tantummodo adsistunt nuptiis easque contemplantur, et in quantum ipsis est possibile, his etiam fruuntur.

Et ego postquam in brevi hora hæc animæ oculis et aure vidi et audivi, rursus pulvis et cinis, ut antea, fui.

## XXXVIII. QUALITER SPIRITUALIS HOMO PECCATA SUA QUOTIDIE AGNOSCAT ATQUE DEFLEAT.

Ego homo peccator, tibi confiteor defleoque, Deus, omnia mea peccata, quorum ante oculos tuos reus invenior.

Item confiteor defleoque omnia bona quæ neglexi opera. Peccata illa etiam confiteor atque defleo quæ commisi ignorans quod essent peccata, et illa pejora, quæ mente conscia cum malitia, acedia aut vanitate commisi. Miserere mei, Domine, quia mihi vere sunt dolori; mihique tuam omnem securitatem redde, certiorans omnia mihi esse jam dimissa, alioquin in hac vita gaudere nunquam possem.

Jesu, dilectissime mi Amator, mihi veram requiem in

te et in præcordiali amore ad te accedere concede, neque me unquam permittas refrigescere; ita ut in meo corde et in mea anima, in meis quinque sensibus, et in omnibus membris cordialis tui amoris suavitatem persentiam, et ita nunquam refrigescam.

## XXXIX. QUALITER DIABOLI INTER SE RIXANTUR, AGITANTUR, SE INVICEM DENTIBUS ET UNGUIBUS LACERANT, QUANDO AMANS ANIMA TRANSIT EX HOC MUNDO.

FELICEM bonum hominem, quod natus est, qui cum omnibus virtutibus secutus est Deum, illas in quantum potuit perficiens! Ejus anima in amoris pace, cum ultimus finis advenerit, requiescet; tuncque accedentes Angeli sancti, illam puram cum immenso amore accipient, ad cœli delicias cum gaudio deducentes, anteque ipsum Deum cum magna laude sistentes. Infernales inimici vero, qui et ipsi huc advenerint, sibi perire omnem laborem et operam sentient, qui cum odio et crudelitate accesserant; cum autem minime secundum suam voluntatem rem vertisse viderint, quantum tunc sese verberant et exagitant! quantum sese dentibus et unguibus dilaniant! quantum ululant et rugiunt! pœnam sævissimam quam ab infenso suo domino sunt reportaturi metuentes, quod ista sunt defraudati anima. Sicque invicem conviciis impetunt: Miserrime, tua culpa est. — Tace tu, commilito. Illam nunquam in magna inveni impatientia, et cum malas suggererem cogitationes. sibi sociam semper adhibebat pœnitentiam; cum enim quis confugit ad confessionem, omnem nostrum tollit honorem; majores numero erant nostri socii quibus fuerat commendata. Quomodo vero nunc ad aulam remeare nostram? O væ, here, væ, nobis quid intendisti, cum talem nobis demandasti? Grave in ea peccatum non potuimus invenire, licet multoties tam vehementer tentaverim, ad lacrymas statim confugientem, nec ego solus, sed omnes mecum consortes nec ad casum impingere valuimus.

Per lacrymas me expellebat, per suspiria mihi crines et unguiculos ustulabat, huic accedere mihi vetitum erat. Tantum in illa prævalebat obedientia ut mihi interdiceretur ejus vel minima societas ; unde factum est ut magno nostro detrimento, jure optimo, a nobis sit ablata, a qua per ejus opera amore divino flagrantia separabamur, quippe quæ omnia cum bona perfecit voluntate.

Sed ipse princeps sic loquitur : Cum detrimento et jactura ad aulam rediistis, cum istam vobis demandassem, pœna nunquam a vobis recedet, quam pro hoc vobis modo infligere volo. Apud istas non jam remanebitis, sicut ego libenter, si mihi in honorem res cessisset, permisissem ; verum multo magis ad inferni profundissima mecum detrudamini, ubi pœnitentia vobis est agenda. Ego volo altiores emittere magistros, ut bonorum cognitionem obcæcent ; nam si magnam quam ad Deum habent diligentiam infregerimus, nostrum omnem honorem recuperabimus ; illos juniores sequentur, nostraque gens in immensum inde accrescet. Mihi, o mihi una ex his animabus quæ amore Dei ardent, obveniat, illa meipsum coronari gauderem, longi laboris dignam existimarem esse mercedem, omnemque pœnam et dolorem ut suavitatem et dulcedinem reputarem !

Tu vero (Lucifer) hoc vile desiderium dimitte, nunquam enim in illo profecisti nec unquam proficies. Tibi malum et væ tantum erit ; omnes vero sanctæ animæ quæ in christianitate Deum in corde diligunt, illæ tantum amore infunduntur et penetrantur, ut virtutibus fulgeant, et in omnibus operibus amore flagrent. Bene novisti, tibi nullo modo bene rem tibi cessuram, quantumvis opera illa pervertas ; ægre enim animæ tunc expectant ut tempus adsit, quatenus Deo laudes reddant, et quantumvis ad ipsas tuis acceleras insidiis, ad laudem divinam invenies paratas.

Quantum vero fremat et tabescat dentibus et unguibus tunc etiam sæviat, verbis sensibilibus edicere impossibile est.

Domine Deus, gratias tibi agimus ; bonum nobis concede finem ; hæc est enim maxima quam beata possit anima possidere lætitia, cum videt et pernoscit inimicos suos sese invicem impugnare, pœnasque justas in inferno luere. Nam post multa sibi ab istis inflicta mala, his tandem cum gaudio

jam erepta est, æternamque feret coronam pro pœna quam ab ipsis passa est.

## XL. QUALITER AMANS ANIMA DOMINUM ALLOQUITUR.

Si meus quidem totus mundus esset, et ex puro constaret auro, et si insuper ibidem juxta votum semper remansura essem, nobilissima, pulcherrima, opulentissima imperatrix, id mihi nunquam satis esset; verum multo libentius ad Jesum Christum dilectum meum Dominum anhelarem, cuperemque in suo cœlesti regno intueri sedentem. Quantum patiantur experiuntur illi qui eum diu præstolantur.

## XLI. QUALITER VISUS EST FRATER ORDINIS PRÆDICATORUM.

Ante quadraginta annos quemdam noveram spiritualem (religiosum) virum; tunc quidem spirituales isti erant simplices et amore ardentes. Ille autem in spirituali vita et devotione proficiens, pro Domino multos etiam labores publice sustinebat. Nunc vero hinc jam decessit, ideoque pro ejus christiana anima rogavi Dominum, ut si aliqua adhuc esset in culpa, Deus ipsi remittere dignaretur. Tunc autem ante omnia vidi quamdam claritatem quæ ipsi a Deo parata erat, in qua cum illum nullatenus deprehenderem, inde non parum turbata fuit mea anima. Cum posthæc iterum pro ipso orarem, illum in nube ignea inveni, qui petiit aliquid sibi erogari. Igitur rogavi pro virili Dominum sic dicens: Eia dilecte Domine, fave mihi, quatenus bonum pro malo reddere valeam. Et ipse in nube erigens se dicebat: O Domine, quam prævalens est vis tua! quam recta tua veritas! Et ego dixi: Nunc vero, quidnam habes? Respondit: Hoc habeo, qualis videor. — Unde hæc tibi pœna? — Qui speciem sanctitatis præ se ferebant, innocentes apud me calumniati sunt, quod pro vero accepi, et hos inique et dure

habui, pro quo nunc pœnam hanc patior. — Eia, si unum haberem adhuc suspirium, minime hoc propter me sustinuisset, cum ipse etiam ex parte mihi ignovisset.

Tertia vero vice pro ipso oravi, et cum deliciis inde exivit. Cui occurrens Dominus dixit: Tuam viam post mortem fuisse tam longam tamque difficilem, in causa habeantur mali homines; tu quidem me sancte secutus es, mihique fideliter servisti; virginum coronam deferes, cum corona justitiæ et corona veritatis. Tunc duxit illum supra octo primos choros, et ad nonum statuit, ubi illum jam amplius videre non potui. Nisi illum falsi homines decepissent, ad cœlestia gaudia sine ulla pœna utique pervenisset; verum cum fidem istis tribuit, hoc ipsi in crimen fuit.

## XLII. DE MELLEO POTU.

Domine Deus, jam nunc bono fine tibi pretiosum thesaurum occlude, et deinde reclude, quatenus ad tuam laudem proficiat tam in cœlo quam in terra. Et vox quædam locuta est: Tu melleum debes servare potum, qui reperitur in densis sylvis ibi ego volo illum aperire; hoc etenim multi adhuc fruentur.

## XLIII. DE SIMPLICI AMORE, QUOMODO VISUS EST.

Qui cognoscere quidem volunt, parum vero diligunt, semper in bonæ vitæ initiis remanebunt. Nobis perpetuus inesse debet timor, utrum intus Deo placeamus. Amor simplicissimus, et parva cognitio, magnas res intra operantur. Sancta simplicitas omnem sapientiam medicans operatur; inducitque doctum ut coram ignaro sese inclinet. Et si cordis simplicitas in sensus sapientia immanet, hominis animæ multimoda accedit sanctitas.

## XLIV. DE QUINQUE PECCATIS ET QUINQUE VIRTUTIBUS.

In paupertate avaritia, in veritate mendacium, ad misericordiam desidia, ad præsentes indigna ludibria, in ordinatione... [1]. Illa quinque imperfecta, summopere spiritualem infirmant vitam. Veritas vero sine falsitate, mutua manifestaque affectio, timor in tribus timoribus (*sic*), secretus ad Deum amor in corde manifestus, ad quæcumque bona diligens animus; hæc quinque sanam servant spiritualem vitam.

## XLV. DE SEPTEM REBUS IN AMANTI DESIDERIO.

Septem proferre ad Dei gloriam me oportet : Domine Deus, si possibile est, hoc præsta mihi, ut illorum in terra nunquam obliviscar, quorum quinque in cœlis reperiuntur, alia duo in terra manent. Primum est offensa culparum quas commisi, vel cum a bonis operibus per negligentiam abstinui quæ peragere debuissem. Secundum vero, Domine, est expectatio continua tui, dum ad me venire velis, modusque quo mihi felicem exitum decrevisti. Tertium est irrequietum desiderium quod ad te habeo. Quartum, ignis amoris inextinguibilis pro te. Quintum, primus erit tuæ faciei nobilis aspectus, quo nunquam in terra juxta votum frui potui, unde clamat anima mea tam frequenter : O væ ! Sextum vix nominare audeo; obmutesco ut illud agnosco, vix nominare audeo, quippe quod ego in terra nominari nusquam audiverim : Hoc est amoris ludens diluvium quod a Deo in animam secreto manat, rursusque ab ipsa prout potest redundat. Quæ inter utrumque vigeat voluptas, nemo ab altero ediscere potest; quodque vicissim inter se operantur, in cujusque partem propriam invenitur. Quodcumque ille huc effuderit, ibi illi omne restituitur : Hic est cœlestis Dei amor qui in

1. Verbum aliquod in germanico codice deest.

terris parva omnino initia captans, in cœlis finem nec limites inveniet. Septimum, vix verbis perstringi, verum per fidem apprehendi potest quam magnum, quam altum, quam largum, quam deliciosum, quam nobile, quam lætum, quam opulentum! Beatus qui cum ipso æternaliter manebit! Aspectus jucundus omnis voluptatis plenus, sanctaque fruitio juxta votum omne, mirum in modum multiplices, et absque termino semper augustiores erunt, quia a viventi Deo profluent. Suavitas in desiderio, in fame deliciæ, in amore plenitudo, magis ac magis in animas defluent ex superabundantia Dei, suavissimam tamen retinebunt animæ suam famem, et sine molestia vivet.

## XLVI. QUALITER SE ANIMA IN PAUPERTATE SPIRITUALI HORTATUR.

Hic se anima in spirituali paupertate constituta hortatur, et in æterno amore ad Deum, et in irrequieto ardore ad ipsum, in suo discessu, atque ita loquitur: Ecce decrevit longa expectatio, (hoc est appropinquat) tempus futurum in quo Deus et anima ita uniti erunt ut nunquam separentur. Hæc quoties recogito, exultat cor meum præ gaudio. Eia dilecte Domine, quantum nunc siles! Te semper in mente habeo, tu vero tamdiu me fugisti; verum in æternum sit tua laudatio, quod tua voluntas, non autem mea sit facta. Nunc me conservare volo in tuis verbis quæ in christianitate audivi cum diceres: Ego diligentes me diligo. Ad eum veniemus, Pater meus et ego, et mansionem apud eum faciemus. Mihi ergo bene est, dilecte Domine, ex tua dulci misericordia, quam utique denegare potes. Tunc dixit Dominus: Cum tempus advenerit, in quo tibi dare volo dona cœlestia a me reservata et collecta, tunc multum velox ero; nam ex æternitate mea intus multa potuerunt asservari. Sed (nunc) volo animam magis dilatari, et ex illa sanguinea (?) terra elevare, quia nihil antiquius mihi fieri potest. Æternus amor ad Deum manet in anima, transitorius vero amor rerum terrenarum in carne habitat; super autem quinque sensus tantam vim habent ut ad quodcumque elegerint, vertere se valeant.

## XLVII. DE QUODAM PECCATO QUOD OMNI PECCATO PEJUS EST.

De quodam peccato audivi, Deoque gratias ago, quod hujus me consciam non inveni, adeo mihi præ omnibus aliis peccatis malum videtur, et hoc est summa incredulitas ; cui quidem ex toto corpore meo, ex tota anima mea, et ex quinque sensibus meis, et ex toto corde meo me infensam confiteor. Iterum gratias ago Jesu Christo, viventi Dei Filio, quod nunquam in cor meum venit. Hoc peccatum ab hominibus christianis non processit, verum per ipsum simplices vilis inimicus decepit. Hi nempe ad æternam divinitatem se tollere voluerunt, et juxta æternam sanctamque Jesu Christi Domini nostri humanitatem residere ; sed quando se ad illam celsitudinem se invenerunt, æternam maledictionem incurrerunt, et cum sanctissimos esse se vellent , quæ de humanitate Domini nostri scripta sunt, Dei verba in ludibrio habebant.

Tu miserrimus homo, si vere æternam cognosceres divinitatem, quod utique est impossibile, etiam cognosceres æternam humanitatem, quæ in æterna residet divinitate ; itemque Sanctum cognosceres Spiritum, qui humana illuminat corda, omnique redolet dulcedine in anima, et præ omni magisterio sensus docet hominis, quatenus ille humiliter, quidquid eloquatur coram Deo perficere possit.

## XLVIII. QUALITER AMOR VISUS EST CUM SUIS VIRGINIBUS.

Quadam nocte sic cum Domino sum locuta : Domine , in terra habito quæ vocatur exilium, scilicet isto mundo; quia ibi quidquid occurrit mihi neque solatium neque gaudium sine pœna potest afferre. Ibidem domum habeo, vere pœnosam, in qua gemit captiva anima mea, corpus meum : domum vetustam, angustam, tenebrosam. Quod spiritualiter intelligi debet. In hac domo habeo lectulum, nempe inquietudinem ; quia quodcumque ad Deum non

pertinet, me valde gravat et lædit. Ante lectulum est sedile, scilicet dolor, quem ex alienis peccatis quæ mea non sunt, concipio. Ante sedile ponitur mensa, quæ est displicentia, ex eo quod tam paucos reperio spirituales. Super mensa vero extenditur mensale mundum quidem, quæ est paupertas; et multa in se habet sancta bona; quæ si recte in usum veniret, jam ex corde acceptabilis esset; sed amor divitiarum paupertatem furatur. Super vero mensa appositus mihi est cibus, id est peccatorum amaritudo, cui additur labor libenter toleratus. Potus autem vix est aliqua laus, quia, me miseram! nimis exigua sunt mea bona opera.

Cum hæc intra me in tenebris perspicerem, subito se mihi manifestavit verus Dei amor, ut imperialis virgo apparens: nobili corporis forma, candido rubeoque juventutis florenti colore. Multas secum ducebat virtutes, quæ item quasi virgines videbantur, quæ mihi ad nutum famulabantur; omnesque libenter ad meum famulatum propensæ erant. Corona ejus puro pretiosior auro, vestisque quasi ex viridi (sandale) serico.

Cum illam recte intuerer, tenebrosa domus mea inde illuminata est, ita ut perspicue jam agnoscerem quidquid in ea esset, vel factum esset. Illam autem statim ut conspexi, bene agnovi, quippe quam sæpius, imprimis cum esset in meo comitatu, vidissem: de quo nunc, cum in hoc libro jam ista sint scripta, existimo esse silendum. Et dixi: Dilectissima virgo, tu millies altius quam ego exaltata es, nihilominusque mihi cum multa reverentia famularis, quasi imperatrice major essem. Respondit illa: Cum te in pura voluntate intellexi esse, ut quodcumque transitorium abjiceres, tua esse tantummodo domina nolui, sed etiam in perpetuum tua puella esse debeo, adeo me delectat cor purum quod per Dei amorem ab omnibus terrenis se resolvit. (Per quod significatur rebus terrenis, quantælibet sint, hominem ex corde agglutinari non debere.)

Virgo dilectissima, ex quo tanto tempore mihi famulata es, æquum est ut a miserrima licet domina nobilium virginum mercedem dignam accipias. Quodcumque in terra habui vel mihi provenit in mercedem tibi concessi. Et illa dixit: Et hoc omne sedulo collegi, tibique cum magno ho-

nore reconsignare volo. *Anima* : Nescio, domina, quid adhuc tibi dare queam; vis-ne animam meam ? illam tibi libentissime tradam. — *Amor* : Ego illam jam diu a te concupivi, et in novissimis mihi reservasti. Sed etiam meis loquere puellis, ut tibi diligenter serviant; sicque tecum in vera Dei dilectione manebo, quæ ego ipsa sum.

Et anima sic primæ virgini, quæ erat pœnitentia, locuta est : Domna vera *pœnitentia*, huc ad me venias, afferasque mihi sanctas lacrymas, quæ me absque peccato efficiant. Domna *humilitas*, hic resede juxta me, et repelle a me superbiam et vanitatem. Si enim te juxta me viderint, procul a me fugient. Carissima Domna *mansuetudo*, sede hic sub mea veste , sicque amoris dulcedo semper in promptu erit.

Eia nobilis *obedientia*, me tibi subjectam in omnibus operibus meis trado; tu vero nunquam a me recedas, quatenus in omnibus operibus meis divinam veritatem absque ullo mendacio, quæ Dei amicos perficit, conservem.

Dilecta Domna *misericordia*, mecum esto, sicque infirmis diligenter ministrabo, et quidquid expendendum fuerit, modo cum benevolentia et amore illis serviam, libenter sustinebo.

Eia carissima Domna *castitas*, tibi virginalem meam vestem commendo, ut semper munda permaneat, quia meus dilectissimus sponsus Jesus Christus omni tempore mihi adest.

Domna *patientia*, in silendo et supportando vim magnam habebo, si mearum tentationum vim abstuleris, ita ut mihi nullatenus noceant. Volo te mecum ut simul laboremus remanere.

Domna *pietas*, huc advenias, os animæ meæ osculare, et in profundo cordis mei recondere, sic sanior ego permanebo.

Domna *spes*, rogo te ut cordis mei vulnera alliges, quæ mihi intulit amor, sicque tamquam Dei benedictionem quidquid pœnæ mihi advenerit, semper conservem.

Eia nobilis, sancta christiana *fides*, semper oculos meæ animæ illumina, ut optime ad christianas res me vertere sciam : tibi opera et sensus commendo.

Eia dilecta Domna *custodia*, ne sedeas, sed surgas et stans

perseveres juxta me omni tempore, et sic ab omni permanebo libera malo.

Domna *moderatio*, semper mecum remaneas, quatenus semper ego ad Dei servitium sim parata.

Domna *temperantia*, sis thalami mei cameraria dilecta; te valde diligam, durum lectulum mollem efficies, vilibus cibis condimentum adjicies, in paupertate potentiam ministrabis; quod ex Dei bonitate procedit.

*Pax* et *tranquillitas* mihi non deerunt, in omnibus viis meis mecum ambulabunt; qui enim multum loquuntur, multumque vagantur, vix honorem tuentur; qui de fama fabulantur, nihil sibi utilis usquam metent.

*Sapientia* omni tempore perseverat cum amore, quæ est omnium virginum magistra. Custodit quodcumque amor dederit, et si quid didicerint vel legerint homines, utile reddit. Castus vero *pudor* hoc sibi speciale habet, ut libenter coram omnibus sine laude recedat.

Nunc ergo his virginibus sum bene possessa; duæ sunt etiam quarum oblivisci nolo, *timor* et *perseverantia*; ambæ mecum remansuræ sunt, sicque omnes meæ puellæ suum optime perficient officium.

Gratias tibi ago, carissima virgo, Dei amor, Domna imperatrix, quod omne mihi auxilium dedisti, exuli in via ad cœlum peregrinanti.

## XLIX. DE FRATRE CONVERSO.

In ordine Prædicatorum Frater fulmine ictus periit, et pro ejus anima cum magno fervore et fidelitate oraverunt, ut si quid adhuc in ipso immutatum remansisset, ipsi condonatum foret. Tunc visa est ejusdem anima personæ pro ipsa oranti, quæ jam pulcherrima in cœli deliciis et absque omni pœna versabatur. Et hoc inde erat ut anima dixit: Eram in opere meo humilis, in sensibus meis timens, et ad quodcumque bona voluntate pronus, unde nullam patior pœnam. *Anima*: Cur igitur statim cœlum non intrasti? Respondit: Ante omnia hic debeo divinam accipere cogni-

tionem et cœlestem amorem, quo carui in terris. — Unde vero istas parvas habes in facie maculas? Dixit : Faciem meam his qui voluntatem meam non explebant, austeram præferebam, quod in me non mutatum mansit. — Et quomodo doleri possent hæ maculæ ? Dixit : Unum si haberem suspirium. Quod quidem ipsi ab homine fieri non potuerat, quia tempus defuerat; sed tunc cum datum fuisset, gavisus est dixitque : Nunc deletum est. — Cur hanc defers coronam cum nondum ad cœlum pervenisti? Respondit : Mortem specialem subii, inde mihi Deus hanc contulit coronam.

## L. DE TIMORE IN DONIS DEI.

Eia dilecte Domine Jesu Christe, qui æternus es Deus cum æterno Patre, memento mei. Gratias ago tibi pro specialibus donis quibus me incessanter penetrasti, et ossa mea, venasque meas et omnem carnem meam præcidisti. Cum tui in pia gratitudine recordari possum, tunc, et non aliter, secura sum. Vilem famulam in vilitate retinere potes, quia intentio tua bona est, etiam plus quam bona; quia multa vocantur bona quæ profecto non sunt qualia tu erga me operaris. Verum cum tu me superna tangis suavitate, quæ animam meam corpusque meum totum penetrat, tunc metuo ne tuam divinam voluptatem nimis in me trahere valeam, cum hujus indigne in terris adhuc sum. Ideo pro aliis interdum magis quam pro me te rogo, quatenus mihi subtrahetur voluptas per Dei amorem et per christianam fidelitatem. Postea timeo superbiæ ascensum, qui præcipuum Angelum e cœlo præcipitavit. Timeo etiam serpentem vanæ gloriæ, qui Evam decepit. Timeo Judæ perfidiam, quæ ipsum a Deo projecit. Si Deo fidelis maneo, tunc cum omni virtute, cum omni bono in custodia, proxima Deo, ejusque virgineæ Matri Dominæ nostræ perseverabo.

## LI. ORATIO CONTRA NEGLIGENTIAM.

Ego minima, vilissima, indignissima inter omnes homines, desidero, exoro te, cœlestis Pater, Domine Jesu Christe, Domine Spiritus Sancte, Domine, beata Trinitas, ut ab omni negligentia me præserves, cum tuum sacrum servitium non tantum propter utilitatem vel necessitatem, multo vero magis propter malitiam neglexi, a quo non recessissem, si vere voluissem. Accipe nunc, Domine, hanc paucam emendationem quam tibi offero et tuæ carissimæ Matri et illis Sanctis, in honorem quorum hodie festum celebratur in Ecclesia, etiamque in honorem omnium beatorum qui tecum, Domine, in beatitudine pervenerunt. Nunc adjuva me, Domine, ut ita dirigar in vita mea, quatenus sicut in terra tuorum sanctorum per sanctam vitam consors fuerim, ita et in cœlesti regno ipsorum societate fruar in conspectu tuo, Domine, necnon mecum omnes qui meas preces quæsierunt.

## LII. QUALITER AMANS ANIMA SE SUB MANU DEI INCLINAT.

Sic meos quinque sensus alloquor: Humiliemini sub manu omnipotentis Dei, quia hostes infernales se humiliare et incurvare debent, quantumvis superbi sint, in suis igneis vinculis sub dura constrictione omnipotentis Dei. Qui vero in purgatoriis ignibus sunt, debent et ipsi humiliari, in sua culpa pœnitentiam agentes, novissimam usque ad horam in qua puri invenientur. Peccatores qui sunt adhuc in terra humiliare se debent sub culparum suarum onere, seipsos judicantes cum dolore in pœnitentia, aut in æterno inferno. Et ipsi boni debent se humiliare in terra quotidiana. Electi vero et puri qui Dominum Deum cum omni fidelitate diligunt, in multis sunt constricti, et multimodis piis sollicitudinibus subjecti. Se humiliant et incurvant sub omni pœna

et sub omni creatura, amore supereminenti, superbiaque ipsis ut aliquid rarum et nimis magni pretii æstimatur. Hic vere perpendam quomodo et ego ex eodem calice bibam quem hausit pater meus, ut ipsius regnum possideam.

Cœlorum regnum cum omnibus sanctis Angelis in deliciis affluenti sanctitate se humiliat, quia omne quod sunt et vivunt ex gratuita Dei bonitate acceperunt. Sancti inclinant et incurvant se coram Deo in effluenti amore et deliciis pleno desiderio, cum diligenti gratitudine. Deo gratias agunt, quod in sua necessitate in terris cum amore ipsis dona sua erogavit, quatenus sua facilius sustinerent incommoda. Non aliter mihi eveniet, quia ego etiam per ejus amorem non parvum suffero dolorem.

## LIII. DE CAPTIVITATE RELIGIOSARUM PERSONARUM.

In corde doleo hujus Congregationis, in qua sum, ærumnas; unde quadam nocte in solitudine cordis mei sic Dominum alloquebar : Domine, quomodo tibi in hac captivitate complacet [1] ? Respondit Dominus : In ipsa et ego captivus sum. In quo verbo intellexi sensum etiam sequentium :

Cum ipsis jejunavi in deserto.

Cum ipsis tentatus sum ab inimico.

Cum ipsis per omnem vitam proficuum perfeci laborem.

Cum ipsis odium sustinui et proditionem.

Cum ipsis venditus sum in fide, cum promiserunt Dei servitium in sua oblatione.

Cum ipsis quæsitus sum in conversatione, et impetitus sæva aggressione.

Captus cum avaritia et invidia ; alligatus in obedientia.

Cum ipsis fui derisus magna injuria, et verberatus in plena innocentia. Si de periculo audiant, nihil inde timeant. Cum ipsis ad prætorium ductus sui tanquam reus latro ; hujus meminerunt in capitulo et in confessione. Cum ipsis fui flagellatus ; quod secum recogitent, dum seipsas flagellant. Cum ipsis crucem portavi, quod recordentur si quid gravius sustimendum habeant. Cum ipsis cruci fui affixus, ideo

1. Cf. *Legatus*. III. 16.

libenter patiantur nec in ærumnis querantur. Cum ipsis spiritum meum in mea morte Patri meo commendavi ; sic se mihi in omni necessitate sua commendent. Cum ipsis bono fine decessi ; sic ipsæ a cunctis vinculis suis solvantur. Cum ipsis in monumento saxeo fui sepultus ; sic esse et remanere debent ab omni re terrena puræ et liberæ. Surrexi a mortuis ; sic exsurgant a delictis suis, atque ita cœlestem in sua anima claritatem accipere poterunt. Mea divina potestate ad cœlos ascendi, quo me sequantur in eadem virtute.

Et ego spero vos incessanter hoc præstituras atque cognituras esse. Cui vero mens illa nondum inesset, hanc verus Deus in ipsa perficere dignetur.

## LIV. DE QUATUOR QUÆ AD FIDEM PERTINENT.

In Deum christiana mente credere, Deum pie diligere, Jesum Christum vere confiteri, ejus doctrinam usque ad suum finem fideliter sequi, in his quatuor ego credo hominem vitam æternam esse inventurum. Nos igitur ut christiani credimus, non ut Judæi, aut christiani increduli. Hi nempe in Deum credere volunt, non vero in ejus sanctissimum quod est operatus opus, scilicet quo nobis suum dedit Unigenitum, quem aspernantur. Domine Deus, hoc apud te accusamus. Nos vero in hanc Dei voluntatem credimus, qua nobis in hunc mundum suum misit Unigenitum. Nos credimus in opera et in mortem Domini nostri Jesu Christi, per quæ nos salvos fecit. Nos credimus in Spiritum Sanctum, qui nostram sanctificationem perfecit in Patre et in Filio, et adhuc in omnibus nostris perficit operibus.

Quomodo vero Deum pie diligemus ? Nempe si quidquid nobis diligendum mandaverit beata Trinitas vere diligamus. Deus peccatum non creavit, ideoque illud in nobis odio habet, verum in nobis bonum diligit, quod ipse est. Quomodo etiam Jesum Christum confitebimur ? In ejus operibus illum confiteri illumque super nos diligere debemus. Quomodo ejus sequi doctrinam ? Qualem nos ipsam docuit, et adhuc nunc docent ejus sequaces. Sic quamdiu hic manebimus, nostram beatitudinem augebimus.

## LV. SIC AMICUS AD AMICUM SCRIBIT.

Cum Deum super tuam humanam potentiam diligis, cum Deum omni tuæ animæ vi amas, cum Deum omni tuæ animæ sapientia cognoscis et confiteris, cum Dei dona in multa et pia gratitudine acceperis, ideo tibi hanc scribo epistolam.

Magnus divini amoris effluxus, qui nunquam sistitur, sed indesinenter sine ullo labore, suavi vero semper cursu erumpens, quatenus nostrum impleat vasculum et exundet, si nostra propria voluntate minime impeditur, semper nostrum vasculum Dei donis superreplet.

Domine, plenus es, nosque plenos etiam tuis efficis donis. Tu magnus es, nos autem parvi, quomodo tibi similes erimus? Domine, nobis dedisti, nosque vicissim usque dare debemus. Cum vero vas parvum sumus, illud sane replesti; potest autem tam sæpe vas minus in majus fundi, ut majus ex minore repleatur. Majus vas est Dei complacentia quam ex nostris operibus accipit; sed heu! tam parvi sumus, ut uno Dei aut Scripturæ sacræ verbulo ita nos compleamur, ut jam statim magis nequeamus. Nunc autem vicissim dona in magnum vas infundamus, quod Deus est. Quomodo vero hoc fiet? Illud pio affectu effundamus in peccatores ut mundentur, tunc implebitur vas. Item effundamus in imperfectiones spiritualium virorum, ut illas superent perfectique fiant et maneant, et implebitur. Effundamus in pauperum animarum necessitates, quæ in purgatorio cruciantur, ut per suam misericordiam ab his liberet eas Deus. Item effundamus cum pia compassione in necessitatem illorum, qui licet sint christiani tamen in peccatis detinentur. Dominus Deus noster plus quam cæteri nos amavit, plus quam omnes pro nobis laboravit, etiamque maxime pro nobis passus est. Vicem ipsi rependere debemus, si illi similes esse volumus.

Sic cuidam locutus est Dominus noster: Da mihi omne quod tuum est, et ego tibi dabo omne quod meum est. Amoris repensio quam Deo præstamus valde suavis est; laboris vero repensio valde gravis est, quia his quæ intus amor

sapit et fruitur, plerumque in exterioribus carere debemus. Quam vero sit illud grave, si quis me interrogat, humano sensui minime valeo edicere. Dominus noster multa pro nobis usque ad mortem passus est; nunc vero dolor, vel minimus, adeo gravis nobis videtur et magnus, ut sane de hoc erubescendum est, atque dolendum coram Deo tam parvam nobis esse virtutem. Ex amore vero dolor plus dulcescit, quam exprimi potest, et Deo similes si efficeremur, in multis pugnis victoriam reportaremus. Dei complacentia amantisque animæ simul conveniunt sicut sol cum aere, qui una quadam suavi penetratione commiscentur, ita ut aeris frigiditatem sol devincat et obscuritatem, unde omne in uno sole fulgens videtur; quod quidem ex divina procedit suavitate. Deus vero nobis omnibus hunc concedat ac conservet amorem! Amen.

## LVI. QUALITER DEUS AMICOS SUOS TANGIT DOLORE.

QUANDO quis turbatur, ut jam in se non firmiter constet, et levem culpam in se habet, ita tunc loquitur Dominus noster: Illum tetigi. *Glosa*: Eo modo quo me Pater in terris tetigit, ego illos quos in terra ad me traho, non sine magno ipsorum dolore traho, et quo mihi propiores accedunt, eo graviorem tractum meum cognoscent. Quando vero homo ita super se victor extiterit, ut pœnam et consolationem pro uno eodemque perpendat, ad tantam illum extollam suavitatem, ut inde vitam sapiat æternam.

## LVII. NONNULLA DE PARADISO.

OSTENSUM est mihi et vidi qualis fuerat modo creatus paradisus. Ejus latitudinis ac longitudinis nullum finem inveni. Primo ad locum deveni inter hunc mundum et ipsum paradisum medium, ubi vidi arbores, folia, pulchra gramina, nullam vero malam herbam. Quædam arbores fructus ferebant, pleræque vero tantum folia suaveolentia. Ibi discurrebant

rapida aquarum flumina, ventusque a meridie ad septentrionem, et in aquis quædam terrena suavitas cum cœlesti voluptate miscebatur. Aer suavior quam exprimi potest. Bestiæ vero avesque prorsus deerant, quia soli homini illum præparavit Deus, quo commode frui possit.

Duos ibi vidi, qui erant Enoch et Elias, prior quidem sedens, alter vero humi in magno fervore animi recumbens. Et Enoch sum allocuta, ab ipso rogitans num ibi juxta humanam viverent naturam. Respondit: Nos ex malis aliquid comedimus et ex aqua potamus, ut corpus vitalitatem suam conservet, sed hoc præcipue fit ex divina virtute. Rursum interrogavi : Quomodo huc advenisti? — Huc adveneram nesciens quomodo advenissem, nec quid de me esset antequam advenirem magis gnarus. De ejus oratione illum rogavi: — In fide et in spe stat omnis nostra oratio. Et ab eodem quæsivi quo esset animo, an quid molesti pateretur. Respondit : Omnia mihi bene sunt, nec aliquid adest pœnæ. — Numquid certamen illud formidas quod in mundo adhuc futurum est? — Deus me sua virtute muniet, ut illi resistere valeam. — Oras-ne pro christianitate? — Oro quatenus eam Deus a peccatis liberet, et in suum regnum perducat. Tunc Elias surrexit, cujus facies pulchra et ignea, cœlestis, et cæsaries quasi alba lana. Vestiti quidem erant tamquam pauperes qui cum baculo pro suo pane circumvagantur. Tunc interrogavi Eliam quomodo pro christianitate oraret. Ego miserans, humilis, fidelis et obediens oro. — Oras-ne pro animabus. — Utique, desiderans ut ipsarum pœnæ allevientur, et ex orationibus meis pœnæ sane imminuuntur. — Liberantur-ne? — Equidem multæ. — Cur Deus hic vos transtulit? — Ut Christianitati et Deo ipsi in auxilium novissimo die adesse possimus.

Utrumque vidi paradisum; de terrestri jam sum locuta; cœlestis vero superior est, et terrestrem ab omni præservat tempestate. In parte superiori sunt animæ quæ Purgatorium non meruerunt, quamvis nondum ad Dei regnum pervenerint. In deliciis quasi suspenduntur ut aer in solis claritate; gloriam tamen et honorem, præmium et coronam nondum habent antequam ad regnum Dei advenerint. Cum vero omne terrenum dissolutum et destructum fuerit, non jam ipse

stabit terrestris paradisus; et cum judicium suum Deus fecerit, ipse etiam abolebitur cœlestis paradisus, nam in domo communi omnes habitabunt qui ad Deum venire potuerunt, nec infirmorum aliqua supererit domus; qui enim ad Dei regnum pervenit, ab omni liber est infirmitate. Laudetur Jesus Christus, qui nobis suum regnum concessit.

## LVIII. DE SANCTO GABRIELE.

Sancte Gabriel Angele, memento mei! Mei desiderii nuntium commendo tibi: meo dilectissimo Domino Jesu Christo nuntia quantum præ amore ad illum sim ægrotans, et si quando inde sanari debeam, ipsum meum esse medicum necesse est. Illi fideliter explica vulnera quæ mihi ipse inflixit, quæ diutius non inuncta nec alligata ferre nequeo. Vulneravit me usque ad mortem, et nunc cum me non unctam relinquit, sanari nunquam potero. Et si montes universi vulneribus aptum unguentum, et aquæ omnes salutifer potus, et quæque arbores cum floribus salutaris alligatura vulneris essent, nondum inde usquam sanarer. Sancte Gabriel Angele, memento mei! hunc amoris nuntium commendo tibi.

Quicumque Deum diligere voluerit, hæc amatoria epistola ejus excitet sensum, si Deum sequi desideraverit.

## LIX. QUALITER ANTE DEUM NUNTIUS ADVENIT.

Veritatem in spiritu meo optime accepi, meum nuntium ad Deum pervenisse. Responsum vero quod mihi referendum est, tam magnum, tam potens, tam profundum, multimodum, deliciosum et luminosum est, ut accipere illud nequeam, quamdiu terrestris homo ero; verum breve tempus ab hac misera vita discedam, sicque ibi nunquam amplius manebo. Verum tamen de hoc cito silere cogor; nec mihi plus inde licet concipere quam quis posset manifesto exprimere; magis enim sanctum Gabrielem in referta deliciis gloria, in cœlo-

rum altitudine coram Deo vidi stare quam ego pauperrima possim concipere. Novis et amore rutilantibus vestimentis indutus erat, quæ ipsi in mercedem fuerant data, pro fidelitate qua nuntium tam honorifice impievisset; vultus item amoris ignibus irradians mihi visus est; divinate erat præcinctus et penetratus; ejus verba nec intelligere nec audire valebam, quia sum adhuc stultis qui in terra degunt similis.

## LX. QUALITER DEUS INFANS VISUS EST.

In illa nocte qua Dei Filius natus est, visus est infans in pauperibus pannis involutus et fasciis alligatus. In duro stramine ante duo animalia reclinabatur. Tunc ad matrem dixi: Eia dilecta Domina, quamdiu sic jacebit puer? Quando illum in tuo accipies gremio? Respondit igitur Domina, oculis in puerum semper retentis, manibusque ad ipsum extensis, et dixit: Septem horas in nocte et in die super hoc stramine debet jacere, juxta sui cœlestis Patris voluntatem. Patri cœlesti sic complacere utique cognosco. Puerum rogavi pro his qui se mihi commendaverant. Et vox e puero ad me venit, nullatenus vero mota sunt ejus labia: Si in me complacentiam suam servare volunt, ego illos in meo retinebo obsequio, nihilque aliud ipsis dabo quam corpus meum et vitam æternam. In præsepio jacebat puer in stramine duro, sic disponente ejus cœlestis Patris imperio.

## LXI. QUALITER PRÆPARARI DEBEMUS AD DEUM.

Cum avis diu in terra remanet, inde ejus infirmantur alæ, pennæque graviores fiunt. Cum vero in altum se tollit et agitat alas, adque tantam penetrat altitudinem, quantum aerem captare potest, tunc volatum suum dirigit. Quo enim diutius volat, in cœli spatiis eo magis deliciatur, vixque solum interdum tangit ut vires resumat, adeo amoris alæ quidquid terrenæ voluptatis est illi tulerunt. Simili

modo nos præparare debemus, si et ipsi in altum pervenire volumus. Alas desiderii nostri semper ad Deum moveamus. Virtutes operaque nostra per amorem extollamus, et si non ab hoc desistamus, ad interiora Dei perveniemus.

(*Vacat.*)

Eia desiderans amor, vox tua multum dulciter sonat in auribus tui dilecti Domini: tantum paulisper cessasti; nunc vero gaude, nec taceas: cum jucunditate ad te vult se vertere.

Eia amor, qui te deprimis et humilias, multimodam sustines dulcem pœnam, magna est afflictio tua. Quomodo Jesum attinges? Ante te currit nimis longo intervallo. Attamen pro peccato illum elegisti, temetipsum in illo perdidisti, indeque pœnam multam sustinuisti; ita volo me in illo rursum invenire.

Eia amor, qui plenus et perfectus es, vehementer cor meum et sensus meos protendis, quatenus hinc mox discedam; nequeo tamen pro voto te acquirere, verum in amore et dolore volo perseverare.

Eia fortis amor, in magna manes custodia, quodcumque (evenit) pro bono accipis, omnem supportas necessitatem magna spes, magna fides tua; omnes tuas superabis molestias.

Eia sapiens amor, tua ordinatio pia est, in qua Deum laudas confiterisque, ejusque voluntatem in omnibus comples. Cum fidelitate in hoc perge, et in Deo poteris requiescere. Ibi ego gaudere volo.

## LXII. QUALITER VIRGINES SUÆ DOMINÆ REGINÆ FAMULANTUR.

In spiritu cuidam sequens revelatum est: Viam vidi ab oriente unde sol exsurgit ad occidentem in quo decumbit tendentem, quam sequebantur quicumque bonæ voluntatis sunt ad Deum. Vallem quidem tenebant, et non æquo tamen festinabant cursu. Tamquam peregrini itinerabantur qui

omne quod sibi carum est reliquerunt, et optimum, Deum scilicet, requirunt. Quidam ad gaudia quæ reliquerant respiciebant, nec iter plane conficiebant. Quidam vero in voluptatis herba decumbebant, flores vanitatis colligentes, et in via diu procrastinabantur; qui postea licet gravibus peccatis immunes reperti fuissent, severas in purgatoriis ignibus pœnas luebant.

Hic subintulit ita Dominus noster : Quidam cum bona voluntate ad sancta feruntur quidem opera; verum cum duros retinent in se mores, ita se per modum agendi præcipitem invisos efficiunt, ut difficillime tolerari possint; de quibus judicium meum reservatur. Si vero cum humilibus verbis misericordiam meam invocarent, conservarent integra sua bona opera, et cordis eorum amaritudo ad nihilum redigeretur, et ad sè redire possent. Qui enim misericordiam meam quærit, in tenebras incurrere nequit.

Unus vero viam solus tenebat, et hoc ipsi inde erat quod terrestris voluptas ejus animæ ullum solatium afferre nequiverat. Quem alii duo præcedebant : unus a sinistris, alter a dextris viam sequentes. Et interrogavit persona quinam hi essent et quibus intenderent. Respondit vero qui a sinistris : Ego sum Dei justitia, datumque est mihi judicium, quod nunc meum est, ex quo in paradiso peccavit Adam. Judicium meum et longum et magnum fuit; nunc vero advenit hæc virgo quæ juxta me procedit, et mihi socia facta est, quæ vocatur misericordia. Quicumque illam requirunt et perseveranter invocant, omnem suam devincunt cordis molestiam; quæ cum sit admodum perfecta, a me tulit meum judicium. Quando homini aliquid molesti acciderit, et cum pœnitentia ad me confugit, tunc illa manum leniter ad quæque sunt distorta ducit, dum ego quasi muta nihilque contra agere valens remaneo. Quod quidem omne peregit verus Dei Filius, qui mihi per suam misericordiam meam summam abstulit justitiam. Hæc turbatos consolatur, sanat vulnera, omnes qui ad se veniunt lætificat, mihi magnam abstulit potentiam. Attamen illa me diligit, et ipsam ego diligo; simul amodo pergere semper una debemus, ad novissimum usque diem in quo judicium meum erit.

Dei judicium et Dei justitia non unum aut idem sunt.

Judicium fit culpæ quæ absque pœnitentia coram ipso incidit. Justitia vero est vita sancta quam Deus omnibus suis erogavit amicis, vultque in perpetuum coli, quia ipse justus in omnibus operibus suis est; et ubi noverit nos illam colere, pro certo puri cum ipso inveniemur.

Hanc vero Dei misericordiam et Filii ejus sanctam justitiam, quam ipse in terris per vitam suam tenuit, necnon utriusque Sancti Spiritus dona sequitur gloriosa turma, quæ tota virginum esse videtur. Quas ut vidi, bene agnovi, voluique de hoc, quod ab ipso mihi responsum fuerat, ipsas interrogare. Ideo quæsivi ab his quænam essent, et quid ipsarum esset officium. Responderunt : Nos virgines sumus, nobiles et optime disciplinatæ; Deoque famulamur ad ejus honorem, ipsius dilectissimam reginam quam præ omnibus elegit assistentes : Hæc est anima hominis ejusque corpus. Domnæ nostræ reginæ ita famulamur ut omni diligentia et omnibus sensibus suis in cunctis Domini sui voluntatem perficiat, secundum christianam ordinationem; sicque nunquam culpari poterit.

Domna *sapientia*, in quo ipsi famulari cum sorore tua *modestia* potes ? — Docemus nostram domnam reginam ad discernendum malum a bono, in divina sapientia, piaque modestia, ad existimandum quidquid nunc est, quale vere sit, et quidquid futurum sit præcavendum; quod quidem in omnibus piis rebus acquiret.

Domna *veritas*, ad quid in aula famularis cum sorore tua *sanctitate?* — Domino meo, reginæque meæ famulor in omni fidelitate, quatenus Domino suo in omni necessitate fidelis perseveret : Unde secura et libera erit. Dein intus perpetuam colat sanctitatem in omni re suo Domino subdita, sicque his qui foris sunt laudabilis erit.

Domna *humilitas*, in quonam famulari cum sorore tua *mansuetudine* potes ? — Ego doceo domnam meam reginam Domini mei voluntatem, omniaque ejus dona ex corde diligere; sic in sancta poterit quiescere mansuetudine, omnemque cordis molestiam cum gaudio a se expellere.

Domna *bonitas*, quid præstare potes cum sorore tua *obedientia?* — Ego doceo domnam meam reginam in sua oratione cum ardenti Dei amore bonam omnibus esse, malis et bonis,

vivis et defunctis. Magnus et pretiosus est thesaurus qui ipsi inde in sinum veniet. Quod si sui Domini voluntatem voluerit adimplere, sanctam obedientiam in omnibus operibus suis adimpleat; sic remanebit Dei regina.

Domna *fortitudo*, quid potes præstare servitii cum sorore tua *constantia*? — Ego doceo domnam meam, in omni discrimine fortem stare, sic in regno suo poterit residere: si vero semper constans remanserit, coram Domino suo libera erit.

Harum virginum immensus est numerus, quia quodcumque bonus vir intra vel extra se in Deo operatur, ad virtutes referri debet. Cum his virginibus in via procedebat quidam magnus dominus, sancto potentique similis episcopo, qui erat *Fides* nostra christiana, intus ardens et omnes divino amore succendens. Et ipse cum cæteris virginibus isti reginæ famulatur. Supra videbatur alia virgo, aureæ aquilæ similis, cœlesti splendore circumdata, illuminans et docens, moderansque illas omnes virgines in famulatu quem suæ domnæ reginæ præstabant. Hæc quæ *Charitas* est in christiana habitat fide, et in palatio requiescit reginæ; et hoc est ejus officium, dilecto dilectam unire, Deo animam animæque Deum devincire, ideoque posita est in primo mandato.

## LXIII. DEI VOLUNTAS IN OMNIBUS PRINCIPATUM OBTINET.

STET desiderium in affectu, stet vitæ luctus in corpore, stet pœna in sensu, stet spes ad solum Jesum in corde. Hi omnes qui Deo se tradiderunt, quid hic intendam facile percipient. Duos dies duasque noctes tam male habui, ut jam sperarem mihi adesse finem. Tum Deo gratias prout poteram, pro suis donis agens, ab illo expostulabam ut me suscipere dignaretur, modo ipsius dilectissimæ complacuerit voluntati. Verumtamen, Domine, si inde laus tua cresceret, pro tuo amore libenter in hoc misero corpore volo remanere. Domine, sic multos dies, sic multos peregi annos, quod nunquam tibi tam grave obtuli sacrificium. Fiat, Domine, voluntas tua et non mea; quia ego ipsa non mea, sed in omnibus tua sum.

Et in longinqua altitudine Sanctos videbam, quasi ad finem meum se præparare, quorum formas discernere tamen nequibam; adeo mihi resplendebat fulgens splendor, ut mihi inter ipsos jam conversari videbar. Hæc altitudo in occidente quo sol decumbit exurgebat; a septentrione vero apparebant mali spiritus, meo judicio attendere cupientes, simul colligati ac revincti quasi canes qui flagellantur; cervicem ad me protendebant, sed illos non metuebam, quin imo gaudebam. Tunc agnovi illos ad Dei gloriam huc advenisse, ut postquam ex qua necessitate suos amicos eripuerit Deus conspexerint, cum suis oneribus ad infernum remeent.

Tunc autem meo corpori talis intervenit conversio, ut inde in hac amara exulanti vita remanere adhuc debui. Sic igitur eram secura et libera, absque omni timore ac pœna. O væ, væ, væ! si tamen in morte quæ bonum Dei est, nondum quiescere possum, libenter nunc, durum licet, acceptarem, dumque modo mihi humanæ vires, Deique amor sufficerentur, Deo servire quasi ab initio incipere vellem, quatenus ad bonum finem pervenire valerem, sicut semper mihi fuit et nunc est mentis voluntas.

## LXIV. QUALITER HOMINI DEUS MINISTRAT.

Quædam mendicans in sua oratione sic Deum alloquebatur: Domine, gratias ago tibi quod ex quo mihi omnes terrenas divitias per amorem tuum abstulisti, nunc me vestis nutrisque per alienorum bonitatem; quidquid enim mihi adhuc proprium gaudio cor meum afficeret, et ipsum mihi alienum fieri debet. Domine, item tibi gratias ago quod ex quo mihi vim oculorum abstulisti, per alienos oculos mihi ministrasti. Domine, tibi gratias etiam ago, quod ex quo mihi manuum vim abstulisti... per alienas manus mihi ministrasti. Domine, gratias ago tibi quod ex quo mihi cordis mei vim abstulisti, per cor alienum mihi ministrasti. Domine, pro istis te rogo, ut illis id in hac terra per tuum divinum amorem compensare digneris, tibique sic supplicare

servireque cum omni virtute usque ad sanctum finem va leant.

Omnes quidem qui in corde puro per Dei amorem omnia reliquerunt sunt archimendicantes, qui in die novissimo judicium cum Jesu Salvatore nostro possidebunt. Domine, quidquid ad te cum dolore defero, in me et in omnibus peccatoribus convertere digneris. Domine, quidquid a te postulo, præstare mihi, et omnibus imperfectis religiosis propter honorem tuum digneris. Domine, nunquam in corde meo laus tua cesset et taceat, quidquid agam, omittam aut sustineam. Amen.

## LXV. QUALITER DEUS ANIMAM PŒNIS ORNAT.

Si virgines ad nutum sui sponsi omni tempore vestitæ sunt, nihil aliud vestimenti opus est præter nuptialem habitum, hoc est, pœnas, morbos, quotidianas molestias et tentationes, cordisque tristitias varias quæ in peccatrici christianitate ubique occurrunt. Hæ sunt amantis animæ nuptiales vestes: attamen operariæ vestes, id est, jejunia, vigiliæ, disciplinæ, confessiones, suspiria, lacrymæ, timor peccati, sensuum et corporis coercitio in Deo et pro Deo, cui addi potest dulcis spes et instans amoris desiderium, in omnibusque operibus cor indesinenter orans, hæc omnia sunt quotidiana et operaria boni viri vestimenta. Quando quidem infirmi sumus, nuptialibus vestimur; quando autem sani et validi. communibus induimur.

Sic ad exulem animam afflictum corpus loquitur: Quandonam alis tui desiderii volare ad deliciarum celsitudinem, ad Jesum, tuum æternum amorem, cupis? Ibi mei memento, domina; nam quantumvis vile et indignum sim, attamen meus esse voluit, quando in exilium venit, nostramque assumpsit humanitatem; ora ut me sine culpa in sua pura gratia servet usque ad bonum finem, dum tu, carissima anima, a me discesseris. *Anima*: Eia dilectissima mea custodia, in qua vinculis alligata sum, tibi gratias ago pro omnibus in quibus me secuta es. Tu quidem me sæ-

pissime turbasti, verum etiam in auxilium mihi præsto fuisti. A te in novissimo die ultima auferetur necessitas, indeque nobis nulla amplius erit querela, adeo nobis gratum erit a Deo nos fuisse creata; sicque firmiter sta et dulcem spem conserva.

Obedientia est quoddam sacrum vinculum quo Deo anima, Jesu corpus, Spirituique Sancto sensus religantur. Quo longius et protractius est vinculum, eo animæ major est amor eo major corporis, actuumque ejus depressio non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus qui sunt bonæ voluntatis.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

Sequuntur eadem manu duo fragmenta non sine momento, ex eodem Einsidelnensi codice excerpta, non vero sororis Mechtildis, sed cujusdam mysticæ scholæ *Amicorum Dei*, ad quam referendus est vetus translator, Henricus de Rumerschein, Basileensis.

## I.

### DE QUIBUSDAM EXERCITIIS AD SEPTEM HORAS CANONICAS.

Probet se quisque in tempore Matutinorum, utrum divinitatis virtus ad animam venerit, hominemque a concupiscentia corporis et a cæcitate cordis abstraxerit. Cujus duo testimonia hæc erunt : corporis subjectio cum inquirenti diligentia, et spiritus firmitas in Deo.

Ad Primam, probet se quisque, utrum divinitatis sapientia ad animam venerit, quatenus dignoscatur perfectio et imperfectio. Duo sunt testimonia...

Ad Tertiam, probet se utrum divinitatis ignis ad animam venerit, omnesque consumpserit maculas peccatorum. Cui duo abscribuntur testimonia, scilicet præcordiale desiderium ad Dominum nostrum, et interiores lacrymæ ex divino amore.

Ad Sectam, probet se utrum divinitatis mansuetudo ad animam venerit, et recesserint omnes sæculares amici. Duo producuntur testimonia, ab omnibus creaturis exulatio, spiritus firmitas in Deo.

Ad Nonam probet quid in cruce tulerit Deus, humanam compassionem et divinam fidelitatem. Producuntur duo tes-

timonia, nostri Domini confessio et hominum dilectio. Si magna nobis virtus adesset, per omnia Dominum nostrum esuriremus atque sitiremus.

Ad Vesperas probet se, utrum paxDei ad animam venerit, num pacem cum Deo et cum hominibus, item secum et cum omnibus creaturis habeant. Duo testimonia, silentium et solitudo.

Ad Completorium probet se, utrum divinum ad animam venerit miraculum, quod Deus in cruce promisit. Cui quatuor competunt testimonia : Ut Deum diligenter homo quærat, et in intimo cordis amore conservet, eoque sic fruatur. Fidelis servus Domini nostri, ne unum quidem diem præterire debet, in quo ad bona opera non se exerceat, aut sensus doctrina diligenter instruat, quatenus discat qualiter Deum ex corde tum in dulcedinis sensu, tum in gaudii fruitione diligere valeat. Vere spiritualis homo de hujus mundi felicitate non curat,quæ ipsi solummodo convenit in quantum ad suam necessitatem requiritur. In his enim sibi semper complacet Deus, sive bene sive male in hoc mundo eorum res se habeant.

## II.

### DE MYSTICA VITA.

Quod nobilissimum utillimumque de Deo edicere omnes magistri Deique amici unquam possunt, sunt quidem articuli christianæ fidei.

Nunc autem est in anima abscondita quædam abyssus quæ ad divinam abyssum effera, abyssali, incomprehensibili voce exclamat, ita ut quasi momento temporis rationi explorata sit, ad quam tunc supermirabili quodam venantium cursu rapitur, nec tamen in tempore illam attingere potest. Illud vero altissimum, utillimum nobilissimumque consequi saltem potest, scilicet, omnia verba, omnem cogitatum, omne desiderium, omnem amorem, quid plura? omnem simul animam in divinam abyssum ita intrahere, ut inde ratio quantamcumque vim habeat, auferre nequeat. Hæc sunt

fercula atque micæ quæ de mensa cadunt Domini. Et quantumvis altum et incomprehensibile rationi videatur, ubi tale ab amore in proprium accepit, nunquam securius illud conservare poterit, nisi ex amore reddens in divina absque fundo abysso perdat, in qua omnia in æternum tuto sunt conservata.

Quotidianus autem victus qui necessario hic homini interiori et exteriori remanere debet, est rationabilis cognitio et intellectio Dei ordinationis erga Deum, erga seipsum, atque erga proximum.

Cui fit satis, quovis modo offeratur, scilicet impellendo ad sacramentum suscipiendum, vel ad secedendum in quiete, vel ad quemdam interiorem et rationabilem discursum, ut divina agnoscatur veritas, vel ad orationem, vel ad revelationes, aut ad spirituales visiones, vel ad divinam dulcedinem, vel ad exteriora opera, vel ad quoddam rationabile, amans, raptans, amicorum Dei de nobilissima Dei veritate colloquium. Hinc vero quodcumque iterum novum nascitur et acquiritur, ita communicari debet, ut quidquid nobilissimum perditum aut ad vicem rependendam oblatum in prædicta abysso sit, itemque cum altero in cibum sumatur prædicta (Dei) ordinatio, in uno coadunata atque divinæ sapientiæ in Christo Jesu adjuncta.

Hæc autem tantummodo voluntariæ paupertatis et perfectissimæ sunt conversationis, quam prosequuntur quicumque sunt veri Dei amici: quidquid vero alio modo nascitur stare nequit, sed multimoda inordinatione et pœnali modo corruit, quod Deo displicet, aut ad inordinatam rationis et spiritus libertatem præcipitat, qui est maxime nocivus casus, aut rursus ad sæculum vertit errantes.

EXPLICIT.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

# DOCUMENTA

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# DOCUMENTA

## I.

BURCHARDI, MANSFELDENSIS COMITIS, EJUSQUE CONJUGIS ELIZABETH QUORUMDAM PRÆDIORUM DONATIO, NOVO MONASTERIO JUXTA CASTRUM MANSFELD AB IPSIS FUNDATO FACTA ANNO 1229.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ad remedium labilis humane memorie studiosa sancivit antiquitas pia negocia litteris annotari ne si per oblivionis nubem fierent occultata filiis hominum in generacione altera pravorum insidiis pateret occasio malignandi, quapropter ego BURCHARDUS comes in *Mansfelth* et mea contectalis ELIZABETH per hoc presens scriptum, notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod nos cupientes pro transitoriis commutare celestia ad honorem Dei et beate genitricis ejusdem et ad sustentationem Sanctimonialium Cisterciensis Ordinis quas in novella plantacione nostra juxta castrum MANSFELTH studio pietatis locavimus heredibus nostris scil: filiabus nostris *Gertrude* et *Sophia* et maritis ipsarum et filiis pure consentientibus subscriptas possessiones donavimus cum omni integritate juris libere et quiete in perpetuum ab iisdem Sanctimonialibus possidendas ut per temporale subsidium a nobis collatum temporaliter sustentate ocio sancto libere vacantes pro nobis et progenitoribus nostris et successoribus sine intermissione precibus pulsent divine januam pietatis. He vero sunt possessiones : videlicet in *Rodherdstorp* quinque mansi, in *Ostdagestorp* quinque mansi et ecclesia cum omnibus ad eam pertinentibus, in *Seveckenroden* ecclesia cum omnibus ad ipsam pertinentibus, in villa *Mansfelth* unus mansus et sex jugera et duo orti, in *Ysleben* duo pomeria et domus hospitalis sancte Katerine cum omnibus ad ipsam pertinentibus, item prope *Seveckenrode* centum jugera lignorum. Que donatio ut firma sit et nullius insidiis versutie possit revocari sigilli nostri appensione fecimus roborari. Hujus rei testes sunt comes *Hoygertus* de *Walkenstein*, *Waltherus* prior de *Mans-*

*felth*, magister *Olricus* et magister Heynricus phisici, Thiemarus capellanus de castro Mansfelth. Laici: *Lantwichus* scultetus, Heynricus advocatus, etc. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. CC vicesimo nomo. *(Diplomatische Belustigungen von Friderich Carl Moser. Tom.* II. *p.* 1.*)*

*Textum emendavimus juxta* Copial Buch *ex Archivo Magdeburgensi*.

## II.

### Narratio abbatissæ Sophiæ de Stolberg conscripta anno 1451 de fundatione monasterii novæ-Helfæ incepti anno 1229.

Nos Sophia de Stalberch abbatissa totusque conventus *Nove Helptte* prope Issleve diocesis Halberstad. recognoscimus per presentes omnibus visuris et audituris quod Dominus *Hermannus Ghiseken* prepositus ecclesie S. Jacobi Stique Borchardi prope et extra muros Halberstad. ex petitione et commissione venerabilium Domine Abbatisse Katherine, Margharete priorisse, totiusque Conventus petiit informari et certificari de fundacione monasterii nostri, quomodo et qualiter primo et principaliter est fundatum et constructum, ex monasterio dicto S. Jacobi, quod Nos ex nostra Cronica et nostra certa sciencia conscribi fecimus et protestamur hunc modum continentem ad profectum et utilitatem tam præsencium quam futurorum. Disposui scribere libellum cooperante gratia Spiritus Sancti scriptis formis, primo de inchoatione claustri nostri, nomina et genus fundatorum nostrorum, quia valde absurdum esset ignorare eos per quos ad talem proventum et felicitatem pervenimus, ut de diversis mundi partibus in unum collecti die noctuque in uno loco insimul absque impedimento possumus vacare laudibus divinis, toti intenti servicio Dei omnipotentis, cui servire regnare est, de quorum prediis etiam statim in inicio fuimus tam large dotati, ut nunquam nobis necesse fuerit proprietatem habere vel coacti panes procurare, divina gracia et misericordia semper et ubique gubernati et summi largitoris providentia nutriti et per propriam regulam ita edocti et educati. Secundo de prima institucione religionis et de diversis virtutibus et sanctis moribus prestantissimarum virginum et nos precedencium, que vidi oculis meis in maxima parte, et audivi de fide dignis veridicis senioribus, que quidem salutaria exempla non decet oblivioni tradere, sed intente memorie commendare; et ideo toto desiderio estuo hunc libellum nostris conscribere posteris, ut quos post mortem non possum verbis movere, saltem instruam verissimis et fidelissimis scriptis. Tertio de prepositis, quia piam curam et fidelissimam solicitudinem multaque pericula, tribulaciones et angustias, que fideles pastores et prepositi nostri diversimode passi sunt pro nobis et propter nos, convenit cum multa ad Deum pro eis gratiarum accione ferventer recolere et nunquam posse oblivisci. Quarto de Abbatissis, de laudabili scilicet conversacione earum, de bonis exemplis et quam bene

et superbene fecerit Deus his que in officio perseveraverunt usque in finem, et quam grave punierit eas Dominus, que contra Dei beneplacitum et contra conventus voluntatem se petierunt absolvi, et quasi pugnis eas objicerunt Domini Dei electionem ut omnes pertimescant contraire divine voluntati. Quinto de filiis fundatorum nostrorum, et benignitas quam eis Dominus dono sue gracie contulit nos fideliter tuendi et in bonis nobis providendi et in periculis defendendi, multum expedit et necesse est fideliter memorari, ut post mortem oracionibus nostris eis possimus vicem rependere pro singulis beneficiis que fideliter impenderunt, nobis ergo libet nunc retexere quod et quale fecit inicium claustri nostri et intencio constituendi. Origo et inicium claustri nostri fuit illustris comes Dominus Borchardus de Mansvelt, cujus uxor Domina Elizabeth filia Domini Heynrici de Schwartzeburch, ad quorum nuptias fuit Dominus Fridericus Imperator, et hec Domina Elizabeth comitissa fundatrix nostra propriis ulnis bajulando illum cecum natum puerum adduxit in presenciam sancte Elizabeth Lantgravie, ut ei lumen oculorum impetraret et audivit auribus propriis quod tamquam pergamenum rumpebatur ei cutis ut posset habere sedes ad recipiendum lumen oculorum. Notandum quoque quod tota causa institucionis cenobii nostri fuit pia intencio et diligentissima solicitudo ejusdem piissimi fundatoris nostri, ut per hoc opus solummodo anima ejus salvaretur et a Deo numquam separetur. Nam Deus misericors et clemens qui neminem vult perire et omnes homines cupit salvari, quadam nocte per somnium eum salubriter terruit et misericorditer permonuit, quatenus amplius curaret de anima sua, quia cum tantis diviciis nullo modo salvaretur, nisi in honorem gloriosissime genitricis Dei monasterium sanctimonialium construeret, et sic per matrem misericordie reconciliatus veram anime sue salutem obtinere posset; qui nihil moratus avide nimis sollicitus pro anima sua statim prudenter sategit, ut salubre consilium opere compleret. Anno ab exordio mundi transactis 6. millibus quadringentis LXXXIII, anno vero dominice incarnacionis MCCXXIX. indiccione VI. Epacta 15. anno communi 6. ciclo decemnovennali simul et lunari 16. ciclo vero solari 18. idem illustris comes pie memorie, Dominus Borghardus de Mansvelt cooperante sibi gracia divina pure ad laudem Dei et ad honorem gloriosissime Virginis matris Marie tantum pro salute anime ut interveniente matre misericordie nunquam a Deo possit separari, in hebdomada Pasche feria V cepit construere claustrum Dominarum apud castrum Mansvelt, adoptans in filium idem monasterium, qui nullum poterit habere filium ex legitima uxore, nisi tantum duas filias Wherder et Sophiam, nam potens Hoyerus, qui ante incepcionem claustri nostri interiit miserabiliter in bello Wolpesholt, non filius fuit legitimus, sed in Romana curia legitimatus.

Eodem anno 3. Cal. Julii, hoc est in die sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ad propagandam congregacionem nostram Deo perpetuo servituram de cenobio S. Jacobi Apostoli sanctique Borchardi prope Halberstad moniales grisei ordinis 7. personas religiosas in Mansvelt

transduxit et ipsum locum larga donacione donavit, optans et desiderans ut omnes posteri sui essent huic congregacioni tamquam patres et non tamquam domini, eo quod ipse pro sola anime salute construxisset illud monasterium. Sed nequaquam omnem bonam voluntatem suam erga claustrum potuit opere complere, nam ipso anno post 5 menses, scilicet idus Decembris, hoc est in die S. Lucie, de hac luce migravit. Notandum eciam, quod claustrum nostrum in Mansvelt mansit tantum quinque annos, in Roderdestorp viginti quinque annos, in antiquo Helpede 90 annos, in quo loco graciosus et venerabilis Dominus Dyocesanus Dominus Vulradus Episcopus Halberst. qui antea fundamentum ejusdem propriis manibus primum lapidem posuerat, in prima introduccione sanctimonialium ibidem missam celebravit, virgines consecrando et sacrum velamen imponendo etc. et sic de inicio claustri, usque dum translati sumus in novum Helpede prope Isleve fluxerunt centum viginti anni, et hoc mira Dei disposicione factum est, sed ipse Dominus ante multos annos uni de senioribus familiarissimis amicis suis, que vita et exemplo multos edificavit, et fuit una de fortissimis antiquis columnis religionis, revelare dignatus est. Nam perduxit, immo repromisit ei Dominus evidenter quod claustrum transferri faceret in quatuor loca, in testimonium gracie superfluentis, qua propter familiares amicos in quibus haberet et semper habuisset delicias suas, totum mundum usque in diem judicii per quatuor climata quasi in quatuor fluminibus Paradisi, propiciacione quadam inestimabili irrigare dignaretur mirabiliter et in vivis et defunctis efficaciter fructuare velle in vitam eternam, illarum quippe venerabilium seniorum nostrarum testimonia credibilia facta sunt nimis, quarum oculis vidimus exempla sanctitatis et opera tocius perfeccionis. Dominus Borchardus Comes de Mansvelt et Dominus Johannes Prepositus, hi duo fidelissimi patres claustri congregacionem nostram transtulerunt de antiquo Helpede in novum Helpede penes Isleve et est locus quesitus anno incarnacionis dominice MCCCXLVI in die S. Severi Episcopi in Dominica qua cantatur: *Da pacem*, novo claustro funditus consummato, Dominus etiam Borchardus Comes de Mansvelt factus est confrater noster et cohabitator in regula penitencium perseverans nobiscum usque in finem. Domina Luchardis filia piissimi patris nostri Domini Borchardi Comitis de Mansvelt, qui propter insidias inimicorum claustrum novum una cum prefatis Dominis de antiquo Helpede transtulit in presentem locum scilicet tutiorem. Item Domina Abbatissa dum ad novum claustrum venissemus, quasi novo semper fervore succensa frequenter hortabatur conventum, ut omnes et singuli in novitate spiritus inciperent vivere et cum novo claustro in novo studio amore et dilectione cum delectacione in Deum totaliter in sancta religione satagerent florere et reformare, ipsa autem tota ardens Spiritu Sancto divini amoris incendio flagrabat, ut nec frigus sentiret nec aliquod incommodum in Dei servicio ex virtute animi qua tot incaluerat in Deum. Quod enim tempore post matutinas cum maximum frigus esset et tota congregacio calefaceret se in divina

caritate, oracio fiebat pro ea, etc. Statim ejusdem tercio mense postquam venimus huc in novum Helpede, in nocte scilicet circumcisionis Domini cepit egrotare ad mortem, cum tamen per totam septimanam nativitatis Domini ferventissime cantasset, per decem autem dies decumbens, omnibus ecclesiasticis sacramentis bene premunita III Idus Januarii integro aspectu atque auditu, nihil omnino timens demonem, sed felicissime transiit ad eum quem amavit, quem quesivit, quem semper optavit, sequenti die, cum Dominus Johannes prepositus solemnissime sepulturam celebrasset, cantans vero *Regnum mundi* et *Surge Virgo*, Dominusque Borchardus pater ejus, quasi deficeret pre merore, eo quod non esset consecratus locus sepulture ejus, Dominus Albertus, filius ejus, a sede apostolica electus et confirmatus Halberst. adduxit Dominum de Bycheling, Episcopum in romana curia consecratum et consecratum, qui die tercia scilicet dominica qua cantatur: *Omnis terra*, consecravit totum monasterium et unum altare videlicet Apostolorum, capellam, cimiterium in claustro, capitolium, ambitus et curiam intra ambitum in illa consecracione monasterii.

Et Nos Sophia Abbatissa, ex peticione et majorum convencione sepe dicti monasterii S. Jacobi Stique Borchardi et nostri fecimus perscrutari Breviarium dicti monasterii una cum Breviario nostre nostrique conventus singula in divinis perpensanda, sicut nobis constat, testamur nobiscum concordare in omnibus horis et consuetudinibus, etc. modum coronacionis [1] quam nos ab inicio habuimus et de gracia Dei perseverare intendimus, a predicto cenobio primo et principaliter nobiscum recensemus, exceptis tamen duobus festivitatibus, scilicet in nocte resurreccionis dominice et nocte pentecostes, ubi nos habemus XII lecciones cum antiph. et resp. earumdem et sepe dicta causa secundum breviarium antiquum nobis visum et monstratum III lectiones et III responsoria prioribus festivitatibus duabus.

Acta et conscripta sunt hec anno incarnacionis dominice MCCCCLI, Dominica infra octavas Epiph. Dei nostro sub sigillo duximus roborandum nostrique conventus.

*(Niemann, Geschichte der Grafen von Mansfeld.)*

## III.

### Wie und von wem das closter in welchem die zwey selige jungfrauen Mechtildis und Gertrudis Gott gedienet gestifft und aufgebauet ist.

Da man nach Christi unsers lieben Herren und Heilands Geburt zelte Tausent zwey hundert und neunzehen Jar, hat auss sonderer eingebung Gottes der machtige und edle Graff Burchard von Manssfeld

1. conversationis.

bey dem Schloss Manssfeld ein Jungfrauen Closter gebauet zu der Seligsten Jungfrauen von Himmel Kœnigin Marie, und darein gesetzt gantz fromme und geistliche Kinder, von und auss S. Jacobs Closter, Burckarsshoff genandt, Cistercienser Ordens bey Halberstatt gelegen.

Diser Graff Burchard hatte keinen ehelichen Sohn, sonder einen ausserhalb der Ehe, doch von Baptstlicher Heyligkeit und Keyserlicher Mayestat geeheliget und geadlet, als nemblich den mechtigen Graffen Hoyer von Manssfeld, welcher hernach in der grossen Sachsischen Schlacht bey dem Welffsholtz vor Hetzstede erschlagen worden.

Ermelter Graff Burchard von Manssfeld hat zu einem ehelichen Gemahl gehabet Frau Elisabeth ein Græffin von Schwartzbruck: welche hernach, da sie ein Witwe war, auch neben andern Edlen Frauen nach Marpurg fûre, zu dem Grab der Heiligen Elisabeth Landgræffin in Tûringen: Und da sie alda in grossem hinzurringen under dem Volck kniet, kame under andern ein armer Man mit einem Blind gebornem Kind, das auch nit die statt oder orth der Augen hatte: Und als er dasselbige begette zu opffern auf das Grab der Heyligen Elisabeth und jedoch vor dem grossen Getræng nit hinzu kommen kondte, hat er dise Edle Græffin, die ihm gleich wohl unbekandt, und nit wuste wer sie war, demutig gebetten, das sie ein weil das Kind zu ihr neme, biss er von dem Marck wider kame, und bey dem Grab etwas geraûmet wûrde.

Derowegen dise fromme Græffin das ellende und blinde Kind gantz gutwillig und freundlich zu ihr name, und es mit Barmhertzigkeit ansahe, und auss Mitleiden selbst in eigener Person in ihrer Armen, in grosser Demut truge zu dem Grab der Heyligen Elizabeth, Gott den Herren mit Andacht bettend, das er durch das Verdienst seiner ausserwalten Liebhaberin der H. Elisabeth, disem armen blinden Kind wolte geben und verlihen das Licht der Augen.

Under welchem ihr auch, auss Anfechtung (Eingebung) des bœse Geists und menschlicher Gebrechlichkeit, ein Zweiffel einfiel, und also bey ihr gedachte: Mit nichten kan dise bey Gott sein eines so grossen Verdiensts, wie sie vor den Menschen geachtet wirt, dan ich sie offt mit meinen Augen etwan in weltlicher Zierde hab sehen tantzen und andere weltliche Frœlichkeit uben. Von stund an straffet sie ihr eigen Gewissen umb solches desswegen sie daruber Reue und Leid hatte und gedachte, das solches von der H. Elisabeth nit wer geschehen auss Wollust oder Leichfertigkeit, sonder zu Gefallen und Ehren ihrem ehelichen Gemahl, dem seligen und loblichen Fûrsten Landgraffen Ludwig. Und nachmahls nach Absterben ihres liebsten Herrens und Furstens sie in einem solchen armseligen Elend gewesen, und ein so hart und streng Leben gefûrt und gehabt, das sie dadurch nit allein ein solche Frœhlichkeit, so sie damit læsslich gesûndiget hette, gegen Gott hett mœgen abtragen, sonder auch werde haben grosse unaussprechliche Verdienst. Mit solchem ist ermelte Græffin von Manssfeld mit gantzem Glauben, mit grosser innicher Andacht ihres Hertzens, neben vilen andern andæchtigen Personen, mit dem armen

blinden Kind kommen zu dem Grab der H. Elisabeth, und hat vor menniglich Gott getreulich angeruffen, das er durch Verdienst seiner heiligen Liebhaberin disem blinden Kind wœlte geben das Gesicht. Und als sie sampt andern mit so grossen Begierden des Hertzens angeruffet hatte Gottes Gütigkeit, fiengen plitzling an, das alle die da gegenwertig standten hœreten, die Stætt der Augen an dem blind gebornen Kind zu krachen, und gleich wie ein hart Pergamen, da man das zerreisset rauscht, also ist die Haut und das Fleisch an den Oertern, da die Augen stehen solten, auff und von einander zerrissen, und das Kind hat angefangen mit lauter Stimm klæglich zu weinen.

Und da nuhn die Edle Græffin von Manssfeld mit grossen Verwundern das Kind ansahe, sahe sie das es hete schœne grosse graue und klare Augen; haben also alle so darbey stunden, Gott in seiner Dienerin lob und danck gesagt. Das Kind aber hatte die Augen stracks offen, und kundte nit hin und wider sehen. Derhalben die Græffin ein Ayerschaal name und zoge dieselbige an den Augen des Kinds so lang auff und ab, hin und wider, biss das es lernet die Augen recht auff und zu thun, und ist sehend bliben, biss an sein End. Nach dem aber auch wider kame der Vater des Kinds, sahe und hœret das gross Wunder, hat er Gott, der Heyligen Elisabeth, und der Græffin danck gesagt, und mit Freuden sein Kind heim getragen.

Dise Græffin hat ihrem Gemahl Burcharden Graffen von Manssfeld geboren zwei Tœchter; eine heiss Gertrudis, die ander Sophia. Gertrudis warde vermæhlet einem anderen Jungen Graffen von Manssfeld, Graffens Burcharden Vettern: Sophia aber wurde vermæhlet einem Burchgraffen von Querfurdt. Und als Graff Burchard, wie oben angezeigt, das Jungfrauen Closter zu Manssfeld hatt aufferbaut, und mit Notturfft versehen, ist er in dem selbigen Jahr, ehe dann es gar verfertiget, seliglich von disem Leben abgeschiden. Von ihme wirt gemeldet in dem fünfften Buch der Seligen Mechtildis am 11. Capittel.

Da aber nach seinem Abscheiden die Edle Græffin Fraue Elisabeth sein nachgelassene Witwe, befunde das der Orth bey dem Schloss Manssfeld, da das Jungfrauen Closter lage, zu einem geistlichen Leben nit wohl tæglich war, hat sie solches, in dem fünfften Jahr nach absterben ihres Herren, mit Rath ihrer Ræth und anderer verstændiger Leuth, verændert, gebauet und gesetzet an einen andern Orth in obgesagter Graffschafft, zu Rodardsdorff genandt. Und als da selbsten das Closter gestanden 24. Jahr, ist es darnach noch weiter gen Helpede oder Helffede gesetzt worden, wie hernach folgen wirt.

Als nuhn viel ernandte Græffin von Manssfeld Frau Elisabeth das Closter gen Rodardsdorff verændert, hat sie sich daselbsten darin begeben, Gott gedienet, und ihr Leben alda wohl und seliglich beschlossen. Die erste Abtissin ist gewesen Frau Kunigundis von Halberstat, ein gantz Gottsfœrchtige Geistliche Frau, und grosser Andacht. Und nach dem sie zu Rodardsdorff gelebt 17. Jahr, ist sie anno 1251. seliglich verschiden. Von stund an dess andern Tags nach ihrem Abscheiden, ist auss Eingebung des Heyligen Geists, wie dann auch ermelte erste

Abtissin Frau Kunigundis zuvor weissgesagt hatte, einhelliglich zu einer Abtissin erwœlet worden Schwester Gertrudis, ein geborne der Herschafft von Hackenborn, und ein leibliche Schwester der seligen und wunderlichen Jungfrauen Mechtildis, von welcher das Buch des geistlichen Gnaden sagt. Dise Gertrudis ist gewesen ein gantz Geistlichen und beschaulichen Lebens; zu einer Abtissin erwœlet da sie alt war 19. Jahr, und hat in disem Ambt gelebt 40 Jahr, 11 tag. Auch haben zu ihren zeiten die Closter Jungfrauen gar Gottseliglich gelebt, und Gott hat mit ihnen gethan grosse Wunder. Wurd letzlich da sie hett gelebt 59. Jahr, mit grosse Freude und Andacht von diser Welt genommen in die Wollust und Glorj des ewigen Reichs, anno Domini 1291.

Und als jetz das Closter zu Rodardsdorff war gestanden 24. Jahr, und sie Abtissin dasselbsten gewesen 7 Jahr, ist das Closter an die dritte Statt verendert, gesetzt und gebauet worden, wie folgt. Graff Herman von Manssfeld, ein Sohn Frauen Gertrudis der eltern Tochter, und Burchgraff Burchard von Querfurdt, ein Sohn Frauen Sophiæ, der Jüngern Tochter des Mæchtigen Graffen Burcharden von Manssfeldt und Stiffters des Closters, nachdem sie sahen und erkanten das zu Rodardsdorff das Closter grossen mangel hette an Wasser, und ins künfftig alda nit wohl würde bestehen kœnnen, haben beide dise Graffen, mit den zweyen Freyherren, als Herrn Albrecht, und Herrn Ludolph von Hackenborn, umb das Forwerck und Dorff Helpede einen Wechsel getroffen, andere Güter darumb geben, und dahin das Closter gesetzt, und also zum dritten mahl verendert. Die Closter Jungfrauen sein von Rodardsdorff gehn Helpede oder Helffede gefürt worden, anno 1258. am Sontag der H. Dreyfaltigkeit.

Zu dieser Einsetzung und Verenderung des Closters haben ermelte zwey Graffen von Manssfeld und Querfurdt beruffen viel Herren, als den Ertzbischoff von Magdenburg Ruprecht, Bischoff Volradt von Halberstatt, auch andere viel Herren und Prælaten, Geistlich und Weltlich.

Graff Herman von Manssfeld hat keinen mænlichen Erben gehabt, aber drey Tœchter: Zwey, als Sophiam und Elisabeth, hat er in das Closter Helpede gethan, welche gantz Gottseliglich gelebt: Eine ist gewesen ein gute Schreiberin, die viel guter und nützlicher Bücher dem Closter geschriben hat, und hernach Abtissin gewesen: Die ander ist ein lange zeit gewesen Priorin, und ein gute Mælerin, dit mit ihren Malen die Bücher, und anders das zu dem Gœttlichen Dienst gehœret fleissig gezieret. Die dritte Tochter hat Graff Herman von Manssfeldt vermæhlet einem Freyherren von Rabinsswalt. Und dieweil obgemelter Graff Herman von M. keinen lehen Erben gehabt, hat er das Schloss und die Graffschaft Mansfeldt verkaufft dem Burchgraffen Burcharden von Querfurd: Und ist also Manssfeldt und das Landt kommen an den von Querfurdt; Und Graff Herman von M. hat ihme andere Güter im Land Türingen.

In dem Closter Helpede sein gewesen vieler fürtreffenlichen Perso-

nem, Graffen und Herren Edler und Unedler Kinder : Und ist nach Gestalt der Stifftungen in der selbigem Versamlung fast biss in die 90. Jahr an einander gewesen ein englisch Leben : Und der Herr Jesus ist Personen dises Closters so gemein gewesen, das sie mit ihm, als wie mit ihrem geliebsten Herren un Breutigam, wie ein guter Freund mit dem andern, geredt haben : Auch alles himmlisch Herr hatt von diser selingen Versamlung gehabt ein sondere Freud und Frolockung, von welchem viel zuschrieben were; jedoch umb kürze willen allhie underlassen wirt, dan dises in dem Buch der Geistlichen Guaden gnugsamlich wird kundt und offenbar sein.

Endtlich nach Christi unsers lieben Herren Geburt 1342. hat sich ein grosser Zweytracht erhebt zwischen dem Herzogen von Braunschweig und dem Graffen von Mansfeldt, mit Nahmen Burchard, darumb das von etlichen zu einem Bischoff zu Halberstatt erwœlet war ein Herzog von Braunsweig Albrecht genandt : von etlichen dess Graffen Burcharden von Manssfeld Sohn, der auch genandt Albrecht, und diser ward von dem Bapst confirmirt : Desshalben ein grosser unfrid entstunde, also das die Herzogen von Braunschweig dem Graffen von Manssfeldt mit Gewalt in das Land gefallen, das verderbt, verwüst und verbrændt : Under welchem auss Verhengniss Gottes das Closter in grund verbrændt, verderbt und verwüst worden : Und wie die Historien melden, so haben Herzog Albrecht von Braunschweich und ein Herr von Weringenrod das Closter mit eigner Hand angezündt, was sie aber darzu bewegt, ist dem bekandt der alle ding wisset. Ess seind auch etliche Reuter und andere, mit gespanten Armbrosten und audern mœrderischen Weren auf die Abtissin und andere fromme geistliche Kinder geloffen, in meinung sie zuverletzen, jedoch, wie die Feind sebst haben müssen bekennen, wann sie eines Steinwurffs weit zu den Jungfrauen kommen, so haben sie all ihr Krafft und Starcke verloren, und mit nichten weiter mogen kommen. Und wiewohl dise that Herzogen Henrichen von Braunschweig, der da zumahl Bischoff zu Heldesheym war, auch Herzogen Otto von Braunschweig und andern mehr, die mit Herzogen Albrecht waren, fast zuwider und leid war, auch so viel ihnen mœglich treulich abgeweret haben, ist dannoch das Closter gantz beraubt und verbrandt worden. Darnach anno 1346. Closter zum vierten mahl wider auffgebauet und gesetzt gehn Eyssleben in die Vorstatt.

(*Ex teutonica editione Revelationum sanctæ Mechtildis, Coloniæ, anno 1557.*)

## IV.

### NOVA FUNDATIO MONASTERII ET TRANSLOCATIO AD URBEM ISLEBIUM. 1343.

In nomine Domini amen. Quoniam facta temporalia quamvis magna et communia cursu temporum a memoria prorsus delentur nisi litteris patentibus et sigillis autenticis muniantur et firmentur, Fiat

itaque sicut nunc est presentibus ita futuris hanc litteram audientibus manifestum quod migrante de medio Domino *Alberto* dicto de *Anahalth* Episcopo *Halberstad.* Ecclesiæ felicis recordationis, Dominus Apostolicus Johannes XXII. jamdictum Episcopatum adhuc vivente predicto Episcopo sibi reservavit : hac reservacione non obstante Canonici predicte Ecclesie Dn. *Lodewicum* de *Nyundorp* nunc Brandenburg. Episcopum sibi in Episcopum concorditer elegerunt. His vero tam provisione quam electione non cassata infra tempus debitum non obstantibus Dom. *Albertus* de *Braunswigk* violenter cooperante fratre suo Dom. *Ottone* Duce *Braunswickensi* in sepe dictum Episcopatum se intrus t. Dominus vero Papa Dmo *Giselberto* de *Holsacia* providit de Episcopatu sepe dicto, mandans ut omnes tam clerici quam Laici predicto *Giselberto* tanquam vero suo Episcopo obedirent. Predictus vero *Albertus* de *Brunswick* Canonicos, Prelatos monasteriorum ac simplices Clericos, civitates et munitiones sibi violenter contra justiciam subjugavit. Post aliquod vero tempus predicto Dn. *Lodewico* de *Nyendorff* de Episcopatu Brandenburgk a Dn. Papa est provisum, qui ad diocesin suam veniens factus est Vicarius generalis tam in spiritualibus quam in temporalibus Dni *Giselberti* Halberstadt. electi et confirmati. Idem vero dictus Lodewicus tanquam vicarius verus multas sentencias scil. suspensionis, excommunicationis et interdicti contra predictum *Albertum* et sibi obedientes, si infra tempus deputatum ab ejus obediencia non cesserant, fulminavit. Quod dum venit ad noticiam Prelatorum et Clericorum bannorum Orientalis et Islebensis, previdentes saluti animarum ipsorum predicto *Alberto* intruso de cetero noluerunt obedire. Mox predictus *Albertus* indignatus contra predictos Prelatos et Clericos sentencias fulminavit. Qui quidem Prelati et Clerici statim ut audiere posse eos indebite gravari, ad Sedem Apostolicam contra predictum intrusum appellaverunt, et ab Apostolico obtinuerunt omnes sentencias quas predictus intrusus contra Prelatos et Clericos dedit esse irritas et inanes penitus et omnino. Videns vero sæpe dictus *Albertus* omnino se superatum, maximo furore repletus ducens secum in auxilium fratres suos Dom. *Ottonem* Ducem de *Brunswick* et Dom. *Heinricum Hyldenseinensem* intrusum et Comitem de *Wernigerode* atque Ducem *Ernestum* de Brunswigk .... cum exercitibus suis. . proponens omnia monasteria et ecclesias parrochiales predictorum bannorum funditus devastare, terramque Comitum de *Mansfeldt* et *Regesteyn*, qui predictos Prelatos et Clericos in quantum poterant ne violentia perirent, tuebantur, adnihilare penitus incendiis et rapinis. Arrepto itaque itinere cum fratribus suis predictis et complicibus, multas ecclesias parrochiales incendebant igne omnesque religiosas personas inclusas ab habitaculo earum ejecerunt et habitacula earum igne cremaverunt, et quod horrendum est dicere Corpori Dominico non pepercerunt, sed ad campum cum pixide perduxerunt.

Deinde sanctimonialibus in claustro *Helpede* existentibus mox post meridiem manu armata violenter claustrum ubi erant Abbatissa et Conventus intrare et portas claustri frangere; vestes, lectos et res alias,

libros et ornamenta multa ad divinum officium spectantia, exinde secum nequiter asportare; ipsum claustrum rapinis destruere et incendiis concremare ausu sacrilego presumpserunt. Verumtamen *Otto* Dux Brunswic. Deum magis timens quam *Albertus* intrusus predictus, nolens omnino consentire quod claustrum igne combureretur sumpsit responsum a fratre suo predicto intruso quod voluntatibus suis vellet parere et claustrum non incendere. Mox Duce recedente commisit suis ut monasterium in quo erant Sanctimoniales plene timore et tremore et quasi exanimes, incenderent. Qui cum tale nefas facere quantum audebant contradicerent, clamavit voce magna: Sequimini, venite post me facturi quod ego faciam. Assumptumque ignem incendit propria manu pistrinum et horreum. Misit quoque ignem in stratum dormitorii quo Sanctimoniales consueverunt dormire. Sed Deus omnipotens qui nunquam dereliquit sperantes in se, cum intrusus predictus diabolica suggestione quater ignem in stratum mitteret, sequentes ejus Deo jubente ignem penitus extinxerunt, et sic dormitorium cum monasterio manserunt. Combusta alia autem edificia satis multa et bona miserabiliter incendiis devastarunt. Nos igitur *Burchardus* D. G. Comas de *Mansfelth* scientes statum hominum non meliorari sed cotidie in pejus verti, ne simile vel aliud deterius in monasterio *Helpede* imposterum contingeret, pii amoris affectu moti quem ad Conventum predicti loci semper habuimus, locum mutare et Sanctimoniales in *Ysleven* transferre cum auxilio Dei disposuimus. Igitur Conventui predicto dedimus et presentibus damus cum consensu omnium heredum nostrorum quorum consensus ad hoc erat requirendus, XVIII. jugera agrorum ex aratro nostro cum proprietate pro novo Claustro construendo, volentes utique largiter predicto Conventui subsidiis et auxiliis ad structuram novi Claustri subvenire. Dedimus insuper et presentibus donamus predicto Conventui tria molendina, unum juxta agrum in quo Claustrum est edificatum, solvens tres marcas annuatim, et alia duo continue superiora super rivulum sub muro *Ysleben* solventia annuatim sex marcas et duos coros annone, pacifice et quiete perpetuis temporibus possidenda. Verumtamen in anniversario beatæ memoriæ Conthoralis nostre et eciam nostro cum cursum vite presentis Deo jubente consummaverimus, Conventus missas et vigilias solemniter debet celebrare, et Prepositus qui pro tempore fuerit de redditibus molendinorum pauperibus eleemosynam, videlicet panem caseum, cervisiam et pisa pro salute animarum nostrarum et omnium fidelium defunctorum, et Sanctimonialibus bonam pitanciam singulis annis in anniversariis nostris debet fideliter ministrare. Ne forte quisquam super his que in his litteris scripta sunt imposterum hesitaverit aut donaciones nostras vel beneficia nobis et nostre felicis recordacionis Conthorali impedierit, quia sigillum autenticum nostrum habere minime potuimus, secreto nostro sigillo hanc litteram dedimus roboratam. Dat. an. Dni millesimo CCCXLIII. in vigilia B. Georgii martyris.

(Ex MOSER T. II. Urkunden-Buch des Closters Helpede LXX. 1343. p. 35.)

## V.

### NOVISSIMA TRANSACTIO IN HELPEDE FACTA.

In nomine Domini Amen. Ad notitiam omnium quorum interest aut intererit, Nos *Lukardis* Dei gratia Abbatissa, *Johannes* Prepositus totusque conventus Sanctimonialium monasterii in Helpede, volumus pervenire quod datis nobis in precium XXIII. sexagenis cum dimidio grossorum Pragensium ab honorabili Dna abbatissa et Conventu in *Gerberstede* cœnobii, vendidimus eis et ipsi monasterio in *Gerberstede* multis deliberationibus et tractatibus prehabitis, unanimi consensu, duos mansos cum dimidio sitos in campis et duas curias in villa *Neustede*..... Testes vero sunt honorabiles viri dnus *Heydenricus* et dnus *Johannes* in cella monasteriorum Prepositi; *Hermannus* sacerdos, confrater noster et alii quamplures fidei digni.... Datum Helpede anno Dni MCCCXLVI, in die B. Augustini confessoris.

*(Allgemeine Archiv. 1836. p. 154 von Ledebur.)*

## VI.

### COMMENDATIO LIBRI SANCTÆ GERTRUDIS JUXTA CODICEM BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

Anno Dni MCCLXXXIX divina exuberante gratia libellus iste initium habuit. Qui postmodum procurantibus Prelatis monasterii examinatus et comprobatus est a nominatis theologis Fratribus ordinis Predicatorum atque Minorum. Et primo perlectus et approbatus a litterato viro, scilicet Fratre H. dicto de *Mulhusen*, viro utique pleno Spiritu Sto; et etiam a Fratre H. de *Wernigerode*, cum ipse staret in domo Hallensi. Hinc comprobatus est a Fratre dicto de *Burch*, qui circa annum Dni MCCC. lector existens Fratrum Minorum in domo Halberstadii valde nominatus fuit tam in eminenti litteratura quam etiam in spirituali privilegio spiritualis unctionis. Deinde subtilius est examinatus a Fre *Nicolao* lectore de *Hildesheim*, qui circa annum Dni MCCC. primum fuit Prior in *Halberstadt*. Et Fer quoque *Theodoricus* dictus de *Apoldia* sæpius cum ea colloquium habens, sermones et sensum illius per omnia approbavit. Dominus etiam *Gottfridus*, dictus *Rex* et magister satis probatus, ac verbis istius personæ tanto divinæ voluntatis zelo succensus est quod deinceps totam vitam suam devotione mira et desiderio ad Dominum feliciter consummavit. Similiter Fer *Hermannus* dictus de *Loweia* lector ordinis Fum Predicatorum in *Lipzia?* et alii quamplures ejusdem ordinis fide digni, audientes verba ipsius optimum

et ipsi testimonium ex parte Dei eidem perhibuerunt. Quidam alter perlecto et diligentius examinato libro isto sic subscripsit : Ego in vera veritate divinæ lucis fateor quod nullus veraciter Spiritum Sanctum Dei habens ausu temerario permittitur his scriptis ullo modo rebellare : imo ego per veritatis spiritum unici amatoris humani generis confortatus obligo me pro his usque ad mortem contra quemlibet certaturum.

Trutta est nomen istius libri.

## VII.

INVENTUS EST QUIDAM VETUSTUS CODEX IN QUODAM MONASTERIO PROPE STIRIAM SITO, IN QUO HÆC PRÆFATIUNCULA PRÆMITTITUR REVELATIONIBUS S. MECHTILDIS ET S. GERTRUDIS.

Binæ hæ beatæ virgines, *Mechtildis* cujus pater dives Baro fuit dominii de Hackenborn, *et Gertrudis*, de quibus hic liber loquitur, in ætate juvenili Deo et beatæ Matri tuæ (*lege* suæ) Mariæ in hostiam et oblationem vivam oblatæ sunt in monasterio Helpede, quod medio milliari ab oppido Eislebio, comitatus Mansfeldensis, diocesis Halberstaten. situm, et per eosdem comites Mansfeldenses fundatum est. In quo cum aliis Deo sacratis virginibus tam admirabilem, sanctam et contemplativam vitam duxerunt, ut de tam copiosa Dei gratia illis infusa tota patria miraretur. Unde quisquis hunc librum legerit, modo ipse voluerit, magnam vitæ suæ emendationem inde trahere poterit, Deoque suam animam placentem facere. Porro monasterium istud, quod lingua saxonica Helpede [nostra vero lingua Helffede] dicitur, in quo Deus per electas suas [dilectrices] sæpius mira operari dignatus est, *succedente tempore* [tandem sicut ibi scriptum est] anno Domini Mcccxlij in bello, quod Duces Brunswicenses cum Comitibus Mansfelden. gesserunt, permittente Deo misere subversum et incineratum est. Et quamquam aliqui sacratas virgines tunc in eo repertas in honore et corpore suo violare tentaverint, adeo tamen mirabiliter a Deo [in hac necessitate] protectæ sunt, ut nemo hostium, sicut ipsimet posteá confessi sunt, eas quiverit attingere. Et hac de causa ipsum monasterium per memoratos Comites Mansfelden. in suburbium oppidi Eislebien. translatum est, in quo [ad hoc usque tempus, Deo gratias] multæ religiosæ virgines Deo devote serviunt.

*Ita pleræque editiones libri Gertrudiani juxta Lanspergium factæ, et quædam Mechtildiani. Insuper fr.* MARCUS DE WEIDA, *qui* LIBRUM SPECIALIS GRATIÆ *teutonice redditum, Lipsiæ, anno 1503, typis mandavit, eamdem Præfatiunculam ex emendatiori codice libro suo præfixit. Quædam verba ex ipso translata et uncis inclusa textui Lanspergiano supra inseruimus; ea vero quæ in teutonico desunt, italicis characteribus distinximus.*

## VIII.

CHRONOLOGIA CONVENTUS HELFTENSIS MONIALIUM O. S. B. A CLAUSTRI MANSFELDICA FUNDATIONE USQUE AD CŒNOBII NOVI-HELFTENSIS IN SUBURBIO ISLEBII INSTAURATIONEM.

Anno 1229. Burchardus I. Comes de Mansfeld cum uxore Elisabeth ac filiabus Gertrude et Sophia in castro suo Mansfeldensi claustrum monialium in honorem B. Mariæ V. erigit et dotat.

Fer. V. post Pascha. Inchoantur ædificia.

Die XXIX junii. Chunegundis Abbatissa cum septem Monialibus e cœnobio S. Jacobi Halberstadtensi in novam domum introducitur.

Die XIII. Decembris. Comes Burchardus pius fundator moritur.

Anno 1230. Confirmatur ab hæredibus Burchardi fundatio claustri, additis quibusdam donationibus.

— 1232. Gertrudis de Hackeborn nascitur.

— 1234. De castro Mansfeldensi transfertur conventus in Rodardsdorf.

— 1242. Mechtildis de Hackeborn nascitur.

— 1249. Mechtildis de Hackeborn in claustro Rodardsdorf, ubi soror sua Gertrudis jam fuerat ingressa, recipitur.

— 1251. Moritur Chunegundis prima Abbatissa; cui subrogatur Gertrudis de Hackeborn, soror sanctæ Mechtildis.

— 1253. De gremio monasterii Rodardsdorf sorores duodecim desumuntur ut novus erigatur conventus in Hedersleben.

6 jan. 1256. Sancta Gertrudis nascitur.

Anno 1258. Albertus et Ludovicus de Hackeborn, fratres Gertrudis Abbatissæ quoddam prædium in Helfta concedunt monialibus de Rodardsdorf.

Eodem anno. De loco Rodardsdorf transfertur conventus in Helftam.

— 1261. Sancta Gertrudis quinquennis Helftæ claustrum ingreditur.

— 1262. Datur a conventu Helftensi cautio Sororibus in Hedersleben antea missis.

— 1265. Burchardus de Querfurt, gener fundatoris, erigit in Helfta capellam in honorem SS. Joannis Baptistæ et Joannis Evangelistæ, ubi familia sua sepeliretur.

Circa 1268. Soror Mechtildis, cujus est liber *Lux divinitatis*, apud Helftenses jam senior recipitur.

27 jan. 1281. Prima sanctæ Gertrudis revelatio a Deo facta.

1284 in Parasceve. Gebhardus de Mansfeld, frater Sophiæ postea abbatissæ, graves injurias infert monasterio, propter quas excommunicatur.

| | |
|---|---|
| Fer. V. in Cœna Dni. 1289. | Sancta Gertrudis revelationes suas scribere incipit a capite primo ad quintum libri secundi. |
| Mense Octob. | Sancta Gertrudis scriptum resumit, sicque conficitur pars illa revelationum quam ipsa exaravit. |
| Circa 1290. | Soror Mechtildis ex hac vita decedit. |
| — 1291. | Abbatissa Gertrudis paralysi correpta decumbit, et aliquanto ante Quadragesimam ad cœlestem patriam transit. Beatæ Mechtildi Abbatissa in gloria apparens sororem consolatur. Felicitatem in cœlis ejusdem defunctæ sanctæ Gertrudi Deus quoque manifestat. Instituitur Sophia de Mansfeld, tertia Abbatissa. |
| 1292. Maio ineunte. | Sancta Gertrudis Dei revelatione cognoscit electum loco Rodolphi I. Adolphum imperatorem, cujus etiam necem prænuntiat. |
| — 1294. | Helftæ monasterio imminet grave periculum ex exercitu Alberti Nothi, quod SS. Gertrudis, Mechtildisque deprecantur. |
| 1298. 19. nov. fer. IV. post Dominicam *Si iniquitates.* | Sancta Mechtildis ad cœlum vocatur. |
| Anno 1301. | Absolvitur pars altera libri sanctæ Gertrudis; nec multo post ipsa migrat ad Sponsum. |
| — 1342. | Helftense monasterium direptione et incendio per manum Alberti Brunswicensi episcopi Halberstadtensis intrusi vastatur. |
| — 1346. | Helftensi domo relicta, Conventus transfertur ad Islebium in suburbio per Burchardum VIII. de Mansfeld, Luitgardis Abbatissæ patrem. |

## IX.

### SERIES ABBATISSARUM MONASTERII HELFTENSIS IN QUO FLORUERUNT SS. GERTRUDIS AC MECHTILDIS, NECNON SOROR MECHTILDIS.

I. Kunegundis Halberstatensis 1229 — 1251.
II. Gertrudis de Hackeborn 1251—1291.
III. Sophia I. de Mansfeld 1291—1303.
IV. Jutta I. Halberstatensis 1303—1310?
V. Sophia II. de Friedburg 1310?—1337.
VI. Lutgardis I. de Mansfeld 1337-1347.
VII. Lutgardis? II. de Querfurt 1347.
VIII. Oda de Hamersleben 1348?—1351.
IX. Jutta II. de Stolberg 1351—1383.
X. Mechtildis I. de Querfurt 1383-1409.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

XI. Sophia III. de Stolberg 1409—1459?
XII. Mechtildis II. de Mansfeld 1459 — 146...
XIII. Margarita 146.. — 1474?
XIV. Catherina de Wartzdorff 1496?—1527.

Nota. Forsitan sunt duæ Sophiæ ante Juttam una filia Hermanni de Mansfeld, altera, Burchardi, ac unica Lutgardis; item duæ Sophiæ de Stolberg ab anno 1409. ad 1459. Post Margaritam aliqua potest etiam inseri abbatissa. Illæ sunt quas reperire nobis licuit Abbatissæ hujus celeberrimi Monasterii Helftensis.

## X.

### PRÆFATIUNCULA REVELATIONIBUS SORORIS MECHTILDIS IN CODICE EINSIEDELNENSI INSCRIPTA.

Von Offenbarungen einer liebhabenden Seel.

Anno Domini MCCL. fere per años XV. liber iste fuit teutonice cuidam begine, quæ fuit virgo sancta corpore et spiritu, per gratiam a Domino inspiratus, quæ in humili simplicitate, in exulari paupertate, in oppresso contẽptu, in cœlesti contemplatione, ut in scriptura ista patet, plus quam XL. años Domino devotissime servivit, sequens perfecte vestigia fratrum ordinis predicatorum, de die in diem semper proficiens, semper melior se fiebat. Conscriptus autem a fratre quodam predicti ordinis et continet multa bona, prout in titulis prenotatur.

De Trinitate : II. lib., 3. cap.; III. lib, 9. c.; IV. lib., 12. et 14. c.; V. lib., 26. c.

De Christo : II. l., 3. c.; IV. l., 24. c.; V. l., 23. c.

De dómina nostra : I. l., 4. c.; II. l, 3 c.; V. l., 23. c.

De IX. ordinibus angelorum : I. l., 6 c.; III l., 1. c.; V. l., 1. cap.

De prerogativa quorundam sanctorum : III. l., 20, 21. et 23. cap.

De malitia demonum : IV. l., 17. c.; II. l., 24. c.; V. l., 29. c.; V. l., 9. c.

De hominis dignitate : I. l., 44. c.; IV. l, 14. c.

De raptu et separatione anime a carne : I. l., 2. c.

De descriptione cœli : III. l., 1. c.

De descriptione inferni : III. l., 21. c.

De multiplici purgatorio : II. l., 7 c; III. l., 15. et 16. c; XIV. l. 15. c.

De multis virtutibus et vitiis : II. l, 22, 25. c.; III. l., 7. et 14. c.; IV. l., 4. c. et de caritate maxime : III. l., 13. c.

De predicatoribus in fine mundi tempore antichristi : IV. l., 27. c.; et de multis inauditis quæ intelliges, si cum credulitate, humilitate et devotione novies perlegeris librũ istu.

Hic est prophetia de preterito, presenti et futuro. Hic est etiam distinctio trium personarum : V l., 26. c.

(*Offenbarungen der Schwester Mechtild von Magdeburg, von P. Gall Morel. Regensburg 1869.*)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

## XI.

1° SYLLABUS PERSONARUM CUM ALIQUA SANCTITATIS NOTA PASSIM APUD SCRIPTORES OCCURRENTIUM, QUIBUS NOMEN FUIT GERTRUDIS AUT QUODDAM SIMILE.

Gertrudis nomen attributum est nonnullis e sociabus S. Ursulæ : sex enim, præter Gebertrudem in veteri litania monasterii Ewick insertam, numerantur ex Crombach, *Vita et mart. S. Ursulæ, in Boll. t. IX. Oct. f. 263.*

Gertrudis, vel Gontrudis de Hagnevilla in Diœcesi Tullensi, post ann. 362. *Boll. t. VIII. Oct. f. 273.*

Gertrudis de Hamatico, in Flandria vidua, ann. 649. — *Boll. t. I. Febr. f. 295. — Lud. Schonleben. Annus sanctus Habspurgo-Austriacus, p. 763.*

Gertrudis vel Geretrudis, Fossensis, ann. 640 *Menard. Mart. O. S. B. f. 900.*

Gertrudis Nivigellensis. ann. 664. *Act. SS. O. S. B. 11. s. f. 462. — Boll. t. II. Mart. f. 592 et t. X. Oct. f. 859.*

Gertrudis de Valduleto in Lotharingia. VII. S. *Boll. t. VII Maii. f. 514.*

Gertrudis vel Gebetrudis vel Tetta, Habendensis in Vosago, post ann. 670. *Act. SS. O. S. B. 11 s. f. 603. et 604.*

Gibitruda, in Faræ-monasterio. VII. s. *De Heredia, Vidas de Santos. t. I. f. 423. — Ant. de Yepes. Chron. O. S. B. t. 2. f. 68.*

Gertrudis, abb. de Marchiana et de Hamatico. VII. *Boll. t. III. maii. f. 101.*

Gertrudis de Blangiaco in Flandria; post ann. 725. *Act. SS. O. S. B. 11. s. f. 462. et III. s. p. 1. f. 451. Boll. t. III. Jul. f. 627.*

Gertrudis, seu Tetta, Angliæ regis filia, monial. in Winbrun. ann. 740. *Surius. t. V. 28. Sept fol. 434. — Monast. angl. t. II. f. 88.*

Gertrudis, Carleburgensis in Franconia; VIII. S. *Act. SS. O. S. B. III. s. part. I. f. 718. — Boll. t. II. Mart. f. 601.*

Gibitrudis, abb. S. Quintini apud Trecas. VII. s. *Act. SS. O. S. B. 11. s. f. 985.*

Gertrudis Zwifaltensis in Polonia. Ann. 1160.. *Bucelin Ménol. Annales mon. Zwifalt. f. 96.*

Gertrudis, vel Genetrudis, ex ms. Aquisgran. *Greven, auct. martyr. Usuardi. 1. Apr.*

Gertrudis de Spanheim, reclusa XXII. s.

Gertrudis de Monte Salvatoris in Germania. Circ. ann. 1229. *Annus Cisterc. t. II. f. 163.*

Gertrudis de Rheinfelden cum aliis ejusdem nominis in monasterio Sub-Tilia Colmariensi in Alsatia. XIII. s. *Pez. Biblioth. ascet. t. VIII. c. XXI.*

Gertrudis de Jesu.
Gertrudis de S. Dominico. } *Calendarium Ord. Prædicatorum.*

Gertrudis de Warburch, in Wesphalia. *Boll. t. I. Jun. f. 219.*
Gertrudis de Trebiniaco, in Silesia, filia S. Hedwigis, ann. 1273. *Act. SS. O. S. B. 11. s. f. 462.* — *Henriquez, Menol. cisterc. f. 86.*
Gertrudis de Altenberg, filia S. Elisabeth Thuring. ann. 1297. *Boll. t. III. Aug. f. 142.*
Gertrudis, Abbatissa in Helfta, ann. 1291. de qua in Revelationibus SS. Gertrudis et Mechtildis.
Gertrudis, virgo, de qua pariter in *Legatus*, lib. V. c. 3.
Gertrudis Magna, Helftensis in Saxonia. post an. 1301.
Gertrudis de Volmstein, in Westphalia. xiv. s. *Boll. t. II. Febr. f. 804.*
Gertrudis, vel Gheertrudis, vel Truyt, de Oosten beghina in Delft, in Batavia. ann. 1358. *Boll. t I. Jan. f. 348.*
Gertrudis, item beghina in Delf. xiv. s. *Boll. t. I. Jan. f. 353.*
Gertrudis de Biloca, prope Gandavum. ann. 1400. *Boll. t. VI. Aug. f. 649.*
Gertrudis Ortenbergica, in Suevia. ann. 1435. Ord. S. Francisci *Boll. t. III. Febr. f. 360.*
Gertrudis de Dresum, Ord. Præmonstr. xi s. *G. Lienhart. Ephem. hagiol. f. 352.*
Gertrudis, comitissa Clivensis, Ord. Præmonst. *G. Lienhart. Eph. hag. f. 119.*
Gertrudis, Mauriacensis. Ord. Præmonst. *G. Lienhart. Eph. hag. f. 86.*
Gertrudis de Roggenburg, in Suævia, Ord. Præmonst. *G. Lienhart. Eph. hag. f. 151.*
Gertrudis, martyr in Anglia. *Boll. t. II. Aug. f. 326.*
Gertrudis de Furtenburg. Ord. S. Francisci. ann. 1653.
Gertrudis Salisburgensis, ann. 1673. Ziegelbauer. *t. II. f. 212.*
Gertrudis Sieciecha, Ord. S. Basilii. ann. 1841.

2° SYLLABUS PERSONARUM CUM ALIQUA SANCTITATIS NOTA PASSIM APUD SCRIPTORES OCCURRENTIUM, QUIBUS NOMEN FUIT MECHTILDIS, AUT QUODDAM SIMILE.

Mechtildis, vel Mathildis nomen quinque e sociabus S. Ursulæ ex Crombach attributum est. *Boll. t. IX. oct. f. 264.*
Mechtildis, vel Manechildis, filia Sigmari, vii. s. *Boll. t. VI. Oct. f. 526.*
Mechtildis de Ringelehin post ann. 930. *Iepes. Chron. O. S. B. t. IV. fol. 612.*
Mechtildis vel Mathildis, in Quedlimburg. uxor Henrici Aucupis. ann. 968. *Act. O. S. B.* v. *s. t. 7. f. 347.*
Mechtildis item Quedlimburg circa ann. 998. *Boll. t. II. mart. f. 542.*

Mathildis it. Quedlimburg. ann. 1007. *Boll. t. I. Febr. f. 764.* — *Act. SS. O. S. B.* VI. *s. t. 8. f. 202.* — *Albert Krantz lib. III. Saxoniæ c. 12.*

Mathildis, apud Brunonisvillare, prope Coloniam. ann. 1025. *Boll. t. V. maii. 2 p f. 48.*

Mathildis comitissa de Tuscia, circa 1090. *Boll. t. II. Jul. f. 490.*

Mathildis, ord. Præmonstr. XI. s. *Hugo, Vita S. Norb. lib. II. n. 18.*

Mathildis Ambian. Ord. Præmonstr. *Lienhart. Eph. hagi. f. 361.*

Mechtildis, filia S. Margaritæ de Scotia. ann. 1118. *Boll. t. III. apr. f. 722 et t. I. maii f. 4.*

Mathildis, Fontis Ebraldensis. ann. 1150. *Boll. t. VII. maii. f. 3.*

Mechtildis de Spanheim, ann. 1154. *Boll. t. III. Febr. f. 626.*

Mechtildis de Fussenich in Wesphalia. ann. 1207. *Boll. t. III. Febr. f. 485. et II. mart. f. 342.*

Mechtildis de Fusciniaco in Theorascia circa ann. 1217. *Boll. t. II. apr. f. 65. t. III. apr. f. 246. t. I. mai. f. 434.*

Mechtildis et aliæ ejusdem nominis in Unterlinden Colmariensi. *Pertz. Bibl. ascet. t. 8.*

Mathildis de Bierbeke. ann. 1272. *Gall. christ. t. V. f. 66.*

Mechtildis de Diezzen. ann. 1272. *Boll. t. VII. mai. f. 442.*

Mechtildis, virgo, in Helfta, auctor libri *Lux Divinitatis* circa an. 1290.

Mechtildis de Hackeborn, Cantricis, de Helfta, in Saxonia.

Mechtildis de Stanz in Helvetia, XV. s. *Boll. t. VII. maii. f. 234.*

Mechtildis de SS. Sacramento, ann. 1698.

EXPLICIT.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

# INDEX

Præfatio. . . . . 1

LIBER SPECIALIS GRATIÆ.

Prologus. . . . . 1

PARS PRIMA.

Caput prævium. De nativitate hujus virginis, item de vocatione et præclaris dotibus. . . . . 5

I. De Annuntiatione B. Mariæ Virginis et de Corde Domini et laude ejus. . . . . 7
De evangelio *Missus est* et de B. Virgine. . . 9
II. Qualiter beata Virgo salutetur. . . . . 11
III. De quadruplici voce Dei. . . . . 12
IV. Cur facies Domini soli comparatur. . . . . 13
V. In vigilia nativitatis Domini. . . . . 14
De Christi nativitate melliflua. . . . . 15
Item de nativitate et amore. . . . . 16
De quatuor pulsibus Cordis Christi. . . . . 18
Item de Christi nativitate. . . . . 20
VI. De Sancto Joanne apostolo et evangelista. . . 21
Duodecim privilegia beati Joannis evangelistæ. 23
Item de sancto Joanne. . . . . 24
VII. Qualiter pro Congregatione oravit et de spirituali circumcisione. . . . . 24
VIII. De quinque januis et de baptismo Domini. . . 26
IX. Qualiter Christus defectus animæ supplet. . . 29
Quod Christus iram Patris mitigavit. . . . . 29
Aliud. De arbore. . . . . 30

X. De veneratione imaginis Christi, et de ejus convivio. . . . . 31
Doctrina. . . . . 33
De quatuor radiis faciei Domini. . . . . 33
XI. De sancta Agnete, et quod Sancti omnia bona sibi devotis dare possunt in propria. . . . . 34
XII. De purificatione B. Virginis et de sancta Anna 37
XIII. De monte et septem gradibus et fontibus, et de throno Dei et beatæ Virginis. . . . . 40
De monte virtutum et de Sanctis in eo visis. . . 44
XIV. Qualiter Domino anima ministret. . . . . 46
XV. De quinque modis Deum laudandi. . . . . 47
XVI. De nomine Domini et de ejus vulneribus sacris. 48
De desiderio animæ. . . . . 49
XVII. De arbore crucis. . . . . 50
XVIII. De Passione Domini nostri Jesu Christi. . . . 51
Item de Passione Domini. . . . . 54
Qualiter homo memoriam Christi Passionis celebret omni sexta feria per annum. . . . . 59
Quid Deo maxime in homine complaceat. . . 59
XIX. De Christi resurrectione et ejus glorificatione. . 60
De unguento spirituali. . . . . 61
De domo cordis. . . . . 61
Quod Dominus Congregationi ministrabat. . . 64
Laus et oratio de quinque gaudiis Domini, quod habuit in sua gloriosa resurrectione. . . . . 65
De glorificata humanitate Christi in resurrectione. . . . . 67
Qualiter Deus cum anima maneat, et de convivio Domini. . . . . 68
De die octava Paschæ. . . . . 70
XX. Qualiter Deus Pater Filium suum ascendentem suscepit. . . . . 71
Qualiter Deus operum Redemptionis moneatur. 75
XXI. De fletu Domini et lacrymis amoris. . . . . 76
XXII. De triplici operatione Spiritus Sancti in Apostolis et in qualibet anima desiderante. . . . 77
De vinea Domini, scilicet anima justi. . . . . 79
De quinque osculis. . . . . 80
XXIII. Item de amore, qualiter homo cor suum offerat. 82
XXIV. De fonte vivo qui Deus est, et de gaudio animæ. 84
XXV. De vulneribus sanctæ Mariæ Magdalenæ. . . 86
Quod B. Maria Magdalena se invocantibus pœnitentiam valet impetrare. . . . . 87
XXVI. De veneranda Assumptione Beatæ Mariæ Virginis. 88
Qualiter Maria Virgo sit assumpta. . . . . 90
In his quinque communicans se exerceat. . . . 94

XXVII. De processione et missa quam Dominus celebravit. . . . . 95
XXVIII. De sancto Bernardo abbate. . . . . 97
XXIX. De Nativitate gloriosæ Mariæ Virginis. . . . . 99
XXX. De Angelis, et qualiter homines socientur eisdem. 102
XXXI. De festo Omnium Sanctorum, et qualiter Christus omnes animæ defectus supplet. . . . . 104
De aureola Virginum. Qualiter Deus debeat laudari in Sanctis. . . . . 108
XXXII. De sancta Catharina et ejus decore. . . . . 110
XXXIII. De minimo Sancto et de bonitate Dei. . . . . 111
XXXIV. De sancto Bartholomæo. . . . . 112
Qualiter Deus in Sanctis laudatur. . . . . 113
XXXV. De festo Dedicationis ecclesiæ. . . . . 115

INCIPIT TRACTATUS DE BEATA VIRGINE.

XXXVI. De Beata Virgine et de septem pedissequis ejus. 118
XXXVII. Qualiter homo veram sanctitatem obtineat. . 120
XXXVIII. De coronis beatæ Virginis. . . . . 122
XXXIX. De radiis de corde beatæ Mariæ Virginis prodeuntibus. . . . . 123
XL. Angeli animam ad beatam Mariam deducunt. . 124
XLI. De gaudiis beatæ Virginis Mariæ. . . . . 125
XLII. Quod beata Virgo Maria non potest dulcius salutari quam per *Ave Maria*. . . . . 126
XLIII. De quinque *Ave Maria* ante communionem legendis. . . . . 127
XLIV. De fidelitate gloriosæ Mariæ Virginis. . . . . 128
XLV. Qualiter beata Virgo cum omni creatura salutetur. 129
XLVI. Item de Salutatione Virginis. . . . . 131
XLVII. De tribus *Ave Maria* dicendis. . . . . 133

PARS SECUNDA.

CAPUT I. Qualiter Deus animam invitat. . . . . 135
II. De vinea Domini quæ est Ecclesia, et de quadruplici oratione. . . . . 137
III. Qualiter Deus ad animam venit. . . . . 140
IV. De amplexu Domini. . . . . 140
V. Dominus illam juvat ad lectionem. . . . . 141
VI. Dominus suaviter illam excitat. . . . . 141
VII. De cursu et labore Domini. . . . . 142
VIII. De osculo Domini. . . . . 143
IX. Qualiter ei Dominus apparuit. . . . . 143
X. Quod Dominum in specie diaconi vidit. . . . 144

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

XI. De flagello Domini. . . . . 145
XII. Quod in sua tentatione fuit consolata. . . . 145
XIII. Qualiter Deus animam in mœrore sustentat. . 146
XIV. De desiderio quod habuit ad confessionem. . . 147
XV. Quod amor omnia ejus neglecta supplevit. . . 149
XVI. Quod ei Dominus amorem in matrem donavit. 149
XVII. Qualiter unum cum Dilecto est effecta. . . . 151
XVIII. Quod Deus animam suis virtutibus decoravit. . 153
XIX. Quod eam Dominus in se ipso sepelivit in die Parasceves. . . . . 155
XX. Qualiter Christus pro ea laudes Deo Patri persolvit. . . . . 157
XXI. Quod Cor Domini in similitudine lampadis sibi visum est. . . . . 158
XXII. De rubo et virga justitiæ et de IX choris Angelorum. . . . . 161
XXIII. De coquina Domini. . . . . 165
XXIV. Quod anima in Corde Domini nidificat. . . . 166
XXV. De Cruce et serica veste Domini. . . . . 167
XXVI. De multiplici ejus pœna. . . . . 168
XXVII. Quod ei Dominus de seipso vestimentum facere repromisit. . . . . 172
XXVIII. Quomodo omnibus Sanctis de fonte misericordiæ propinavit. . . . . 173
XXIX. Iterum de fonte misericordiæ. De confessione. . 174
XXX. Qualiter Dominus eum sanavit. . . . . 175
XXXI. De multiplici ejus pœna. . . . . 176
XXXII. De amplexu Domini et de Corde Domini. . . 177
XXXIII. Qualiter homo cor suum Deo præponit ad inhabitandum. . . . . 178
XXXIV. Qualiter Deus animæ sensus suos donat ut eis utatur. . . . . 179
XXXV. Qualiter Deus animam ad se vocavit, et de amore. . . . . 180
XXXVI. Qualiter homo pœnas suas committit Deo. . . 183
XXXVII. Quæ sint veræ et puræ virgines. . . . . 185
XXXVIII. De arrhis virginum. . . . . 186
XXXIX. Quod Christus cum pœnis animæ se vestit. . . 187
XL. Qualiter Deus in anima operatur. . . . . 188
XLI. Quod omnia beneficia sibi facta Christus sibi reputabat. . . . . 188
XLII. De throno Dei et de novem choris Angelorum. . 190
XLIII. De nomine et utilitate hujus libri. . . . . 192

## PARS TERTIA.


CAPUT I. De annulo septem lapidibus pretiosis insignito. 195
II. De rosa quæ de Corde Domini exivit, per quam Dei laus signabatur. . . . . 197
III. De quinque verbis laudis divinæ. . . . . 199
IV. Quod tribus modis Dominus debet laudari. . . 199
V. De tribus quæ debet homo revolvere mente. . . 201
VI. Qualiter Christus debeat laudari in singulis membris suis. . . . . 203
Confessio Deo facienda post confessionem ad sacerdotem. . . . . 204
VII. Qualiter homo omnes creaturas ad Dei laudem invitet. . . . . 205
VIII. Qualiter homo Cor Dei salutet. . . . . 206
IX. De salutatione Domini et ejus consolatione. , . 207
Quod Deo bona opera sapiunt, licet homini non. 208
X. Qualiter homo cor suum ad Deum elevet. . . 209
XI. Quod optimum est gratia infusa frui. . . . . 210
XII. De tribus dispositionibus cordis humani. . . . 210
XIII. Triplex instructio bona et utilis. . . . . 211
XIV. Qualiter homo Christi conversationem sibi usurpet. . . . . 212
XV. Qualiter Christi membra nobis velut specula lucent. . . . . 214
XVI. Qualiter homo secundum placitum Dei vivat. . 215
XVII. Qualiter homo Cor Dei salutet et cor suum Deo offerat. . . . . 217
XVIII. Quid homo pro negligentiis suis offerat. . . . 219
XIX. Quod bonum sit Missæ interesse. . . . . 221
XX. Qualiter homo torporem depellat et somnum. . 222
XXI. Qualiter homo faciem animæ suæ contempletur. 224
XXII. Qualiter homo se ad sanctam communionem præparet. . . . . 225
XXIII. Quali desiderio ad communionem accedat. . . 226
De septem gemmis pretiosis. . . . . 226
XXIV. Qualiter homo ad communionem accedat. . . 227
XXV. De triplici unguento animæ. . . . . 228
XXVI. Quam bonum sit sæpius communicare. . . . . 229
XXVII. Qualiter cor hominis Cor Dei sit unitum. . . 230
XXVIII. De scrinio tripartito cor hominis significante. . 231
XXIX. De septem Horis canonicis. . . . . 233
XXX. De tribus quibus homo inter Horas intendat. . 234
XXXI. Qualiter homo Horas suis inchoet, et quid sit minimum bonum. . . . . 235
XXXII. Quomodo homo negligentias suas suppleat. . 236

XXXIII. Qualiter homo fidem suam Deo recommendet. . 237
XXXIV. De quinque suspiriis in quibus homo obdormiat. . . . . 238
XXXV. Quomodo Christus ad gemitum pauperis surgit. 239
XXXVI. Qualiter Christus ardorem Cordis sui in anima refrigeravit. . . . . 240
XXXVII. Quod homines pignus Dei sunt. . . . . 241
XXXVIII. De veste nuptiali. . . . . 242
XXX[illegible] In quo anima Domino valeat similari. . . . . 243
X[illegible] Quod Deus cor nostrum desiderat. . . . . 243
XLI. Qualiter homo memoriam suam exerceat. . . 244
XLII. Quod Deum in omnibus factis suis consuluit. . 245
XLIII. Quidquid tibi displicet in Deo vincas. . . . . 246
XLIV. Quomodo Deum in quinque sensibus tuis quæras. . . . . 246
XLV. De obedientia et timore et susceptione laboris ministrantium. . . . . 248
XLVI. De Christi desiderio . . . . . 249
XLVII. De quadruplici oratione. . . . . 249
XLVIII. Quid sit maximum bonum quod homo possit facere cum corpore suo. . . . . 250
XLIX. De nobilitate et pretiositate animæ, et de corpore. . . . . 250
L. De horto et arboribus virtutum. . . . . 252
LI. Qualiter homo se ante confessionem discutiat. 253
. LII. De castitate gloriosæ Mariæ Virginis. . . . . 254

## PARS QUARTA.

### IN QUA AGITUR DE HOMINIBUS, PRIMUM IN GENERALI, POSTEA IN SPECIALI.

CAPUT I. De collatione Domini; qualiter Sancti et Congregatio de Corde Domini biberunt. . , . . . . 257
II. De candida veste et corona regni. . . . . 259
III. Qualiter virtutes in corona Domini lucent. . . . 260
IV. Qualiter Congregatio visa est accedere ad communionem. . . . . 261
V. Quid maxime hominem in Religione promoveat. 261
VI. Quid hominem in Religione conservet. . . . . 262
VII. De tribus Deo valde acceptis. . . . . 263
VIII. Qualiter Sancti pro Congregatione orabant. . . 264
IX. Quod felicissimi sunt qui ad hoc vivunt quod Deo servire possunt. . . . . 266
X. Quod Deus ejus precibus pluviam dedit. . . . 267
XI. Quod Deus ejus meritis Claustro pepercit. . . . 268
XII. Quod Dominus pacem reddidit propter eam. . . 268
XIII. Qualiter eam Deus vocavit. . . . . 269

XIV. Qualiter abbatissa eligatur. . . . . 270
XV. Qualiter homo desponsationem renovet. . . . 271
XVI. Qualiter se puellulæ novitiæ habeant. . . . . 273
XVII. Qualiter Christus profitentes in suos amplexus suscipit. . . . . 274
XVIII. De amplexu Domini. . . . . 275
XIX. Quam utile sit hominem frangere propriam voluntatem. . . . . 276
XX. De libero arbitrio hominis. . . . . 277
XXI. Quod utile sit homini sensus a noxiis refrenare. 278
XXII. Quam bona sit communis oratio. . . . . 279
XXIII. Qualiter Christus pro homine supplet. . . . . 280
XXIV. Quid homo in tristitia faciat. . . . . 281
XXV. Qualiter homo sua gravamina Deo committat. . 282
XXVI. Qualiter homo cor suum de omni tribulatione Deo offerat. . . . . 283
XXVII. Qualiter anima Christo colludat, et de deciis. . 284
XXVIII. Quod quidquid anima desiderat in Corde Dei requirat. . . . . , . . 286
XXIX. Qualiter negligentias cum laude suppleas. . . . 287
XXX. Qualiter se Deus cum anima vestit, et de effectu gemituum. . . . . 287
XXXI. Qualiter homo secundum Dei placitum vivat. . 289
XXXII. Qualiter homo se debeat ad Deum tenere. . . 290
Quod homo tribus modis debet se ad Deum habere, cum est inter homines. . . . . 291
XXXIII. Qualiter anima debeat Christo sociari. . . . . 292
XXXIV. Qualiter Deus opera sua homini communicat. . 293
XXXV. De dulci consolatione Domini. . . . . 293
XXXVI. De tribus viis Domini. . . . . 294
XXXVII. Qualiter anima ad Domini vulnera confugiat. . 295
XXXVIII. De utilitate lacrymarum et commutatione. . . 296
XXXIX. De quodam tentato per eam liberato. . . . . 298
XL. De quodam fratre Ordinis Prædicatorum. . . 298
XLI. De alio fratre Prædicatore. . . . . 299
XLII. Qualiter pro alio homine oravit. . . . . 300
XLIII. Quod Dominus se api comparat. . . . . 300
XLIV. Qualiter Dominus sibi servientibus servit. . . 301
XLV. Quod Dominus gaudet de pœnitentia peccatoris. 301
XLVI. Quod Dominus se præbet fideli animæ. . . . 302
XLVII. De quadam persona quæ timuit sæpius communicare. . . . . 302
XLVIII. De alia quæ similiter timebat. . . . . 303
XLIX. Quod homo Deo facit quæ facit homini propter Deum. . . . . 303
L. Aliud valde notabile. . . . . 304
LI. Quod homo debet Deo dare suos inimicos. . . 304
LII. Quod Deus voluntatem suscipit pro facto. . . . 305

LIII. Quod Deus desiderat converti peccatores. . . . 305
LIV. Quod Deus maxime delectatur in corde hominis. 306
LV. Quod Dominus assistit Deo Patri pro peccatoribus. . . . . 306
LVI. De quinque millibus quadragentis sexaginta *Pater noster*. . . . . 307
LVII. Quomodo ei Dominus contulit centum peccatores. 308
LVIII. Quam paratus sit Deus recipere peccatores. . . 309
LIX. De illis quæ scripsit cuidam matronæ sæculari. . 310
Ad eamdem consolatio bona. . . . . 312
Item ad eamdem doctrina valde bona. . . . . 314
LX. De trina Domini interrogatione. . . . . 315

## PARS QUINTA.

CAPUT I. De anima sororis suæ. . . . . 317
II. Quod animæ beatorum verba quæ pro eis leguntur Deo offerunt. . . . . 319
III. De anima sororis Mechtildis. . . . . 320
IV. De anima piæ Ysentrudis inclusæ. . . . . 321
V. De anima B. de Bar sanctimonialis. . . . . 322
VI. De anima quæ evolavit in ulnas beatæ Mariæ Virginis. . . . . 325
VII. De anima Fratris N. de Ordine Prædicatorum. . 329
VIII. De anima Fratris H. de Plawen. . . . . 331
IX. De animabus Fratrum Alberti et S. Thomæ Ordinis Prædicatorum. . . . . 332
X. De anima Domini B. Fundatoris Claustri. . . 334
De anima Domni C. plebani in Osterhausen. . 335
XI. De anima B. Comitis annorum decem et novem. 336
XII. De anima infantulæ nomine E. de Orlamunde. . 339
XIII. De anima alterius hominis. . . . . 340
XIV. De futura hominis resurrectione. . . . . 341
XV. De anima Domni B. Comitis. . . . . 342
XVI. De animabus Salomonis, Samsonis, Origenis et Trajani. . . . . 344
XVII. De animabus liberatis per ejus orationes. . . . 345
XVIII De oratione quæ dicitur *Fons vivus*. . . . . 347
Qualiter pro animabus proficue sit orandum. . 348
XIX. De quinque *Pater noster* post mortem alicujus legendis. . . . . 350
XX. De Inferno et Purgatorio. . . . . 351
XXI. De exitu hominis justi a corpore. . . . . 352

EXPLICIT DE ANIMABUS.

XXII. De veritate hujus *libri*, videlicet *Specialis gratiæ*. 353
XXIII. Quod qui donum Dei in aliis diligunt simile meritum habebunt. . . . . 356
XXIV. Qualiter hic liber sit provisus. . . . . 356

XXV. Quod opera charitatis hominem ab omni veniali peccato mundant. . . . . 358
XXVI. Qualiter homines Deo gratias agant pro hac persona. . . . . 359
XXVII. De futura resurrectione mortuorum. . . . . 361
XXVIII. De redemptione captivorum. . . . . 362
XXIX. Qualiter eam Dominus Matri suæ commendavit. 362
XXX. De laudabili conversatione hujus virginis. . . 363
XXXI. Gratiarum actio pro completione istius libri. . 369
XXXII. De tribus pulsibus Cordis Christi in sua morte. 371

PARS SEXTA.

Caput I. De vita et morte venerabilis Domnæ Gertrudis Abbatissæ. . . . . 373
II. Quod duodecim Angeli ei ministrabant. . . . 377
III. Quod Christis seipsum in ea suscepit. . . . 379
IV. De transitu ejus felici. . . . . 381
V. De eodem. . . . . 382
VI. De hora felicissimi transitus ejus. . . . . 383
VII. Qualiter ista beatissima anima est salutata. . . 385
VIII Qualiter in tricesima visa est. . . . . 386
IX. De anniversario ejusdem Domnæ Abbatissæ. . 388

PARS SEPTIMA.

Caput I. De extremis sororis Mechtildis, gloriosæ virginis in Helfede. . . . . 391
II. De vocatione ipsius a Domino. . . . . 392
III. Quod divinitus inungi commonetur. . . . . 393
IV. Quod singuli Sanctorum fructum meritorum suorum eidem donaverunt quando inungebatur. 394
V. De devota intentione et ferventi pro omnibus desiderio. . . . . 396
VI. Quod beata Virgo Maria curam Congregationis ab ea sibi commissam manualiter suscepit. . 397
VII. De orationibus ad infirmæ lectum a Sororibus dictis. . . . . 397
VIII. Quod Christus animam illam beatam inæstimabili modo salutavit. . . . . 400
IX. Quod sancta Trinitas et Sancti animam salutaverunt. . . . . 402
X. Quod Jesus cum attractione flatus ejus mirabili modo illam animam futuræ gloriæ coaptabat. 403
XI. De evolatione ejus et intra Cor divinum susceptione. . . . . 405
XII. De gaudio et augmento meriti Sanctorum. . . 406
XIII. De modo orandi Deum per hujus virginis merita. . . . . 407
XIV. Quod utile sit offerre Christi merita et Sanctorum pro animabus. . . . . 408

XV. Quod in die transitus sui nulla anima christiana intravit in Infernum. . . . . 409
XVI. Quod Laus Dei super omnia est quærenda. . 410
XXII. De nomine et utilitate hujus libri, scilicet *Specialis gratiæ*. . . . . 412
XVIII. De securitate exsequias ejus celebrantium. . 413
XIX. Quod Dominus suos diligit et corripit. . . . 414
XX. De felici anima B. Comitis fundatoris. . . . 415
XXI. De mirabili affectione Dei erga animam beatæ sororis Mechtildis. . . . . 418
XXII. Quod hæc anima beatæ Virgini Mariæ aliqualiter similetur. . . . . 420
Oratio per quam finem accipit hie liber in codice Guelferbytano. . . . . 422

## SORORIS MECHTILDIS.

### LUX DIVINITATIS FLUENS IN CORDA VERITATIS.

ARGUMENTUM. . . . . 425
PROLOGUS Fratris Henrici lectoris de Ordine Fratrum Prædicatorum. . . . . 435
De instructione personæ ad inchoandum librum. . . . . 437
De castigatione corporali qua femina sancta attrivit corpus suum. . . . . 440
De Sanctis per quos illustratur liber iste. . . . 442
De continentia hujus libri triplici et recusatione hujus operis. . . . . 443
De nomine et perpetuitate hujus libri. . . . 444

### LIBER PRIMUS.

#### DE OMNIUM PRINCIPIO ET HOMINIS CREATIONE, ET DE EJUSDEM REDEMPTIONE.

I. De quinque Deus laudatur. Oblatio pro peccatis. . . . . 447
II. De jubilo et concentu summæ Trinitatis. . . 447
III. De ignis divini ineffabili virtute et mirabili effectu. . . . . 448
IV. De altitudine majestatis divinæ, et quibus modis homo conscendat ad eamdem. . . . . 449
V. De consilio divinarum personarum, et de creatione omnium rerum a Spiritu Sancto inchoata. . . . . 450
consensu Filii cum Patre et Spiritu Sancto super proposito consilio. . . . . 451

De creatione hominis ad imaginem Dei. . . . 451
De sublimatione animæ, quam Deus eidem in creatione contulit. . . . . 452
De desiderio sanctorum Patrum pro liberatione humani generis. . . . . 453
VI. De gloria trium personarum ante Incarnationem Christi, et contemplatione Angelorum. . 454
De opportunitate Incarnationis Filii Dei. . . . 455
VII. De desiderio Virginis et incarnatione Verbi Dei. . . . . 456
De partu et lacte virginali et involumentis vilibus Christi nati. . . . . 457
De oblatione magnifica trium Magorum et insidiis Satanæ. . . . . 459
De liberalitate Virginis quæ dona Magorum pauperibus erogavit. . . . . 460
De velo templi quod Virgo de oblato auro comparavit. . . . . 461
De insidiis et versutia Satanæ incitantis Pharisæos contra Christum. . . . . 462
VIII. De veritate sanguinis Christi qui de latere ejus post mortem fluxit. . . . . 464
IX. De Sanctis qui cum Christo resurgente surrexerunt. . . . . 464
X. De gloriosa Filii ascensione dum ascenderet ad Patrem. . . . . 465
XI. De octo diebus humanitatis Christi. . . . . 466
XII. De spirituali animæ passione qua Christo conformatur. . . . . 467
XIII. Qualiter fidelis anima Christo conformatur. . . 468
XIV. De excellentiis animæ Domini nostri Jesu Christi. . . . . 469
De responsione Patris super interpellatione Filii. . . . . 471
XV. De desiderio amantis animæ. . . . . 471
De Patre et Filio et Spiritu Sancto, et Angelis. . . . . 472
De uberibus Virginis Matris et vulneribus Jesu Christi. . . . . 473
XVI. Commendatio et laus Virginis Matris et de prædestinatione gloriæ ejus antequam nasceretur in mundo. . . . . 474
De speciali nobilitate humanæ animæ. . . . 475
Qualiter de plenitudine Matris misericordiæ Sancti et peccatores restaurantur universi. . 475
Quod ejus beneficio omnes status Ecclesiæ renoventur. . . . . 476

XVII. Quod Virgo beata immunis ab omni peccato fuit in hac vita per gratiam non per naturam. 477
XVIII. De incomparabilibus revelationibus. . . . . 478
XIX. De fideli patrocinio miserorum. . . . . 479

LIBER SECUNDUS.

I. De Angelis, de laude Creatoris pro collatis sibi a Deo donis. . . . . 481
II. De excellentia angeli et hominis ad invicem comparata. . . . . 481
III. De ministerio Angelorum. . . . . 482
IV. De officio Angelorum et expugnatione dæmonum. . . . . 482
V. Tractatus de sanctis. De missa S. Joannis Baptistæ. . . . . 484
De officio missæ et ministris. . . . . 485
De oblatione pauperculæ et communione ejus. . 487
VI. De dignitate sancti Joannis Baptistæ. . . . . 488
VII. De loco mirabili in quo requiescit corpus S. Joannis Evangelistæ. . . . . 489
VIII. De sancta Maria Magdalene et festo ejus. . . . 489
IX. De virtutibus S. Dominici a Domino commendatis. . . . . 490
X. De sanctitate Ordinis Prædicatorum. . . . . 491
XI. De Unigenito et aliis filiis adoptivis. . . . . 492
De negligentia Prælatorum et peccatis subditorum. . . . . 492
De benignitate sancti Dominici ad subditos. 493
XII. De sancta Elizabeth et de sanctis Dominico et Francisco. . . . . 494
De sancto Petro martyre et deformitate Ecclesiæ. . . . . 495
De sorore Jutta sancta et triplici sanguine. . . 496
XIII. De pœnis quas spiritualiter cum ipso et aliis Sanctis pertulit soror Mechtildis. . . . . 497
De captivata charitate. . . . . 499
XIV. De statu sanctæ Ecclesiæ pulchre demonstrato. 500
De iis quæ muniunt et impugnant Ecclesiam. . 502
De secunda et tertia sapientia. . . . . 503
XV. De regno cœlorum. . . . . 503
Introductio ad Sponsum cœlestem. . . . . 504
De cœlo et casu Luciferi. . . . . 504
De throno Dei. . . . . 506
De indumentis Sanctorum. . . . . 507
De voluntate et amore et lumine Sanctorum. . 508
De choris sanctorum Angelorum. . . . . 508
De statu et loco non baptizatorum. . . . . 509
XVI. De multiplicibus portis cœli. . . . . 510

INCIPIT TRACTATUS DE SANCTIS NONDUM CANONIZATIS.

XVII. De Fratre Henrico. . . . . 511
XVIII. De Fratre Alberto. . . . . 513
XIX. De scholare bono amente facto. . . . . 514
XX. De Sorore Hildegunde. . . . . 514
XXI. De Fratre Baldewino. . . . . 515
XXII. De Fratre Henrico lectore qui compilavit librum istum. . . . . 516

LIBER TERTIUS.

I. De decano Magdeburgensi. . . . . 519
II. Item de venerabili decano. . . . . 521
III. De virtutibus sacerdotum. . . . . 521
IV. De communione infirmorum. . . . . 522
V. De oblationibus laïcorum. . . . . 523
VI. De Judæis. . . . . 523
VII. De miserabili statu eorum qui regunt Ecclesiam. . . . . 523
VIII. De utilitate tentationis. . . . . 525
IX. Deus pie dimittit peccata. . . . . 525
X. De Beguina distorta moribus tandem correpta. 526
XI. De Beguina in apparentia et non existentia. . . 527
XII. De impugnatione Ordinis Fratrum Prædicatorum. . . . . 528
Prophetia de Fratribus novæ Religionis in extremo venturis. . . . . 529
De filio Imperatoris primo Magistro hujus Ordinis. . . . . 530
De pacifico statu et tempore horum Fratrum et adventu Antichristi. . . . . 531
XIII. De adventu Enoch et Eliæ. . . . . 533
De morte Enoch. . . . . 535
XIV. De statera in manu Christi. . . . . 536
XV. Ingemiscit anima de corporis exstinctione. . . 536
XVI. Alloquitur anima corpus suum resurgendi. . . 537

LIBER QUARTUS.

I. Excitat amor animam pigram. . . . . 539
II. De colloquio animæ et charitatis. . . . . 541
III. De studiosa anima ad Deum suum. . . . . 543
Dolet anima quod parcit ei Deus. . . . . 543
Consolatio Sponsi ad animam. . . . . 544
Confabulatio Sponsi et Sponsæ valde dulcis. . 544
IV. De collatione animæ et corporis. . . . . 546
V. Colloquuntur simul Deus et anima. . . . . 547
VI. De via amantis animæ. . . . . 549

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

| | | |
|---|---|---|
| | Qualiter sponsus excitat animam. . . . . | 549 |
| VII. | Oratio et gratiarum actio. . . . . | 552 |
| | De intolerabili verbo satutationis. . . . . | 552 |
| VIII. | Oratio ad Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. . . . . | 553 |
| IX. | De unguento spiritali. . . . . | 554 |
| X. | Misera consolatorem alloquitur. . . . . | 555 |
| | Consolata gratias agit. . . . . | 556 |
| | Afflictio similem facit Deo. . . . . | 557 |
| XI. | De præcipuo ascensionis gradu. . . . . | 557 |
| | De gressu animæ ad inferiora. . . . . | 558 |
| | De effectibus salutationis divinæ. . . . . | 558 |
| XII. | De susceptione amantis animæ in cœlestibus. . | 559 |
| | De cruciatu animæ ab amore. . . . . | 559 |
| XIII. | Oratio ad charitatem quæ Deus est. . . . . | 560 |
| XIV. | De excellentia charitatis. . . . . | 562 |
| | De officio charitatis. . . . . | 563 |
| | De insanabili vulnere charitatis. . . . . | 563 |
| XV. | De affectibus et effectibus charitatis. . . . . | 364 |
| XVI. | De duabus sponsis Christi et diaboli. . . . | 565 |
| | De septemplici amore. De ignobilitate mentis. | 566 |
| XVII. | De ascensu et descensu montis Dei. . . . . | 567 |
| | De multiplici humilitate et charitate. . . . . | 568 |
| XVIII. | De multiplici amore. . . . . | 569 |
| | De labore corporali. . . . . | 570 |
| XIX. | De tribus locis allocutionis divinæ. . . . . | 571 |
| XX. | De respectu speculi divini et candelabro. . . . | 571 |
| XXI. | Laudat sponsus et humiliatur anima. . . . . | 572 |
| XXII. | Invitatio ad amorem. . . . . | 573 |
| XXIII. | De pulchritudine amantis animæ. . . . . | 575 |
| XXIV. | De familia animæ et ministris ejus. . . . . | 577 |
| XXV. | Explicatio quorumdam verborum. . . . . | 579 |
| | De incognoscibilitate Dei et de creatura. . . . | 580 |
| XXVI. | De septem Horis canonicis quas infirma dicebat. | 580 |
| XXVII. | Fastidit anima amans omnem creaturam. . . | 581 |
| XXVIII. | De Capitulo spirituali et peregrino qui apparuit ei. . . . . | 585 |
| XXIX. | De peccato et regno. . . . . | 586 |


LIBER QUINTUS.


| | | |
|---|---|---|
| I. | De animali quo moraliter anima designatur. . | 587 |
| | De fuga sensibilium cogitationum. . . . . | 588 |
| II. | De bonitate Religionis et quorumdam Religiosorum pravitate. . . . . | 590 |
| III. | De virtute orationis. . . . . | 592 |
| IV. | De bono labore. De septem virtutibus. . . . | 594 |
| V. | De spirituali paupertate utili. . . . . | 596 |
| VI. | De insidiis; de inimicis. . . . . | 597 |

VII. De periculo prælatorum. . . . . 596
De hospitibus. . . . . 598
VIII. De oratione. . . . . 600
IX. De via mirabili electorum. . . . . 603
De tribus quæ hominem habilitant ad bene ambulandum. . . . . 603
X. Qualiter homo se habere debeat in agendis. . 604
De impedimentis Religionis. . . . . 604
XI. De carnali sapientia Religiosorum. De usu gratiæ. 605
XII. Qualiter homo Christo et Sanctis ejus se conformat. . . . . 606
XIII. De utilitate tribulationis. . . . . 607
XIV. Quomodo Deus consolatur. De raritate veræ virginis. . . . . 609
XV. De reverentia communionis corporis Christi. . 610
XVI. De fortitudine Dei et infirmitate hominis. . . 611
XVII. De utilitate bonæ voluntatis. . . . . 612
XVIII. De veritate et falsitate virtutum et vitiorum. . 613
XIX. De duplici paupertate et falsitate. . . . . 614
XX. De hypocrisi fallente . . . . . 615
Quomodo vitia solent dissipare virtutes. . . . 616
XXI. De malitia et peccato . . . . . 616
Qualiter homo negligenter de vitio in vitium labitur . . . . . 617

LIBER SEXTUS.

I. De civitate infernali et fundamento et constructoribus. . . . . 619
De locis inferni et inhabitatoribus ejus. . . . 619
II. De cruciatibus singulorum vitiorum. . . . . 620
III. Nulla prosunt damnatis remedia. . . . . 621
IV. Status damnatorum post judicium, . . . . . 622
V. De Purgatorio. . . . . 622
VI. De compassione purgatorum. . . . . 624
VII. De multis animabus liberatis a pœna. . . . . 625
VIII. De purgatorio et pœnis clericorum. . . . . 627
IX. De leni statu animæ boni sacerdotis. . . . . 627
X. De valde gravi purgatorio cujusdam Religiosi. . 628
XI. De purgatorio cujusdam Beguinæ quæ erat proprii sensus. . . . . 629
XII. De purgatorio cujusdam scholaris interfecti. . 630
XIII. De statu Sanctorum. . . . . 631
XIV. Qualiter electi et reprobi in cœlo in purgatorio et in inferno comparent. . . . . 632
De immensa et ineffabili misericordia Dei. . . 633
Oratio devota et gratiarum actio. . . . . 634
De querela impotentiæ virium. . . . . 637
Qualis debeat esse in extremis. . . . . 638

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Qualiter exultat de morte Soror Mechtildis. . . 639
Valedicit omnibus creaturis. . . . . 640
De turmis occurrentibus animæ egredienti. . . 641
Qualiter præscriptus liber innotuit. . , . . 642
De concordia finis cum principio hujus libri. . 642

## LIBER SEPTIMUS.

I. De corona et dignitate, quam D. N. Jesus Christus post diem novissimum accepturus est. . . 645
II. Quomodo in die animarum quidam pro animabus oravit. . . . . 649
III. Quam utile sit homini cor suum in humilitate sine intermissione scrutari. . . . . 651
IV. De virga Domini. . . . . 653
V. Cur monasterium quodam tempore lacessitum est. . . . . 653
VI. De Capitulo, et quomodo considerare suos defectus debent. . . . . 654
VII. Quomodo quis Deo omni tempore uniri debet. . 654
VIII. Qualiter homo quærat Deum. . . . . 656
IX. Qualiter amans anima Deum laudet cum omnibus creaturis. . . . . 657
X. Quod sequitur tempore advenit quo magna erat necessitas. . . . . 657
XI. Qualiter Dominus operario similis visus est. . 658
XII. Qualiter vanæ gloriæ et tentationi resistitur. . 659
XIII. Quomodo in persona peregrini Dominus visus est. 659
XIV. De electione et benedictione Dei. . . . . 660
XV. Qualiter homo qui amat veritatem orare debet. 660
XVI. Qualiter homo desiderat atque orat. . . . . 661
XVII. Cognitionis cum conscientia colloquium. . . 661
XVIII. Commendatio septem Horarum Domini nostri Passionis. . . . . 663
XIX. De nostræ Dominæ salutatione . . . . . 665
XX. Qualiter *Ave Maria* nostræ Dominæ commendatur. . . . . 666
XXI. Qualiter suum cor homo debet visitare antequam ad Dei mensam accedat. . . . . 666
XXII. Laus cœlestis Patris. . . . . 668
XXIII. Laus Filii. . . . . 668
XXIV. De fluenti amore. . . . . 668
XXV. Beatissimæ Trinitatis salutatio. . . . . 669
XXVI. Qualiter ad Deum in tentatione sit confugiendum. . . . . 669
XXVII. Qualiter spiritualis homo cor suum retrahit a mundo. . . . . 670
XXVIII. De periculo cujusdam belli. . . . . 671

XXIX. De quadam doctrina. . . . . 672
XXX. Oratio quando coronam virgines accipiunt. . . 673
XXXI. De quadam querela. . . . . 673
XXXII. Quomodo boni hominis opera contra Domini opera lucent. . . . . 674
XXXIII. De potu spirituali. . . . . 674
XXXIV. De spirituali esca. . . . . 675
XXXV. De septem psalmis. . . . . 676
XXXVI. De spirituali claustro. . . . . 678
XXXVII. De æternis nuptiis beatissimæ Trinitatis. . . . 680
XXXVIII. Qualiter spiritualis homo peccata sua quotidie defleat. . . . . 681
XXXIX. Qualiter diaboli inter se rixantur, quando amans anima transit ex hoc mundo. . . . . 682
XL. Qualiter amans anima Dominum alloquitur. . 684
XLI. Qualiter visus est frater Ordinis Prædicatorum. 684
XLII. De melleo potu. . . . . 685
XLIII. De simplici amore, quomodo visus est. . . . 685
XLIV. De quinque peccatis et quinque virtutibus. . . 686
XLV. De septem rebus in amanti desiderio. . . . . 686
XLVI. Qualiter se anima in paupertate spirituali hortatur. . . . . 687
XLVII. De quodam peccato quod omni peccato pejus est. . . . . 688
XLVIII. Qualiter amor visus est cum suis virginibus. . 688
XLIX. De Fratre converso. . . . . 691
L. De timore in donis Dei. . . . . 692
LI. Oratio contra negligentiam. . . . . 693
LII. Qualiter amans anima se sub manu Dei inclinat. 693
LIII. De captivitate religiosarum personarum. . . . 694
LIV. De quatuor quæ ad fidem pertinent. . . . . 695
LV. Amicus ad amicum sic scribit. . . . . 696
LVI. Qualiter Deus amicos suos tangit dolore. . . . 697
LVII. Nonnulla de Paradiso. . . . . 697
LVIII. De sancto Gabriele. . . . . 699
LIX. Qualiter ante Deum nuntius advenit. . . . . 699
LX. Qualiter Deus infans visus est. . . . . 700
LXI. Qualiter præparari debemus ad Deum. . . . . 700
LXII. Qualiter virgines suæ dominæ reginæ famulantur. . . . . 701
LXIII. Dei voluntas in omnibus principatum obtinet. 704
LXIV. Qualiter homini Deus ministrat. . . . . 705
LXV. Qualiter Deus animam pœnis ornat. . . . . 706
FRAGMENTA De quibusdam exercitiis ad septem Horas canonicas. . . . . 708
De mystica vita. . . . . 709

12 1259



## DOCUMENTA.


I. Burchardi, Mansfeldensis comitis, ejusque conjugis Elisabeth quorumdam prædiorum donatio, novo monasterio juxtà castrum Mansfeld ad ipsis fundato facta anno 1229. . . . . 713

II. Narratio abbatissæ Sophiæ de Stolberg conscripta anno 1451 de fundatione monasterii Novæ-Helftæ incepti anno 1229. . . . . 714

III. Wie und von wem das Closter in welchem die zwey selige Jungfrauen Mechtildis und Gertrudis Gott gedienet gestifft und aufgebauet ist. 717

IV. Nova fundatio monasterii et translocatio ad urbem Islebium. 1343. . . . . 721

V. Novissima transactio in Helpede facta. . . . . 724

VI. Commendatio libri sanctæ Gertrudis juxta codicem Bibliothecæ Cesareæ Vindobonensis. . . 724

VII. Præfatiuncula Revelationibus S. Mechtildis et S. Gertrudis ex vetusto codice. . . . . 725

VIII. Chronologia Conventus Helftensis O. S. B. Monialium. . . . . 726

IX. Series Abbatissarum monasterii Helftensis. . . 727

X. Præfatiuncula Revelationibus Sororis Mechtildis in codice Einsiedelnensi inscripta. . . . . 728

XI. 1° Syllabus personarum cum aliqua sanctitatis nota passim apud scriptores occurrentium, quibus nomen fuit GERTRUDIS, aut quoddam simile. . . . . 729

2° Syllabus personarum cum aliqua sanctitatis nota passim apud scriptores occurrentium quibus nomen fuit MECHTILDIS, aut quoddam simile. . . . . 730


PICTAVII. — TYPIS H. OUDIN FRATRUM.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

K 1259
2x

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB Karlsruhe
43 03397 3 031

43 03397 3 031
BLB Karlsruhe

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg